MEDVLLA S. S. THEOLOGIÆ,

Ex Sacris literis, earumque interpretibus, extracta, & methodicè disposita per

GVILIELMVM AMESIVM
S. S. Theologiæ Doctorem ac Professorem in illustri Frisiorum Academia quæ est Franekeræ.

BIBLIOTHECA LAMBETHANA

In fine adjuncta est disputatio de fidei Divinæ veritate.

Editio Quarta priori longè correctior.

LONDINI,
Apud ROBERTVM ALLOTIVM,
MDCXXX.

1620.72

Pijs & benignis Mercatoribus, qui variorum inopum iuvenum studia, in sacri ministerij spem, suis sumptibus liberaliter sustentarunt:

D. DAVIDI NVYTS.
D. DAVIDI DE WEERT.
D. IOHANNI DE MAREES.
D. ANTONIO GOMMARIS.
D. LAVRENTIO DE GROOT.
D. GVILIELMO VANDER ELST.
D. MICHAELI FAIS.
D. PETRO DE VOS.
D. IOHANNI DVYTS.
D. IACOBO VAN HOREN.
D. IOHANNI VANDER MAERCKT.

& cæteris eadem gratia conjunctis.

NOn est mihi dubium (viri observandi) quin plurimum apud vos valeat divina illa Domini nostri admonitio: *Attendite ne justiti-*

am vestram exerceatis coram hominibus, ne spectemini ab eis. Quum praestabis eleemosynam, ne curato buccina cani coram te. Ne noverit sinistra tua, quid faciat dextera tua. Hinc mihi (ut verum fatear) scrupulum sensi injectum, & haesitationem seriam, an in propatulum esset proferendum, quod vos (ex praescripto Domini) feciſtis in occulto. Sed tamen quum primarius Domini Apostolus non dubitarit *notam facere omnibus gratiam Dei praestitam Ecclesiis Macedonum*, 2. *Cor.* 8. & praesens Ecclesiae conditio hoc flagitare videatur, ut ista gratia omnibus modis promoveretur; nonnullam potius vim modestiae vestrae faciendam esse putavi, quam ob hoc officio abstinendum, quo fieri forsan potest (quod Apostolus praedicat de Corinthiis) ut *ex vobis ortus Zelus provocaret complures*, 2. *Cor.* 9. 2. Splendor quidem, & species quaestus mundani major est in vulgari aliqua negatione, sed si omnia bene expendantur, neutrius Indiae societas comparari potest cum societate

tate hac cœlesti, ubi exponuntur carnalia caduca, & recipiuntur spiritualia, eaque in æternum permansura, secundum illud Domini: *Facite vobis amicos ex mamona iniusto, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna illa tabernacula.*

Causam justam dixi, quare nomina vestra in ista tabula volui comparere. Accidit tamen & illa, quod ante septennium nonnullos ex vestris alumnis meæ fidei commendastis, quæ prima fuit occasio medullam istam Theologiæ extrahendi, ut eorum usui posset inservire: cui etiam consilio successum omnem non defuisse, testatum vobis feciſſe spero quorundam sub hac instituendi ratione progressus.

Quum igitur (ex more) de aliqua hujus libelli inscriptione cogitabam, vobis eam deberi putabam, qui incepti hujus primi quasi authores fuistis. Quod ut æqui bonique consulatis, obnixè rogo.

2. *Cor.* 9. 10, 11. *Qui autem suppeditat semen serenti, & panem ad escam*

suppeditet, & multiplicet sementem vestram, & augeat fructus justitiæ vestræ, Vobis omni modo ditatis ad omnem benignitatem, quæ per nos efficit ut gratiæ agantur Deo.

Vestri studiosissimus,

GVILIELMVS AMESIVS.

BREVIS

BREVIS PRÆMVNITIO AVTHORIS, DE CONSILII SVI RATIONE.

QVamvis illud mihi non arrogem, ut omnes obloquutorum cogitationes animo meo complectar, varias tamen reprehensiones prævideo, in quas conatus iste (ab optimo certè animo profectus) pro seculi genio, est incursurus: quarum etiam præcipuas breviter occurrere decrevi.

Quibusdam, & eis quidem non indoctis, totum hoc displicet scribendi genus, quo Theologiæ summa in compendium aliquod redigatur. Grandia scilicet volumina quærunt, in quibus luxè possint vel habitare, vel vagari. Quos ego considerare vellem, omnibus non esse velotium tam pingue, vel ingenium tam vastum, ut perdicem in montibus & sylvis persequerentur;

quærentur; sed postulare potius multorum conditionem, ut nidus ipse, aut sedes rei quam sectantur sine ambagibus demonstretur.

Quidam autem id non totum reprehendunt, si præcipua capita oratorio modo tractentur, punctim autem in singulis particulis insistendum esse non arbitrantur. At verò quum fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusque modi rapiat, parum tamen teneas, parum apprehendas, nusquam invenias in quo constanter acquiescas: sed quum certa regula tradantur, habet semper lector, ad singulos quasi passus, locum notatum ubi pedem figat. Erunt etiam qui methodi, & logicæ formæ curam, ut curiosam ac molestam damnabunt. Sed istis meus sanior est optanda, quoniam intelligentiæ, judicij ac memoriæ artem ab ijs rebus amovent, quæ fere intelligi, sciri ac memoriæ infigi merentur.

Non deerunt ex altera parte, qui majorem logicæ artis accurationem desiderabunt. Quibus nec potui ego si voluissem, ex propria mea imperfectione, planè satisfacere, nec volui certè in omnibus quantum potui, propter aliorum defectus.

Non

Non paucos futuros suspicor, quibus supervacaneum prorsus videbitur, & actum agere, institutiones huiusmodi edere, post tot summorum virorum in eodem genere labores. In quorum etiam sententiam & ego pedibus irem, si quidquam huius generis exstaret, quod omnibus omni ex parte placeret.

Quod tamen non ita accipi vellem, quasi unquam mihi in mentem venisset, tale quidquam de hoc scripto sperare, sed quod non desperem fieri posse ut duo saltem aut tres subinde in nostra incidant, qui hic aliquid inveniant aptius ipsis ad pietatem erudiendis & excitandis quam in doctioribus aliorum scriptis observarunt. Quæ coniectura si non fallat, magnum operæ pretium fecisse me existimabo.

Obscuritatis ut arguar à minus exercitatis, non possum non expectare. Quos vellem ego à Cyro didicisse, radiorum τὰς διαράσεις latis luminibus non tam esse suaves. *Lumen certè contractum, quamvis exiguum videri possit, magis tamen illustrat (si quis propius accedat & attendat) quam quod nimia sua dilatatione quasi dissipatur.*

Stili aridìtas, & verborum quorundam asperitas vitio magno ab ijsdem verteretur. Ego vero in illa hæresi profiteor me versari, ut cum propositum est docere, duobus verbis non dicendum esse putem, quod uno dici potest; & eligendam esse clavem quæ maximè aperit, quamvis sit lignea, si aurea non suppetat ejusdem efficacia.

Postremo si qui sint, qui practica quædam, præcipuè in posteriore parte hujus medullæ, latius vellent explicari, ijs posthac (si Deus dederit) satisfacere studebimus peculiari tractatu, quem jam effectum habemus, de quæstionibus, quæ casus conscientiæ solent vocari.

Qui alia adhuc vel culpant, vel desiderant, rogatos eos velim, ut candidè mihi cogitata sua impertire dignentur; aut apologiæ justæ, aut emendationi debitæ materiam optatam præbituræ.

THEO-

THEOLOGIÆ, LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De Theologiæ definitione, vel natura.

1

THEOLOGIA eſt doctrina Deo vivendi. *Joh. 6. 68. Verba vitæ æternæ.* Act. 5. 20. *Verba vitæ hujus.* Rom 6. 11. *Colligite vos vivere Deo.*

1. *Doctrina* vocatur, non quaſi aliena hic eſſet intelligentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, artis, aut prudentiæ appellatio; hæc enim omnia cuilibet accuratæ diſciplinæ, & præcipuè Theologiæ inſunt: ſed quia hæc diſciplina non eſt ex natura, & indagine humana, (ut reliquæ) ſed ex revelatione & inſtitutione divina, *Iſa.* 51. 4. *Doctrina à me prodibit.* Matth. 21. 25. *E cœlo: quare ergo non credidiſtis ei?* Ioh 9. 29. *Nos ſcimus, Deum eſſe loquutum Moſi.* Gal. 1. 11, 12. *Evangelium non eſt ſecundum hominem. Neque enim ab homine id accepi, neque edoctus ſum, ſed per revelationem,* Ioh. 6. 45.

3. Reliquarum artium principia, nobis innata, ſenſu,

ſenſu, obſervatione, experientia & inductione poſſunt excoli, & ad perfectionem deduci: ſed Theologiæ principia ſolida, quæ ſtudio & induſtria poſſint ad perfectionem promoveri nobis non inſunt à natura, *Matth.16.17. Caro & ſanguis hoc non detexit tibi.*

4. Cum autem omnis ars conſiſtat ex regulis, quibus actus aliquis creaturæ dirigitur, & vita ſit actuum omnium nobiliſſima, circa aliud non poteſt propriè verſari, quàm circa *vitam.*

5. Quandoquidem verò illa creaturæ ſit vita perfectiſſima, quæ maximè ad Deum vivum, ac vivificantem appropinquat, idcirco Theologicæ vitæ natura eſt *vivere Deo.*

6. *Deo vivitur*, quando vivitur ſecundum voluntatem Dei, in gloriam Dei, Deo intus agente, 1. *Pet.* 4. 2, 6. *Vt voluntati Dei viuat: ſecundum Deum*, Gal. 2. 19, 20. *Vt vivam Deo: vivat in me Chriſtus*, 2. Cor. 4. 10. *Vt vita illa Ieſu in corpore noſtro, manifeſta fiat.* Phil. 1. 20. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſeu per vitam, ſeu per mortem.*

7. Vita hæc, una & eadem, quoad eſſentiam à ſuo principio permanet in æternum, *Ioh.* 3. 36. & 5. 24. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* 1. Ioh. 3. 15. *Vitam æternam in ſe manentem.*

8. Quamvis autem in hac vita tam *beatè* quam *benè* vivere contineatur, potiores tamen ſunt partes ἐυζωΐας quam ἐυδαιμονίας: & illud quod præcipuè ac ultimo ſpectari debet, non eſt beatitudo, quæ reſpicit noſtrum commodum, ſed bonitas illa quæ ad Dei gloriam refertur. Rectius igitur definitur Theologia per vitam illam bonam, qua Deo vivimus, quam per beatam,

tam, qua nobis vivimus: ſicut ab Apoſtolo per ſynecdochen vocatur *doctrina quæ eſt ſecundum pietatem*, 1. Tim. 6. 3.

9. Hæc porro vita, cum ſit ſpiritualis actus totius hominis, quo fertur ad Deum habendum, & ſecundum voluntatem eſſe conſtet, ſequitur primum & proprium Theologiæ ſubjectum eſſe voluntatem, *Prou.* 4. 23. *Ex corde prodeunt actiones vitæ.* 23. 26. *Cedo cor tuum mihi.*

10. Cum autem hæc vita & voluntas ſit verè & propriè praxis noſtra perfectiſſima, Theologiam non communi tantum illa ratione, qua omnes diſciplinæ, pro fine habent ſuam εὐπραξίαν, ſed præcipuè, ſtrictè, ac præ alijs omnibus eſſe *practicam*, non *ſpeculativam*, patet ex ſeſe.

11. Neque revera quidquam eſt in Theologia, quod non ad finem ultimum, aut ad media illum finem ſpectantia refertur: cujus generis omnia directè tendunt ad praxin.

12. Praxis iſta vitæ tam perfectè in Theologia continetur, ut nullum ſit in Oeconomicis, Ethicis, Politicis, aut Iuridicis, catholicæ veritatis præceptum, ad benè vivendum ſpectans, quod non propriè ſpectat ad Theologiam.

13. Theologia igitur eſt omnium artium ultima, nobiliſſima, & architectonica, à Deo ſingulariter profecta, de Deo, & rebus divinis agens, & ad Deum tendens, hominémque deducens: quo reſpectu non minùs rectè Σωτία, aut Σωφία poteſt vocari, quam Theologia.

CAP.

CAP. II.

De Theologiæ distributione, vel partibus.

1. THeologiæ duæ sunt partes, fides & observantia, 2. Tim. 1. 13. *Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide, & charitate.* 1. Tim. 1. 19. *Habens fidem, & bonam conscientiam.* Psal. 37. 3. *Confide in Iehova, & fac bonum.* Ex istis partibus constabat Theologia Pauli. *Act.* 24. 14, 15, 16. *Credo omnibus quæ scripta sunt: & spem habeo in Deo: & exercito me ad conscientiam habendam sine offensa.* Eædem partes fuerunt Theologiæ Abrahami. *Gen.* 15. 6. & 17. 1. *Credidit Abraham Jehovæ. Indesinenter ambula coram me, & esto integer.* Easdem postulat Christus à suis discipulis, dum præter fidem, requirit, ut *observarent omnia quæ præcepit*, Math. 28. 20. Easdem tractat Paulus in epistola ad Rom. qua summam Theologiæ contineri constat. Easdem denique in Ecclesijs voluit doceri. *Tit.* 3. 8. *Hæc volo te asseverare: ut qui crediderunt Deo, curent benè agendi præire.*

2. Partitionis hujus proprium est (quod in genuina artis cujuslibet distributione requiritur) ut fluat ex objecti natura. Cùm enim vitæ spiritualis (quod objectum proprium est Theologiæ) principium & actus primus sit fides, & secundus actus vel operatio ex illo principio emanans, sit observantia, necessariò sequitur, istas duas genuinas esse Theologiæ partes, nec ullas alias esse quærendas.

3. In

3. In veteri Teſtamento (accommodatè ad ſtatum legalem, & ſervilem) videtur aliquando partitio quædam Theologiæ inſtitui, in *reverentiam* Dei, & *obſervantiam* præceptorum ejus: ſecundum illud, *Eccleſ.* 12. 15. *Summa eſt: Deum ipſum reverere, & præcepta ejus obſerva: quia hoc eſt totum hominis.* Sed metonymicè includi in priori parte fidem, apparet ex *Prov.* 3. 5, 7. *Fiduciam haberem Jehova ex toto animo tuo, reverere Iehovam, & recede à malo.*

4. Partes iſtæ duæ, uſu quidem & exercitio, ſemper conjunguntur: natura tamen, & præceptis diſtinguuntur.

5. Sic etiam diſtinguuntur, ordine naturæ, ut fides primum locum teneat, & obſervantia ſpiritualis poſteriorem. Actiones enim vitales nullæ poſſunt elici, niſi principio vitæ prius ingenerato.

CAP. III.

De Fide.

1. *Fides* eſt acquieſcentia cordis in Deo, tanquam in authore vitæ vel ſalutis æternæ: id eſt, ut per ipſum ab omni malo liberemur, & omne bonum conſequamur. Iſ. 10. 20. *Innitetur Jehova, ſancto Iſraelis in fide.* Pſal. 37. 5. *Devolve ſuper Iehovam viam tuam, & confide in eo.* Ier. 17. 7. *Benedictus vir ille, qui Fiduciam habet in Iehova, & cujus confidentia eſt Jehova.*

2. Credere vulgò ſignificat actum intellectus, aſſenſum teſtimonio præbentis: ſed quoniam conſequenter voluntas moveri ſolet, & extendere

extendere ſeſe ad amplectendum bonum ita probatum, idcircò fides etiam hunc voluntatis actum deſignat ſatis aptè: quomodo hoc in loco neceſſario intelligitur. Eſt enim receptio. *Johan.* 1. 12. *Quotquot exceperunt eum, qui credunt.*

3. Hinc fides fertur in bonum, quod per iſtam, fit noſtrum, eſt actus electionis, eſt actus totius hominis, quæ actui intellectus nullo modo conveniunt. *Ioh.* 6. 35. *Qui venit ad me: qui credit in me.*

4. Quamvis igitur fides præſupponat ſemper notitiam Evangelii, nulla tamen datur in quoquam cognitio ſalutifera, & ab illa quæ in quibuſdam non ſalvandis reperitur, diverſa, niſi conſequenter ad actum iſtum voluntatis, & ab ipſo dependens, *Ioh.* 7. 17. & 8. 31, 32. 1. *Ioh.* 2. 3.

5. Fides illa verè Chriſtiana, quæ locum habet in intellectu, nititur ſemper teſtimonio divino, quà eſt divinum: ita autem recipi nequit, niſi ex pio voluntatis effectu erga Deum, *Joh.* 3. 33. *Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignavit Deum veracem eſſe.* Rom. 4. 20. *Coroboratus fuit fide, tributa gloria Deo.*

6. Neque tamen quod teſtimonio ſolo nitatur, eò eſt incertior & magis dubia: ſed certior quavis humanâ ſcientiâ, ex ſua natura: quia, in ſuum obiectum ſub formali ratione infallibilitatis fertur: quamvis propter imperfectionem habitus ex quo fluit fides, infirmior ſæpè appareat aſſenſus fidei, quam ſcientiæ, in hoc vel illo ſubiecto.

7. Deus verò eſt obiectum fidei, non ut in ſe conſideratur, ſed quatenus ipſi per ipſum, benè

vivimus,

vivimus, 1. *Tim.* 4.10. *Speramus in Deo vivo, qui est conservator omnium hominum, maximè verò fidelium.*

8. Christus quâ redemptor est fidei objectum mediatum, sed non ultimum, credimus enim per Christum in Deum, *Rom.* 6. 11. *Vivere Deo per Christum.* 2 Cor. 3. 4. *Fiduciam habemus per Christum, apud Deum.* 1. Pet. 1. 21. *Per eum credentes in Deum.*

9. In Scripturis, vel promissionibus, *enunciationes* continent, & exhibent objectum fidei, vocaturque objectum fidei per Metonymiam adjuncti. Bonum, quod proponitur assequendum quâ tale, est finis & effectum fidei, non propriè objectum ipsum. Illud verò, cujus vi nitimur, in assecutione boni illius, est proprium objectum fidei. 1 *Cor.* 1. 23. *Prædicamus Christum, &c.* 2. 2. *Non statui quicquam scire inter vos nisi Jesum Christum.* 2. Cor. 5. 19. *Deus in Christo.*

10. Fide hac divina, quæ spectat ad voluntatem Dei & salutem nostram, nulli homini simpliciter credendum, sed soli Deo. *Rom.* 3. 4. *Omnis homo mendax,* 1 Cor. 2. 5. *Ne fides vestra consistat in sapientia hominum.*

11. Authoritas igitur Dei est propria & immediata ratio omnis veritatis, hunc in modum credendæ: undè illud solenne apud Prophetas ubique: *Verbum Iehovæ, sic dicit Jehova.*

12. Hinc ultima resolutio fidei, quatenus denotat rem credendam, est in autoritatem Dei, vel divinam revelationem, 2 *Pet.* 1. 20, 21. *Si illud primum noveritis, nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis, &c.* Ioh. 9. 29. *Nos scimus Deum esse loquutum Mosi.* Sicut ultima

ejus

ejus resolutio, quatenus designat actum credendi, est in operationem & persuasionem internam Spiritus Sancti, 1 *Cor.* 12. 3, 11. *Neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.*

13. Fides ista, quâ credimus non tantum Deum, aut Deo, sed in Deum, est vera ac propria fiducia: non quà hac vocenotatur certa & absoluta persuasio de bono futuro, sed quà significat electionem & apprehensionem sufficientis ac idonei medij, ac in quo persuasio & expectatio talis fundatur. Quo sensu dicuntur homines fiduciam habere in sapientia, potentia, amicis ac opibus suis, *Psal.* 78. 22 *Non crediderunt in Deum, neque confisi erant in salute ejus.*

14. Indicatur hoc passim phrasibus illis Scripturæ, quibus fidei solidæ natura vera explicatur. בבטח סמר & שען על אל πιστεύειν ἐπὶ vel εἰς, *Prov.* 3. 5. *Esa.* 10. 20 & 50. 10. *Psal.* 71. 6. *Esa.* 31. 1. *Psal.* 37. 3, 5. & 62. 7. *Rom.* 10. 11.

15. Credere igitur in Deum, est credendo adhærere Deo, inniti Deo, acquiescere in Deo, tanquam in vita ac salute nostra omni sufficiente, *Deut.* 30. 20. *Adhærendo ei: nam ipse est vita tua.*

16. Hinc assensus ille generalis, quem Pontifici fidem statuunt, non est fides, quia ipsis fatentibus, potest esse sine ulla vita, *Iacob.* 2 17.

17. Assensus verò specialis, quo statuimus Deum esse nostrum Deum in Christo, non est actus primus fidei, sed actus ex fide emanans. Nulla enim est major in te, quàm alio, certitudo hujus veritatis, nec verior ejus apprehensio, antequam te ad Deum fide singulariter applicaveris,

veris, *Rom.* 5. 1, 2. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum: gloriamur de Deo.*

18. Fides etiam cum sit primus actus vitæ nostræ, quâ Deo in Christo vivimus, consistat necesse est in unione cum Deo, quam nullo modo facere potest assensus adhibitus veritati, quæ est de Deo.

19. Crediturus etiam porrò cum ex miseriæ sensu, & omnimodæ liberationis, cum in se, tum in alijs, defectu, necesse habeat se dedere Deo in Christo, tanquam servatori sufficienti, & fideli, deditionem istam facere non potest ullo modo per assensum intellectus, sed per consensum voluntatis.

20. Quamvis in Scripturis aliquando assensus veritati, quæ est de Deo & Christo, *Ioh.* 1. 50. habetur pro vera fide, includitur tamen semper specialis fiducia: atque adeò omnibus in locis ubi sermo est de salutari fide, vel præsupponitur fiducia in Messiam, & indicatur tantum determinatio, vel applicatio ejus ad personam Iesu Christi; vel per assensum illum designatur, tanquam effectum per suam Causam, *Ioh.* 11. 25, 26, 27. *Qui credit in me, vivet, credis hoc? ait ille, Etiam Domine, ego credo te esse Christum illum, Filium Dei illum qui in mundum venturus erat.*

21. Quod verò fiducia dicitur fructus fidei, verum id est de fiducia, prout respicit Deum in futurum, & est spes firma: sed prout respicit Deum in Christo, in præsentia se offerentem, est ipsa fides. Hinc etiam oriuntur tituli illi, quæ Scriptura fidei salvificè tribuit, quod sit πεποίθησις, παῤῥησία, 2 *Cor.* 3. 4. & 5. 6, 7, 8. *Eph.* 3 12. 1 *Pet.* 1. 13.

1. 13. 1. *Joh.* 5. 13, 14. πληροφορία. *Rom.* 4. 21. *Col.* 2. 3. ὑπόστασις. *Heb.* 11. 1.

22. Quod autem vera fides à quibuslam partim in *intellectu*, partim in *voluntate* collocatur, illud minus accuratè dicitur: quia est una & simplex virtus, & actus elicit homogeneos, non partim scientiæ, & partim affectuum, 1 *Cor.* 13. Assensus autem ille solidus Evangelii promissionibus adhibitus, dicitur fides, & fiducia, partim quia parit fidem, quâ est assensus generalis: partim quia fluit ex illa fiducia, quâ est assensus specialis, & solidus, apprehendens gratiæ jam factæ possessionem actualem. Sic enim nititur fiducia cordis, tanquam medio, vel tertio argumento, cujus vi sola conclusio talis potest inferri, Docet etiam experientia, particularem istam certiorationem intellectus in quibusdam deesse, ad tempus, qui tamen fidem veram in cordibus suis habent interim latentem.

CHAP. IIII.

De Deo & eius essentia.

1. IN præcedenti disputatione egimus de Fide, jam de Deo, qui est objectum, ut agamus, ordinis rario postulat: quod vt paulò accuratius fiat, primum de cognitione Dei dicemus.

2. Deus prout in se est à nemine nisi à semetipso potest apprehendi 1. *Tim.* 6. 16. *Lucem habitans inaccessum, quem vidit nemo hominum, neque videre potest.*

3. Prout semetipsum nobis rēvelavit, concipitur quasi ex dorso, non de facie. *Exod.* 33. 23. *Videbis posteriora mea, facies autem mea videri*

non

non potest, ænigmaticè, non clarè, hoc est nostro more & modo. 1 *Cor.* 13. 12. *Per speculum, per ænigma, aliquatenus.*

4. Quia nostro more necessariò explicantur illa, quæ ad Deum spectant, hinc frequens in istis rebus est modus illo loquendi, qui dicitur ἀνθρωποπάθεια.

5. Quia nostro modo etiam ad captum humanum explicatur, hinc multa dicuntur de Deo secundum conceptus nostri rationem, potius quam ex ipsius natura.

6. Aliter eum cognoscere non possumus, ita ut vivamus: neque opus habemus, ut benè vivamus, *Exod.* 33. 19, 20.

7. Quod revelatum est de Deo, sufficit nobis ad benè vivendum, *Deut.* 29. 29. *Quæ revelata sunt nobis, & filiis nostris, usque in seculum revelata sunt, ut faciamus omnia verba hujus legis.*

8. Hoc autem quod sciri potest de Deo, est eius sufficientia & efficientia, *Rom.* 4. 21. *Plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam efficere.*

9. Hæ duæ sunt columnæ fidei, consolationis fulcra, pietatis incitamenta, & religionis veræ certissimæ notæ. *Ibidem.*

10. Sufficientia Dei est, qua ipse in sese, sibi & nobis satis habet: hinc etiam omnisufficiens appellatur, *Genes.* 17. 2.

11. Sufficientia Dei est prima ratio, cur in eum credimus: quia scilicet idoneus est ad vitam nobis suppeditandam, *Rom.* 4. 20.

12. Sufficientia Dei est in eius essentia & subsistentia.

13. Essentia Dei est, qua est Ens absolutè primum

primum. *Esa.* 44. 6. *Ego sum primus & ultimus, præter me non est Deus*, Apoc. 1. 8. & 21. 6. & 22. 13. *Ego sum* α *&* ω, *id est, principium & finis: primus & ultimus.*

14. Indicatur hæc essentia nomine Iehovæ. Quia verò Dei essentia talis est, hinc sequitur.

15. 1. Deum esse unum & unicum, *Deut* 6. 4. 1 *Tim.* 2. 5. *Ephes.* 4. 6. 1 *Cor.* 8. 5, 6. *Marc.* 12. 32. *Rom.* 3. 29, 30.

16. 2. Deum esse se ipso, hoc est, neque ab alio, neque ex alio, neque per alium, neque propter aliud.

17. Hinc denique expers est potentiæ illius, quæ dicitur passiva: hinc immutabilis, *Psal.* 102. 27, 28. *Tu permanes: tu idem es.* Rom. 1. 23. *Gloria incorruptibilis Dei.* Iac. 1. 17. *Apud quem non inest transmutatio, aut conversionis obumbratio.*

18. Quia verò hæc essentia non potèst sufficienter à nobis comprehendi per actum unum, explicatur à nobis quasi multiplex, per multa scilicet attributa.

19. Attributa vocantur, quia potius Deo tribui dicuntur, quàm propriè inesse, si prout verba sonant, accipiantur.

20. Hæc attributa in Deo sunt unus purissimus, & simplicissimus actus. Hinc attributorum divinorum natura istis axiomatis, quasi totidem consectarijs, rectè potest explicari.

21. Primum, Omnia attributa divina verè dicũtur de Deo, tam in abstracto, quàm in cõcreto.

22. 2. Attributa illa, quæ Deo aliquo modo cõmunia sunt cum creaturis, re ipsa conveniunt primo in loco Deo, creaturis autem secundario: quamvis nomina transferantur à creaturis ad Deum,

Deum, atque adeò primo conveniant creaturis.

23. 3. Attributa divina nullam intrinſecam intenſionem extenſionem, remiſſionem aut imparitatem admittunt.

24. 4. Attributa divina ſibi invicem non contrariantur, ſed maximè conſentiunt.

25. 5. Attributa omnia divina ſunt quaſi diuinæ perfectiones: ita tamẽ ut omnis imperfectio, quæ hujuſmodi proprietatem in creaturâ comitatur, in hac attributione ſit amouenda, & perfectio illius cum eminentia maxima concipienda.

26. 6. Attributa divina inſunt Deo, non tantum virtualiter, & eminenter, ſed etiam formaliter, quamvis non eo modo, quo qualitates inſunt creaturis.

27. 7. Deo inſunt quaſi ineſſe ſecundo, quia non ſunt de formali ratione eſſentiæ divinæ, concipimus enim Deum eſſe, antequam concipere poſſumus, eum eſſe juſtum, & bonum.

28. 8. Ab eſſentia, & inter ſe diſtinguuntur, non ſolùm ratione (ut dicitur) raciocinante, ſed etiam ratione ratiocinata, ita ut fundamentum diſtinctionis ſit in ipſo Deo.

29. 9. Iſta attributa, quæ in ſuo formali includunt aliquid eſſentiæ divinæ proprium, ſunt planè incommunicabilia: ut omnipotentia, immenſitas, æternitas & ſimilia.

30. 10. Quæ communicare dicuntur creaturis, conveniunt illis per analogiam, non prorſus eodem modo, quo Deo inſunt: neque tamen planè æquivocè.

31. Attributa Dei explicant, *quid ſit* Deus, & *quis* ſit.

32. Quid ſit Deus, nemo poteſt perfectè definire,

nire, nisi qui Dei ipsius habet logicam. Imperfecta autem descriptio, quæ proximè ad Dei naturam explicandam accedit, & à nobis concipi potest, talis est.

33. Deus est Spiritus seipso vivens, *Ioh.4.24. Deus est Spiritus. & cap. 5.26. Pater habet vitam in seipso.*

34. Dicitur *Spiritus.* 1. Negativè; quia non est Corpus. 2. Analogicè vel per similitudinem quandam; quia in spiritualibus substantijs perfectiones multæ sunt, quæ naturam divinam magis adumbrant, quam corporeum quicquam potest.

35. Dicitur *vivens*; 1. Quia maximè Deus ex seipso operatur, non motus ab alio. 2. Quia actio vitalis Dei est ipsius essentia. 3. Quia fons est alijs viventibus omnis entitatis & operationis vitalis. *Actor.17.25,28. Dat omnibus vitam, & halitum, & omnia. In ipso vivimus, & movemur, & sumus.*

36. Dicitur *vivere seipso*, quoniam à nullo, ullâ ex parte, accipit aut esse, aut vivere.

37. Hinc primarius Dei titulus, quo ab omnibus idolis distinguitur, quod sit *Deus vivens, Deut.* 32.40. *Psal* 84.23. *Ier.*5.2.

38. Hinc fides nostra vitam æternam quærens, in Deo solo acquiescit; quia Deus est fons omnis vitæ, *Ioh.* 5.26.

39. *Quis* sit Deus explicant nobis proprietates illæ, quibus à cæteris omnibus rebus distinguitur.

40. Ostendunt autem illæ proprietates divinæ, quantus sit Deus & qualis sit.

41. Sub notione quantitatis dicitur. 1. Vnus.

2. Infi-

1. Infinitus. Primò internè, quoniam est immensus. Secundò externè, quatenus est incomprehensibilis. Dicitur æternus.

42. Vnus dicitur non genere, sed unitate illa perfectissima, quæ in creaturis numerica & individualis solet appellari.

43 Infinitus est Deus, quatenus est expers omnis essentiæ limitationis, *Psal.* 139. 8. *Si scanderem cœlos, illic es; aut stratum ponerem in sepulchro, ecce ades.*

44. Deus est immensus, quatenus omnis materiæ dimensionis est expers. 1 *Reg.* 8. 27. *Cœli ipsi, & cœli cœlorum non capiunt te.* Esai. 66. 1. *Cœlum ipsum solium meum est, & terra scabellum pedum meorum.*

45. Hinc fides nullam certam spectat beatitudinis mensuram à Deo communicandam, sed gloriam immensam.

46. Deus est incomprehensibilis, quia omnis ambientis terminationis expers est.

47. Hinc omnipræsens est; quia nullum est ubi; undè est excluſus, neque alicubi est incluſus.

48. Deus est etiam æternus, quia principij & finis est expers, *Psal.* 102. 25, 26. Esai. 44. 1. 1 *Tim.* 1. 17.

49. Hinc est quod fides nostra vitam æternam apprehendit in Deo.

50. *Qualis* est Deus, explicant proprietates illæ per quas dicitur operari. Istis attribui debent omnes proprietates essentiæ & quantitatis: Simplicitas, immutabilitas, æternitas & immensitas.

51. Qualitates istæ concipiuntur, vel sub

5. Subsistentiæ distinguuntur ab essentia, ut modi subsistendi cum eadem concreti, ab eadem absolutè considerata.

6. Inter se distinguuntur ut relata, per proprietates quasdam relativas: ita ut una non possit esse alia; simul tamen sunt naturâ; neque priores, neque posteriores dici possunt, nisi ordine originis, & modo subsistendi.

7. Cum autem proprietates illæ relativæ sint quasi individuæ, in essentia spirituali, & perfectissimè viventi: Subsistentiæ illæ recte dicuntur personæ.

8. Sunt autem illæ proprietates; non qualitates inhærentes; sed affectiones relativæ, quibus

est aliis viventibus omnis entitatis & operationis vitalis. *Actor.* 17. 25, 28. *Dat omnibus vitam, & halitum, & omnia. In ipso vivimus, & movemur, & sumus.*

36. Dicitur *vivere seipso*, quoniam à nullo, ullâ ex parte, accipit aut esse, aut vivere.

37. Hinc primarius Dei titulus, quo ab omnibus idolis distinguitur, quod sit *Deus vivens*, *Deut.* 32. 40. *Psal* 84. 23. *Ier.* 5. 2.

38. Hinc fides nostra vitam æternam quærens, in Deo solo acquiescit; quia Deus est fons omnis vitæ, *Ioh.* 5. 26.

39. Quæ sit Dei vita explicant nobis proprietates illæ, quibus à cæteris omnibus rebus distinguitur.

40. Ostendunt autem illæ proprietates divinæ, quantus sit Deus & qualis sit.

41. Sub notione quantitatis dicitur. 1. Unus.

2. Infi-

14. Spiritus ſancti proprietas eſt *ſpirari*, vel emitti, & procedere, & à patre, & à filio. *Ioh.* 15. 26. *Quum ego mittam vobis à Patre, Spiritum illum veritatis, qui à Patre emanat.* Rom. 8. 9. *Spiritus Chriſti.* Gala. 4. *Spiritus Filij.*

15. Differentia inter *gigni*, quod convenit filio, & procedere illud, quod proprium eſt Spiritui ſancto, non poteſt à nobis propriis verbis explicari, niſi quod filius proceſſerit à ſolo patre, & ſpiritus ſanctus a patre & filio, unum ſimul relatum conſtituentibus.

16. Poteſt tamen (aliqua ex parte) ſimilitudine adumbrari; pater nempè eſt quaſi Deus [illegible] gloriam immenſam.

46. Deus eſt incomprehenſibilis, quia omnis ambientis terminationis expers eſt.

47. Hinc omnipræſens eſt; quia nullum eſt ubi; undè eſt excluſus, neque alicubi eſt incluſus.

48. Deus eſt etiam æternus, quia principij & finis eſt expers, *Pſal.* 102. 25, 26. Eſai. 44. 1. 1 *Tim.* 1. 17.

49. Hinc eſt quod fides noſtra vitam æternam apprehendit in Deo.

50. *Qualis* eſt Deus, explicant proprietates illæ per quas dicitur operari. Iſtis autem tribui debent omnes proprietates eſſentiæ & quantitatis: Simplicitas, immutabilitas, æternitas & immenſitas.

51. Qualitates iſtæ concipiuntur, vel ſub

ratione *facultatum*, vel *virtutum*, quibus illæ facultates ornantur.

51. Facultates sunt *intellectus & voluntas*. Vndè fides innititur ipsi, qui novit quid nobis opus sit, & vult etiam illud suppeditare.

53. Intellectus Dei est simplex sine omni compositione, discursu, aut repræsentatione specierum, *Heb.* 4. 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus.*

54. Intellectus Dei est immutabilis: non aliter, neque magis unam rem novit, quam aliam, neque magis antea, quam nunc, aut nunc, quam antè, *Act.* 15. 18. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua.*

55. Intellectus Dei est æternus: non incipit, neque desinit. *Ibidem.*

56. Intellectus Dei est infinitus; quia omnes omnium rerum veritates, ac rationes percipit, Iob. 11. 8, 9. *Sapientia Dei est altior cœlo: longior terrâ: altior mari.* Psal. 139. 6. *Mirabilior est scientia tua, quam ut fallam.*

57. Eadem etiam ratione, voluntatis divinæ natura debet à nobis concipi.

58. Voluntas Dei est simplex, & vnica in Deo.

59. Voluntas Dei est immutabilis; quia idem semper & eodem modo vult, *Psal.* 33. 11. *Consilium Jehovæ in sæculum consistit.*

60. Voluntas Dei est æterna; qui non incipit velle, quod antea noluit, neque desinit velle, quod antea voluit, *Malach.* 3. 6. *Ego Jehovah non mutor.*

61. Voluntas Dei dici potest infinita; quia nullam externam habet limitationem.

62. *Affectus* qui Deo in Scriptura tribuuntur,

ut

ut amor, odium & similia, vel actus voluntatis designant, vel conveniunt Deo tantum figuratè.

63. *Virtus* est perfectio intellectus & voluntatis, qualis in Deo est sapientia, sanctitas, & cætera.

64. Virtus tribuitur Deo, quà promptitudinem agendi notat: non sub ratione habitus à facultate & actu distincti.

65. Virtutes autem quæ in homine, ex occasione peccati & imperfectionis oriuntur, non conveniunt Deo; ut humilitas, castitas, pudor & similia.

66. Ex istis omnibus attributis resultat illa Dei perfectio ex qua dicitur *beatus*, 1. *Tim.* 1, 11. & 6. 15.

67. Hinc fides nostra firmum habet fundamentum; quia nititur Deo, omnis perfectionis, beatitudinis, & gloriæ possessore, & autore.

Cap. V.

De Subsistentia Dei.

1. SVbsistentia Dei est una illa essentia, prout est cum suis proprietatibus hypostaticis.

2. Eadem essentia est communis tribus subsistentijs & quoad Deitatem, subsistentiæ singulæ sunt à seipso.

3. Nihil insuper essentiæ tribuitur, quod singulis subsistentijs, quoad est, nuam, tribui non potest.

4. Quæ verò propriè attribuuntur singulis subsistentijs, quoad subsistentiam, essentiæ tribui non possunt.

ratione *facultatum*, vel *virtutum*, quibus illæ facultates ornantur.

51. Facultates sunt *intellectus & voluntas.* Vndè fides innititur ipsi, qui novit quid nobis opus sit, & vult etiam illud suppeditare.

53. Intellectus Dei est simplex sine omni compositione, discursu, aut repræsentatione specierum, *Heb.* 4. 13. *Omnia sunt nuda, & intimè patentia oculis ejus.*

54. Intellectus Dei est immutabilis: non aliter, neque magis unam rem novit, quam aliam, neque magis antea, quam nunc, aut nunc, quam antè, *Act.* 15. 18. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua.*

55. Intellectus Dei est æternus: non incipit, neque desinit. *Ibidem.*

56. Intellectus Dei est infinitus; quia omnes omnium rerum veritates, ac rationes percipit, Iob. 11. 8, 9. *Sapientia Dei est altior cœlis: longior terrâ: altior mari.* Psal. 139. 6. *Mirabilior est scientia tua, quam ut fallam.*

57. Eadem etiam ratione, voluntatis divinæ natura debet à nobis concipi.

58. Voluntas Dei est simplex, & vnica in Deo.

59. Voluntas Dei est immutabilis; quia idem semper & eodem modo vult, *Psal.* 33. 11. *Consilium Jehovæ in sæculum consistit.*

60. Voluntas Dei est æterna; qui non incipit velle, quod antea noluit, neque desinit velle, quod antea voluit, *Malach.* 3. 6. *Ego Jehovah non mutor.*

61. Voluntas Dei dici potest infinita; quia nullam externam habet limitationem.

62. *Affectus* qui Deo in Scriptura tribuuntur,

ut

ut amor, odium & similia, vel actus voluntatis designant, vel conveniunt Deo tantum figuratè.

63. *Virtus* est perfectio intellectus & voluntatis, qualis in Deo est sapientia, sanctitas, & cætera.

64. Virtus tribuitur Deo, quà promptitudinem agendi notat: non sub ratione habitus à facultate & actu distincti.

65. Virtutes autem quæ in homine, ex occasione peccati & imperfectionis oriuntur, non conveniunt Deo; ut humilitas, castitas, pudor & similia.

66. Ex istis omnibus attributis resultat illa Dei perfectio ex qua dicitur *beatus*, 1. *Tim.* 1, 11. & 6. 15.

67. Hinc fides nostra firmum habet fundamentum; quia nititur Deo, omnis perfectionis, beatitudinis, & gloriæ possessore, & autore.

Cap. V.

De Subsistentia Dei.

1. SVbsistentia Dei est una illa essentia, prout est cum suis proprietatibus hypostaticis.

2. Eadem essentia est communis tribus subsistentijs & quoad Deitatem, subsistentiæ singulæ sunt à seipso.

3. Nihil insuper essentiæ tribuitur, quod singulis subsistentijs, quoad essentiam, tribui non potest.

4. Quæ verò propriè attribuuntur singulis subsistentijs, quoad subsistentiam, essentiæ tribui non possunt.

5. Subsistentiæ distinguuntur abessentia, ut modi subsistendi cum eadem concreti, ab eadem absolutè considerata.

6. Inter se distinguuntur ut relata, per proprietates quasdam relativas: ita ut una non possit esse alia; simul tamen sunt naturâ; neque priores, neq; posteriores dici possunt; nisi ordine originis, & modo subsistendi.

7. Cum autem proprietates illæ relativæ sint quasi individuantes, in essentia spiritualiter, & perfectissimè viventi: Subsistentiæ istæ rectè dicuntur personæ.

8. Sunt autem istæ proprietates; non qualitates inhærentes; sed affectiones relatæ, quibus convenit tota illa perfectio quæ reperitur in creaturarum analogis affectionibus, sed imperfectio nulla convenit.

9. Hinc est quod relativa proprietas in Deo infert personam, quod in creaturis non habet eandem rationem.

10. Subsistentiæ istæ sunt, vel spirantes, ut pater & filius, vel spirata, ut spiritus sanctus.

11. Spirare, vel emittere, est relatio, non talis, ut per se constituat personam; sed communis duarum personarum.

12. Patris relativa proprietas est *gignere*. Psal. 2. 7. *Filij meus es, ego hodiè genui te.* Ioh. 3. 16. *Unigenitus filius.* Heb. 1. 6. *Primogenitus*, hinc ordine primus.

13. Filij est *gigni*, id est, à patre ita procedere, ut ejusdem essentiæ sit particeps, & naturam ejus perfectè referat, & hinc ordine secundus est. *Heb.* 1. 3. *Effulgentia gloriæ, & character personæ illius.*

14 Spi-

14. Spiritus ſancti proprietas eſt *ſpirari*, vel emitti, & procedere, & à patre, & à filio. *Ioh. 15. 26. Quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre emanat.* Rom. 8. 9. *Spiritus Chriſti.* Gal 4. 6. *Spiritus Filij.*

15. Differentia inter *gigni*, quod convenit filio, & procedere illud, quod proprium eſt Spiritui ſancto, non poteſt à nobis proprijs verbis explicari, niſi quod filius procedat à ſolo patre, & ſpiritus ſanctus a patre & filio, unum ſimul relatum conſtituentibus.

16. Poteſt tamen (aliqua ex parte) ſimilitudine adumbrari; pater nempè eſt quaſi *Deus intelligens*: Filius imago patris expreſſa, eſt quaſi *Deus Intellectus*: Spiritus ſanctus emanans à patre per filium, & ſpiratus, eſt quaſi *Deus dilectus.* Filius producitur quaſi per actum intelligendi, vel dicendi, ex intellectu, vel memoriâ fæcundâ Patris: Sp. ſanctus producitur per actum amandi, vel ſpirandi: ex voluntate fæcundâ Patris & Filii. Hinc Filius dicitur *Sermo, Sapientia, Imago*, quæ de Sp. ſancto non affirmantur. Quia verò in creaturis invenitur Filij generatio, ſed non invenitur quidquam quod æquè procedit immediatè, à duobus æqualiter perfectis (ſicut Spiritus ſanctus procedit à patre & Filio) idcircò filij proceſſio propriè deſignatur: ſed nec ſpecialis procedendi modus, nec ſpeciale nomen abſolutè proprium tertiæ perſonæ datur. De Patre enim & filio verè dicitur, quod ſint Spiritus, & ſancti, & Filius etiam procedit à Patre generatione ſpirituali.

17. Nomen Dei proprium, cum proprijs ſuis titulis, in Scripturis non tantum Patri tribuitur,

ſed etiam Filio, *Ier.* 23. 6. *Jehova juſtitia noſtra.* Ioh. 1. 1. *Verbum erat Deus.* Rom. 9. 5. *Deus benedictus in ſecula.* 1 Tim. 3. 16. *Deus manifeſtatus in carne.* Apoc. 17. 14. *Dominus dominorum eſt, & Rex regum.* Tribuitur etiam Spiritui ſancto. Act. 5. 3, 4. *Ut mentireris Spiritui ſancto, mentitus es Deo.* Act 28. 25. *cum* Iſ. 6. 9. *Jehova dixit, Spiritus ſanctus locutus eſt.* 1 Cor. 3. 16. & 6. 19. 2 Cor. 6. 16. *Templum Dei, Templum Spiritus.*

18. Divina attributa, non tantum de Patre affirmantur, ſed etiam de Filio. Iſ. 9. 6. *Deus fortis robuſtiſſimus: Pater æternitatis.* Ioh. 2. 25. *Ipſe ſciebat, quid eſſet in homine.* & 3. 13. *Filius hominis eſt in cœlo.* & 8. 58. *Priuſquam Abraham fieret, ego ſum.* Similiter etiam de Spiritu ſancto. *Pſal.* 139. 7. *Quò fugiam à Spiritu tuo?* 1 Cor. 2. 10. *Spiritus ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Heb. 9. 14. *Spiritus æternus.*

19. Operationes Dei propriæ tribuuntur non tantum Patri, ſed etiam Filio, & Spiritui ſancto. Electio tribuitur Filio, *Matth.* 24. 31. *Electos ejus.* & conſilium Dei æternum tribuitur Spiritui ſancto. *Ieſai.* 40. 13. *Qui expendit ſpiritum Iehovæ, ut vir à conſilijs ejus.* Creatio tribuitur Filio, *Ioh.* 1. 3. *Omnia per hunc facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit.* Tribuitur etiam Spiritui ſancto, *Pſal.* 33. 6. *Verbo Domini cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Suſtentatio, & gubernatio rerum creatarum tribuitur Filio, *Heb.* 1. 3. *Qui ſuſtinet omnia verbo ſuo illo potenti.* Nec non Spiritui ſancto, *Gen.* 1. 2. *Spiritus incubabat ſuperficiei aquarum.* Zach. 4. 6. *Spiritu meo, ait Jehova exercituum.*

cituum. Miracula faciendi propria poteſtas tribuitur Filio, *Act.* 4. 10. *Per nomen Jeſu Chriſti adſtat ſanus. & 9. 34 Sanat te Jeſus Chriſtus.* Tribuitur etiam Spiritui Sancto, *Act.* 2. 4. *Cœperunt loqui linguis, prout Spiritus ille dabat eis effari.* Communicatio vitæ ſpiritualis, & omnimodæ gratiæ, in vocatione, juſtificatione, adoptione, ſanctificatione, & glorificatione, ubique tribuitur tam Filio & Spiritui Sancto, quam Patri. Inſtitutio, miſſio, & benedictio Eccleſiaſtici miniſterij, tribuitur Filio, *Eph.* 4. 8, 11. *Dedit dona. Dedit alios Apoſtolos, &c.* & Spiritui ſancto, 1 *Cor.* 12. 11. *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus.* Act. 20. 28. *Spiritus ille Sanctus conſtituit vos Epiſcopos.* Reſurrectio ipſa carnis Filio adſcribitur tanquam authori, *Joh.* 6. 54. *Ego ſuſcitabo illum.* Nec non Spiritui Sancto, *Rom.* 8. 11. *Suſcitabit corpora veſtra per inhabitantem in vobis Spiritum.*

20. Divinus item honor, & cultus, non tantum ad Patrem refertur, ſed & ad Filium, *Hebr.* 1. 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Atque etiam ad Spiritum ſanctum: quando nomen ejus una cum Patre, & Filio, invocandum proponitur ſuper Baptizandos, *Math.* 28. 19. *In nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Invocatur item Filius, & Spiritus, in ſolemni illa formula ſalutationis: *Gratia Domini Ieſu Chriſti, & charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus ſancti, ſit cum omnibus vobis,* 2. *Cor.* 13. 13. Et quicquid pertinet ad cultum, refertur tam ad Chriſtum, quam ad Spiritum ſanctum, eo ipſo, quod veri Dei cultores, qui ſunt tales, *templa* dicantur non tantum Dei Patris, ſed etiam Chriſti,

Apoc. 21. 22. *Dominus Deus omnipotens, templum illius eſt, & Agnus.* 1 Cor. 3. 16. *An neſcitis vos eſſe templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? & 6. 19. An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus ſancti, qui eſt in vobis?*

21. Authoritas denique & majeſtas illa, quæ eſt Dei propria, tribuitur Filio, & Spiritui ſancto. 1 *Cor.* 2. 8. *Dominus gloriæ.* 1 *Pet.* 4. 14. *Spiritus ille gloriæ.* Omnis prophetia ſacra tribuitur Chriſto & Spiritui ſancto. 1 *Pet.* 3. 19. *Chriſtus per Spiritum prædicavit ſpiritibus qui ſunt in carcere.* 2. Pet. 1. 21. *Acti à Spiritu ſancto loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Act. 28. 25. *Spiritus ſanctus loquutus eſt per Eſaiam Prophetam.*

22. Spiritum autem ſanctum in iſtis omnibus proponi nobis ut perſonam ſubſiſtentem, appareret ex eo manifeſtè, quod vita, intelligentia, voluntas, & potentia ipſi tribuatur ubique, una cum actibus omnibus proprijs perſonæ.

[23. Diſtinctio etiam ejus à Patre & Filio clarè docetur, quando vocatur, *alius, miſſus, veniens,* à Patre; & Filio, *Joh.* 14.

24. Hinc Deus, ut noſtræ fidei objectum, eſt omni modo ſufficiens ad ſalutem nobis communicandam. Omnis enim charitas, gratia, & communicatio eorum quæ ſpectant ad benè vivendum, fluunt à Patre, Filio, & Spiritu ſancto, 2 *Cor.* 13. 13.

CAP.

CAP. VI.

De Efficientia Dei.

1. EFficientia Dei est, qua omnia in omnibus operantur, *Eph.* 1.11. *Qui agit omnia* Rom. 11. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.*

2. *Efficere, operari, vel agere* Dei activè sumptum, prout est in Deo agente, non est aliud realiter ab ipso Deo. Nulla enim compositio, aut mutatio potentiæ, & actus, locum potest habere in simplicissima & immutabili Dei natura. Addit tamen relationem quandam Dei ad effectum reale.

3. *Omnia in omnibus operatur*, quia efficientia omnium omnino rerum, pendet à prima causa efficiente, non tantum quod substantiam, sed etiam quoad circumstantias omnes reales. *Esa.* 45.7. *Me Iehovam facere omnia ista*, Lament. 3. 37, 38. *Ecquo dicente, exiſtit aliquid, ſi Dominus non præceperit? Ex ore excelſi non prodit malum quodque et bonum?* Realibus operationibus annumerantur etiam quicquid perfectionem sonat in genere moris: sed non defectiones quæ subjectioni Deo debitæ adversantur.

4. In Efficientia Dei, elucet ratio Essentiæ divinæ, & ratio Subsistentiæ.

5. Ratio illa efficiens, quæ ad essentiam Dei pertinet, est Omnipotentia.

6. Potentia Dei, qua consideratur ut simpliciter potens, est idem planè cum ejus Sufficientia, & pertinet propriè ad naturam Dei, qua

consideratur sub ratione Entis, atque adeo prior est scientia & voluntate Dei, *Rom.* 11.23. *Potens enim est Deus rursum eos inserere.*

7. Potentia verò, in quantum est exequens posterior est aliquo modo Sufficientia, & pertinet ad Efficientiam Dei, atque adeo sequitur scientiam & voluntatem Dei, *Psal.* 115.3. & 135.6. *Quicquid placet, facit.*

8. In istis igitur talis ordo concipiendus est, ut primò in Deo concipiamus *posse*, secundò *scire*, tertiò *velle*, & postremò *efficere potenter*, quod non nisi ratione differt à voluntate Dei efficaci. Vnde syllogismus ille fidei, qui *Matth.* 8.2,3. distinctè explicatur: *Domine si velis, potes. Volo. Ergo factum est*: ubi argumentum est à voluntate ad potentiam accedente.

9. Hinc ipsa voluntas Dei, quà est principium effectivum, habet rationem potentiæ, *Rom.* 9.19. *Ejus voluntati quis obstitit?* Neque ipsa Omnipotentia executiva aliud quicquam est, quàm voluntas Dei effectiva, *Psal.* 33.9. *Ipso præcipiente, exstitit quicquid est.* Apoc. 4.11. *Per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

10. Error igitur est, Dei naturæ adversus, dicere, Deum multa propriè velle efficere, quæ tamen per Omnipotentiam non efficit, *Eph.* 1.19,20. *Supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius.*

11. *Omnipotentia* Dei est, qua potens est efficere omnia quæ vult, aut velle potest, 2 *Chr.* 20 6. *In manu tua est vis, & potentia, ac nemo tibi potest obsistere.* Luk. 1.37. *Apud Deum, non est ullum verbum, quod fieri non possit.* Phil. 3.21. *Potest etiam subjicere sibi omnia.* 12. Hinc

12. Hinc etiam Deus passim in V.T. appellatur אל גבור *Esai.* 9.6. *Jerem.* 32.18. item אל שדי *Gen.* 17.1. & 35.11. *Ruth* 1.20, 21. Et ὁ θεὸς N.T. vocatur παντοκράτωρ, 2 *Cor.* 6.18. *Apoc.* 1.8. & 4.8. Et solus, δυνάστης, 1 *Tim.* 6.15.

13. Potentia Deo tribuitur activè, qui a vim habet alijs aliquid communicandi, qualis est potentia, vel potestas causæ: propriè tamen potentia activa non convenit Deo, quasi respectu sui ipsius primo otiosus esset, acpostea se se in actum promoveret: Deus enim est purissimus actus, *Jacob.* 1.17.

14. Non igitur activa potentia talis in Deo fingenda est, quæ aliquid sit ab ejus essentia diversum, ipsa enim essentia Dei, est illa potentia, qua potens est: Sicut eadem est ipsa misericordia, qua misericors est.

15. Convenit autem Deo potentia activa, respectu creaturæ, quæ dicitur propriè posse recipere, & experiri actum illum Dei, quem antea non sentiebat, & experiebatur. *Math.* 19.26. *Apud Deum sunt omnia possibilia.*

16. *Omnipotentia* divina versatur circa absolutè possibilia, quæcunque Deus vult, aut potest velle. *Ibidem.*

17. Non versatur igitur circa ista, quæ prorsus ἀδύνατα sunt, & contradictionem quandam, vel in Deo, vel in rebus creatis, involvunt, 2. *Tim.* 2.13. *Negare seipsum non potest.*

18. Hinc distinctio quædam Omnipotentiæ divinæ oritur, qua distinguitur in potentiam absolutam, & in potentiam ordinatam, sive actualem.

19. Potentia *absoluta* illa est, qua potens est Deus

Deus efficere omnia possibilia, etiamsi ea nunquam sint futura. *Matth.* 3. 9. *Deus potest ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.* & 26. 53. *An putas me non posse nunc precari Patrem, qui huc sistat mihi plures, quam duodecim legiones Angelorum?* *Marc.* 10. 27. *Eph.* 3. 20.

20. Potentia Dei *ordinata* est, qua illud non solum potest facere, quod vult, sed etiam reipsa actualiter agit, quicquid vult. *Psal.* 115. 3. & 135. 6. *Eph.* 3. 11.

21. Ratio subsistentiæ Dei, quæ in ejus Efficientia elucet, est primo personarum omnium cooperatio; Secundo, earundem in operando modus distinctus.

22. *Cooperatio* est, qua rem eandem operantur inseparabiliter: omnes enim operationes ad extra sunt omnium personarum communes. *Joh.* 5. 17, 19. *Pater operatur, & ego operor. Quæcunque ille facit; hæc etiam Filius pariter facit.* & 16. 13. 14. *Spiritus ille non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur. De meo accipiet, & renunciabat vobis.*

23. Hinc quælibit persona operatur à sese, quoad vim causalem, quam exercet.

24. Hinc nulla dignitatis præeminentia est in ista cooperatione, sed unius & ejusdem causæ summa unitas & indentitas.

25. Hinc æqualis honor omnibus personis divinis æqualiter à nobis debetur.

26. *Modus operandi* distinctus est, quo quælibit persona operatur secundum distinctam rationem suæ subsistentiæ.

27. Distinctus iste modus partim est in ordine agendi, & partim in actionis terminatione.

28. Quoad

28. Quoad ordinem, *Patris* operandi modus eſt à ſe, per Filium, & Spiritum Sanctum. Hinc origo rerum, nempè *Creatio*, propriè tribuitur Patri, qui ordine originis eſt perſonarum prima.

29. *Filij* operandi modus eſt à Patre, per Spiritum. Hinc rerum diſpenſatio illi propriè tribuitur, nempè *redemptio*, & omnium in Eccleſia munerum *conſtitutio*. Eph. 4. 11. *Is igitur dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, &c.*

30. *Spiritus* operandi modus eſt à Patre, & Filio, per ſeſe. Hinc rerum conſummatio tribuitur Spiritui Sancto, ut *regeneratio*, *Tit.* 3. 5. donorum omnium ſpiritualium *communicatio*, 1. *Cor.* 12. 4. & rerum ipſarum naturalium *perfectio*, *Gen.* 1. 2.

31. Quoad terminum actionis, illud opus, in quo unius perſonæ operatio, vel operandi modus potiſſimum elucet, præcipuè etiam illi tribuitur. Sic Patri creatio, Filio redemptio, & Spiritui ſanctificatio, per appropriationem ſolennem attribuitur.

CAP. VII.

De Decreto, & Conſilio Dei.

1. IN potenti Dei Efficientia primum locum obtinet Decretum Dei: quia hic modus efficiendi, quum ſit omnium perfectiſſimus, maximè convenit naturæ divinæ.

2. Decretum Dei eſt definita ejus ſententia de rebus omnibus per omnipotentiam & ſecundum conſilium ſuum efficiendis. *Eph.* 1. 11. *Agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.*

3. In

3. In Decreto Dei apparet ejus constantia, veritas, & fides.

4. Constantia est, qua Decretum Dei permanet semper immutabile. *Num.* 23. 23. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, aut Filius hominis quem pœniteat.* Prou. 19. 21. *Consilium Jehovæ ipsum stabit.*

5. Veritas est, qua illud solum enunciat quod decrevit. *Ier.* 10. 1. *Iehova est Deus veritatis.* Rom. 3. 4. *Esto Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quamvis enim verba ejus videri possint nonnunquam aliud quid sonare, eorum tamen sensus cum decreto semper consentit.

6. Fides est, qua efficit quicquid decrevit, & prout decrevit. *Iesai* 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam faciurus sum.*

7. Omne decretum Dei est æternum. 1. *Cor.* 2. 7. *Act.* 15. 18.

8. Ad hoc decretum Dei pertinet consilium, *Eph.* 1. 11. *Actor.* 4. 28.

9 Consilium Dei est quasi deliberatio ejus de re qualibet, approbatâ iam intellectui, & voluntati, optima efficienda.

10. Consilium Deo tribuitur, respectu judicij perfecti, quo omnia facit consulto. 1. Sciens volens: non respectu inquisitionis, à qua in hominibus iudicium istiusmodi pendet. Deus enim omnia & singula simul videt ac vult. Idcirco dicitur quasi deliberatio, non diliberatio propriè dicta.

11. Ad perfectionem hujus consilij tria concurrunt. 1. Scopus aut finis propositus. 2. Mentis conceptus eo faciens. 3. Voluntatis intentio & complacentia.

12. Sco-

12. Scopus aut finis hujus consilij est Dei ipsius gloria, i. Bonitas vel perfectio illa Dei, quæ per efficientiam ejus fit manifesta, & in operibus ejus effulget. *Eph.* 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.*

13. In omni artifice, vel efficiente ex consilio ad extra, præexistit Idea, quam acturus inspicit, ut ad eam operationem suam aptet; sic etiam in Deo, quum non efficiat naturaliter, neque temerè, neque ex coactione: sed cum summa rationis perfectione, Idea hujusmodi præexistens est concipienda, ut omnium rerum efficiendarum exemplaris causa, *Hebr.* 11. 3. *Quæ cernimus facta sunt ex non apparentibus.*

14. Idea omnium rerum est essentia divina, prout ab ipso Deo intelligitur ut imitabilis à creaturis, vel ita ut aliquo modo exprimi possit perfectionis illius imago, aut vestigium aliquod in creaturis: hoc est, ipsæ creaturæ prout in mente divina concipiuntur, sunt Idea illius naturæ, quam habent in semetipsis.

15. Idea in homine, qui cognitionem acquirit per *Analysin*, colligitur ex rebus ipsis, atque adeo res primo in semetipsis existunt, tum ad hominum sensum perveniunt, & inde ad intellectum, ubi possunt Ideam aliquam constituere ad operationem insequentem dirigendam. Sed quoniam Deus intelligit omnia per *Genesin*, & non requirit cognitionem per *Analysin* rerum, ideo omnia sunt prius in ejus mente, quàm in semetipsis.

16. In nobis res ipsæ sunt exemplar, & cognitio nostra est imago: sed in Deo scientia divina est exemplar; & res ipsæ sunt imago vel similitudo

similitudo ejus expressa.

17. Idea in homine est prius impressa, & postea exprimitur in rebus: sed in Deo est tantum exprimens propriè non impressa, quia non accedit aliunde.

18. Ex hoc uno fundamento satis refutari possunt omnes errores de meritis & fide prævisâ. Si enim decretum aliquod Dei penderet propriè ex ejusmodi prævisione, tum Dei Idea adveniret ei aliunde, quod ejus naturæ haudquaquam convenit.

19. Idea prout in Deo absolutè consideratur, est unica, sed quatenus includit varios respectus, ad creaturas fit multiplex: ita ut verum sit, Ideam unius creaturæ non esse Ideam alterius.

20. In Deo sunt Ideæ omnium perfectionum, quæ sunt in creaturis: quia proveniunt ex virtute Dei activa; sed non imperfectionum, si considerentur formaliter sub ratione imperfectionis.

21. Cognitio igitur mali pendet ex negatione boni, prout esse mali consistit in privatione boni, eodem quippè modo habent omnia cognosci, quo habent esse.

22. Ideæ prout sunt plures, ita quædam earum sunt inter se connexæ, & ex se invicem pendent: undè etiam ordo quidam existit prioris & posterioris.

23. Ideæ prout considerantur antecedentes Decretum divinæ voluntatis, quidditatem rerum representant & existentiam tantum possibilem: prout considerantur post determinationem divinæ voluntatis, representant easdem res ut actu futuras, secundum actualem suam existentiam.

24. Ex

24. Ex varia iſta conſideratione exoritur diſtinctio ſcientiæ divinæ, in illam quæ dicitur *Scientia ſimplicis intelligentiæ*, & illam quæ dicitur *Scientia viſionis.*

25. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt omnium poſſibilium, id eſt, rerum univerſarum & ſingularum, quæ fieri poſſunt, perfectiſſima in Deo ſcientia.

26. Scientia viſionis eſt ſcientia omnium futurorum, ſive ſint in ſua natura neceſſaria, ſive libera, ſive contingentia.

27. Quæ novit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, novit ex ſua omniſufficientia: quæ vero novit per ſcientiam viſionis, novit per ſuam efficientiam, vel ex decreto ſuæ propriæ voluntatis. *Pſal.* 33. 15. *Formator cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.* Ieſai. 44. 2. *Quis ut ego prædicat, & indicat iſtud, aut ordinat iſtud mihi, ex quo diſpoſui populum æternum; ut futura, & quæ eventura ſunt indicentur illis?*

28. Scientia media, per quam Deus à nonnullis ante Decretum ſuæ voluntatis ex Hypotheſi noviſſe fingitur tales eventos futuros, ſi tales cauſæ ponantur: quum & ſtatuat eventus certo futuros independenter à Dei voluntate, & ſcientiam aliquam Dei ab objecto præcipuè pendere faciat; Hujuſmodi (inquam) ſcientia cum ſumma Dei perfectione ſtare non poteſt.

29. Idea divina pro veritate notionum quæ ſunt in rebus, varias induit rationes: reſpectu principiorum dicitur *Intelligentia*, qua Deus in ſingulis ſingulare quodque percipit: reſpectu veritatis ad ſingula ſpectantis dicitur *Scientia*, quæ

quæ quoad latitudinem est omniscientia: & quoad illud esse quod res habent in propria sua mensura, dicitur præscientia: respectu dependentiæ veritatum, quam habent inter se, dicitur *Sapientia*, qua novit quid cuique rei conveniat, & quid ab ipsa sit alienum: respectu ordinis totius in praxi instituendæ, dicitur *Prudentia*, qua novit rebus omnibus opportunissimas accommodare occasiones: respectu denique praxeos exequendæ, dicitur *Ars*, qua efficere novit omnia peritissimè, *Hebr.* 11. 10.

30. Promiscuè quidem sæpè hæ voces in scripturis usurpantur ad explicandam perfectionem Intellectus divini, ad captum eorum qui intellectum habent maximè imperfectum: sua tamen natura hanc distinctionem admittunt, & non aliam.

31. Conjecturalis illa scientia, quam solam nonnulli Deo tribuunt circa futura contingentia, repugnat planè naturæ & perfectioni divinæ.

Ex tribus illis quæ fuerunt proposita ad consilij divini perfectionem concurrentia, videlicet scopus, mentis conceptus, & voluntatis intentio, restat tertium considerandum, quod beneplacitum vocatur.

32. Beneplacitum Dei, est actus divinæ voluntatis liberrimè, & efficaciter statuens de rebus omnibus.

33. *Beneplacitum* in Scripturis quidem usitatissimè designat benevolentiam Dei, qua bonum salutare suis vult ac decernit: quia tamen omne consilium benè Deo placet, idcirco rectè adhibetur à Theologis ad omne consilium explicandũ, etiam secundũ scripturam, *Mat.* 11. 26.

34. Vo-

34. Voluntas hæc eſt verè *libera*: quoniam quicquid illa vult, illud non vult ex neceſſitate naturæ, ſed conſilio.

35. Eſt *liberrima*, vel maximè & abſolutè libera, ex nulla alia pendens: hominum autem & Angelorum voluntatis libertas per dependentiam quam habet à Deo, minor eſt, & participata.

36. Libertas in iſtis operationibus ad extra non eſt concomitans tantum, ut in operationibus ad intra; ſed etiam antecedens ſub ratione principij: quoniam quod Deus vult operari ad extra, non vult ex neceſſitate naturæ, ſed electione præcedente: non eſt enim neceſſaria connexio inter naturam divinam & iſtos actus.

37. Voluntas hæc eſt *efficax*: quia quicquid vult, dat effectum ſuo tempore, nec quicquam eſt, ſi velit, quod non fiat. *Pſal.* 115. 3. & 135. 6. *Quicquid placet ſibi, Iehova facit.*

38. Hinc voluntas Dei eſt prima cauſa rerum. *Apoc.* 4. 11. *Per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.* Voluntas autem Dei ut velit operari ad extra, non præſupponit honitatem objecti, ſed volendo ponit & facit. *Iacob.* 1. 18. *Quia voluit, progenuit nos.* Rom. 9. 18. *Cuius vult miſeretur.*

39. Voluntatis igitur divinæ nulla propriè dicta cauſa datur.

40. Hinc rectè dicitur, Deum unam rem velle propter aliam exiſtere; ſed illam unam rem non eſſe cauſam propriè dictam, qua Dei voluntas internè movetur ad alteram illam decernendam. Sic voluit Deus exiſtere ſolem, & aſtra propter generationem, conſervationem, & cor-

corruptionem inferiorum: sol tamen & astra non sunt causa, cur Deus velit illa generari, conservari, & corrumpi. Et sic se res habet in omnibus rebus extra Deum, quæ quidem inter sese sunt causa & effecta, etiam quæ dependent à divina voluntate, sed ipsius voluntatis Dei nulla est causa extra ipsam.

14. Neque etiam in Deo volitio vnius rei est propriè dicta causa efficiens, ut in semetipso velit aliam: quoniam efficientia causæ in effectum, & dependentia effecti à causa, in voluntatem divinam, quæ est Deus ipse omnia simul & semel unico actu verè & simpliciter volens, cadere non potest. Verum tamen est, quod Scholastici dicunt, attingentiam divinæ voluntatis passivam, respectu unius rei, esse causam attingentiæ passivæ, respectu alterius: atque adeo hoc sensu rectè ac piè dicitur, Deum unum aliquid velle, quia voluit aliud.

42. Quamvis igitur multa velit, quæ non sunt consequutura, nisi ex actu aliquo creaturæ antecedente, ipse tamen volendi actus, in Deo, non propriè pendet, ut consequens quid, ex actu creaturæ. Neque sub appellatione voluntatis antecedentis, tribuere fas est Deo imperfectam illam voluntatem, quæ *velleitas* in scholis nominantur. Non convenit enim naturæ omniscienti, omnipotenti, & infinitè beatæ.

43. Quare sententia illa quæ statuit Deum aliquid velle antecedenter ad actus creaturæ, quod idem consequenter ad illos nolit, sed aliud velit, non est admittenda: quia voluntatem Dei statuit mutabilem, & ab actu creaturæ depen-

dependentem, ita ut quoties mutatur actus creaturæ, toties & ipsa mutetur.

44. Ex ista etiam sententia, non esset adhibenda in omnibus, formula illa loquendi, qua nos, & omnia nostra Deo committimus, in verbo Dei præscripta: *Ego volo hoc vel illud, si Deus voluerit*: sed contrariè inversa, *Deus vult hoc vel illud, si homo voluerit.*

45. Voluntas hæc *statuit de rebus omnibus*, maximis, minimis, contingentibus necessarijs, liberis sine exceptione. Hoc de omni rerum genere scriptura demonstrat: ut de Christo Iesu glorificando, & ecclesia per ipsum servanda. *Psal.* 2. & 110. 4. & 40. 7, 8, 9. *Heb.* 7. 16, 21. *Eph.* 5. 15. 2. *Tim.* 1. 9. De Pharaone, *Exod.* 1. 3. Vbi Deus ita disposuit omnia, ut Pharaonem moueret ad insequendum, & obruendum populum Israelem; imo obduravit, ut insequeretur eum; liberè tamen egerunt & Pharao & Israel. Similiter de venditione Iosephi, in qua omnia liberè, & contingenter acciderunt, Deo de illa statuente, pro voluntate sua. De ipso corde humano. *Psal.* 33. 15. 1. *Sam.* 10. 9, 26. *Prov.* 2. 1. De homine fortuitò alterum occidente. *Exod.* 21. 13. De sorte in urnam conjecta. *Prov.* 16. 33. De passerculis in terram cadentibus: De singulis crinibus capitis humani. *Math.* 10. 29, 30. De lilijs, floribus, & gramine ipso terræ. *Math.* 6. 28, 30. Denique de rebus omnibus creatis. *Iob* 38. *Psal.* 104. *Iesa* 45. 7. *Jerem.* 14. 22.

46. Si Deus non statueret de rebus omnibus, voluntas ejus non esset causa prima, simpliciter, & universaliter: ac proinde qui contrarium sentiunt, necesse habent vel duo prima principia statuere,

statuere, vel plura duobus, quod est ab omni veritate planè alienum.

47. Voluntatis autem non eadem est ratio, quæ scientiæ & potentiæ divinæ. Scientia enim scit omnia scibilia, & potentia potest omnia possibilia, simulque extenduntur ultra illa quæ actu fuerunt, sunt, & erunt: at per voluntatem non vult omnia quæ potest velle, sed omnia quæ judicavit volenda, ideoque actu futura sunt: undè quamvis omniscius & omnipotens dicatur Deus, dici tamen non potest omnivolens.

48. In istis omnibus, quæcunque Deus vult, est universaliter efficax: ita ut nullo modo possit impediri, aut frustrari, quo minus obtineat quod vult. Nam si quid propriè vellet, & non posse assequi, non esset summè perfectus, ac beatus.

49. Voluntas tamen divina non infert necessitatem omnibus rebus futuris, sed certitudinem tantum quoad eventum. Sic fieri non potuit quoad certitudinem eventus, ut ossa Christi confringerentur, quia Deus voluit ut non confringerentur; nulla tamen militibus, hastis & alijs, quæ tunc adfuerunt, causis secundis illata est necessitas.

50. Imo tantum abest, ut voluntas divina, quæ certissimè assequitur quicquid vult, res omnes urgeat dura necessitate, ut prima radix ac causa efficiens sit omnis illius contingentiæ, ac libertatis quæ est in rebus, quoniam efficaciter præconstituit, ex talibus causis, tales effectus secuturos.

51. In istis rebus quæ Deus vult, ordo quidam concipitur, videlicet, quod prius velit finem,

finem, cum agat ex ratione perfectiſſima, quàm media ad finem; & inter media, prius illa, quæ propius ad finem accedunt: quod prius enim eſt ordine executionis, id poſterius eſt ordine intentionis & è contra.

52. Voluntas iſta Dei, ex parte occulta eſt, & ex parte revelata, *Deut.* 29. 29.

53. Media illa, per quæ voluntas iſta revelatur, rectè vocantur voluntas ſigni, non tantum metaphoricè, quia ſolent inter homines indicare quid velint: ſed etiam metonymicè, quia ſunt vel effecta, vel adjuncta, propriam Dei voluntatem ex parte indicantia.

54. Signa ponuntur quinque, veteri illo verſiculo: *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet:* ſed quia conſilium coincidit cum præcepto, rectius pro eo poneretur *promittit.*

Hactenus in genere de efficientia Dei, quæ una cum ſufficientia fidei objectum conſtituit aptum & adæquatum: ſequuntur ſpecies ejus.

CAP. VIII.

De Creatione.

1. EFficientia Dei, eſt vel creatio, vel Providentia.

2. Creatio eſt efficientia Dei, qua mundum fecit ab origine, ex nihilo, valdè bonum.

3. Creatio activa concipitur per mundum actionis tranſeuntis, in quo ſemper præſupponitur objectum, circa quod agens verſatur: non eſt tamen formaliter tranſiens, ſed tantum virtualiter, quoniam objectum non præſupponit, ſed efficit.

4. Creatoi

4. Creatio passiva concipitur per modum mutationis, quæ impropriè dicitur mutatio.

5. Creatio respicit mundum totum, id est, quicquid existit extra Deum.

6. Hinc & res omnes quæ extra Deum existunt, sunt creatæ, & sunt omnino creatæ, id est, tam secundum materiam, quàm secundum formam. *Apoc.* 4. 11. *Quia tu condidisti omnia.* Col. 1. 16. *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia, & invisibilia.*

7. Creatio producit originaliter, quia producit Ens non solùm qua tale, sed etiam absolutè omni ex parte.

8. Ante creationem igitur creaturæ nullum habuerunt esse reale, vel existentiæ, vel essentiæ, quamvis esse cognitum habuerunt ab æterno in scientia divina.

9. Creatio igitur producit ex nihilo, id est, ex non præexistente, sed coexistente materia. Neque enim quicquam fuit ab æterno præter Deum: neque Deus est materia, vel pars ullius creaturæ, sed efficiens tantum.

10. Quædam revera dicuntur creari, quorum materia præexistabat: Sed tum creatio non immediatam tantum illam actionem respicit, qua fit ut talia existant; sed etiam mediatam, qua factum est, ut ipsa materia existeret, ex qua illa formantur: sic fuit in creatione plantarum & animalium, *Gen.* 1. 20.

11. Nihil istud, vel non esse rerum, præcessit earum esse, non ordine naturæ tantum; sic enim ab æterno potuissent coexistere Deo: sed & ordine durationis, pro nostro concipiendi modo.

12. Hinc

12. Hinc principium illud, in quo Deus dicitur creaſſe mundum, fuit finis durationis illius, quam habuit nihil, & initium illius, quam habuit mundus.

13. Voluit igitur Deus ex creatione, & perfectionem ſuam oſtendere, quod non indigeret ulla creatura, vel re externa; tunc enim quàm primum potuit mundum creaſſet: Et etiam libertatem illam, qua omnia produxit abſque naturali neceſſitate: ſi enim neceſſario creaſſet, ab æterno illud feciſſet. *Apoc.* 4. 11. *Pſal.* 115. 3.

14. Mundus neque ab æterno conditus eſt, neque ab æterno potuit creari in illa diſpoſitione & ordine rerum, quem modo habet.

15. Dies iſte non extitiſſet, ſi infiniti dies antecedere debuerint. Illi enim antecedentes dies nunquam finiti fuiſſent, ut iſtuc ſuccedere poſſet ipſis.

16. Hinc etiam ſequitur nullam creaturam fuiſſe, aut potuiſſe cauſam, vel inſtrumentalem, vel principalem fuiſſe in creationis actu.

17. Valdè bonum fuit creatum omne, quia neque temerè neque fruſtrà factum, ſed ad finem, quem aſſequebatur efficiens. *Geneſ.* 1. 31. *Quicquid fecerat, bonum erat valdè.* 1. *Tim.* 4. 4. *Quicquid condidit Deus, bonum eſt.*

18. Bonitas rei creatæ eſt illa perfectio, qua apta ſit ad uſum, cui inſervit: Vſus autem iſte, vel eſt particularis, vel univerſalis.

19. Particularis eſt operatio illa propria, cui res aliqua in ſua ſingulari natura inſervit.

20. Vniverſalis eſt ordinatio rei unius cum aliis ad perfectionẽ univerſi. *Pſ.* 104. & 148. *Eſa.* 40. 13.

21. Per hanc bonitatem res omnes creatæ naturali ſuo modo tendunt ad Deum, à quo proveniebant. Ens enim ſecundum eſt à primo, & propter primum. Hinc phraſes illæ, *Ab ipſo, per ipſum, & propter ipſum ſunt omnia.* Rom. 11. 36.

22. Tendunt autem ad Deum res naturales, I. in eo quod declarunt Dei gloriam. *Pſal.* 19. 1. II. quod occaſionem nobis præbent Deum & cognoſcendi & quærendi. *Rom.* 1. 20. *Act.* 17. 26. III. quod ſuſtentant vitam noſtram, ut benè Deo vivamus. 1. *Cor.* 10. 31. 1. *Tim.* 4. 3, 4.

23. Rebus omnibus creatis coëxiſtit tempus, ſicut apparet ex illa phraſi, *in principio*, tum enim initium fuit temporis.

24. Coëxiſtit etiam locus, hoc eſt certum ſpatium: quo creaturæ extenſo definitur. *Gen.* 1. 22

25. Hæc autem non ſunt propriè creata, ſed concreata, vel rebus creatis annexa: quia non habent entitatem abſolutam, ſed relativam ſolum.

26. Quia Deus creauit omnia ex nihilo; idcircò fides noſtra acquieſcit in ipſo contra ſpem, ſub ſpe, de ijs, quæ non ſunt, ac ſi eſſent. *Rom.* 4. 17, 18.

27. Creatio mundi diſtribuitur ſecundum partes mundi: quamvis enim mundus unus ſit, unitate aggregationis, ordinis ac finis; partibus tamen conſtat, non ſolum ſecundum ſitum, verum etiam ſecundum eſſentiam, & exiſtentiam, diſtinctis.

28. Creatio autem harum partium mundi non fuit ſimul, & uno momento, ſed peragebatur per partes, ſibi invicem ſex dierum interſtitijs ſuccedentes.

29. Creatio

29. Creatio igitur eſt partium mundi vel immediatè perfectarum, vel mediatè. *Pſal*33. 6. *Heb*.11.3. *Gen*. 2.7,19,22.

30. Creatio rerum immediatè perfectarum eſt, qua res factæ ſunt principijs primum ipſis ingeneratis, tam materiali, quam formali, idque in exiſtentia completa.

31. Hinc iſtæ creaturæ nulli eſſentiali mutationi ſunt obnoxiæ per ſe, ut generationi, vel corruptioni.

32. Patres immediatè perfectæ ſunt Cœlum ſupremum, & illius Incolæ, Angeli.

33. Cœlum ſupremum eſt ſanctitatis Dei habitaculum, repletum omnibus, quæ pertinent ad beatitudinem æternam; ubi ſe, quaſi facie ad faciem, conſpiciendam præbet Majeſtas Dei, 1. *Cor*.2.9. *Apoc*.21.23. 1 *Cor*.13.12.

34. Dicitur Cœlum tertium, Empyreum, Cœlum Cœlorum, & Paradiſus, 1. *Reg*.8.27. *Matth*. 18.10. *Marc*.12.25. 2. *Cor*.12.2,4.

35. Hoc Cœlum intelligitur. *Gen*. 1.1. *Heb*. 11.10,16.

36. Angeli ſunt Spiritus primariæ perfectionis, ad miniſterium Dei creati.

37 Quod creati fuerint Angeli apparet, *Col*. 1.16. *Pſal*.148. 5. Quod ſint primo die cum Cœlo ſupremo creati, apparet, 1. Ex ſimilitudine naturæ, quam habent. 2. Quod in cæterarum rerum creatione dicuntur quaſi applauſiſſe Deo. Iob, 38.7,3. Quod ſint Spiritus. *Hebr* 1.14. *Luk*.24.39. Miniſtratores Dei, *Heb*. 1.7.14. Primariæ perfectionis & natura immortales, *Luc*.20.36.

38. Hinc Angeli ſumma rationis perſpicacitate

tate ſic excellunt, ut quaſi undique oculati dicantur, ſtatim vdentes quid Deus velit ab ipſis fieri, & quomodo ſit faciendum: Voluntatis libertate, ut officijs fungantur ſedulo. *Pſalm.* 103. 20. Virium perfectione, ut robore valeant magna præſtandi, 2. *Pet.* 2. 11. Agilitate ſumma, ut quaſi alati, celeriter expediant quod habent in mandatis. *Ezech.* 1. 6.

39. Miniſterium eorum eſt, gloriam Dei celebrare, & exequi ejus mandata. *Pſalm.* 103. 20. Præcipuè vero circa illos, qui hæredes futuri ſunt ſalutis æternæ. *Heb.* 1. 14. *Pſal.* 91. 11. & 34. 8.

40. Conditi ſunt integri, in ſanctitate & juſtitia. *Luc.* 9. 26. *Joh.* 8. 44. *Judæ.* 6. 2. *Pet.* 2. 4.

41. Sunt numero plurimi, uſque ad myriadas myriadarum, *Dan.* 7. 10. *Heb.* 12. 22. *Math.* 26. 53. Diſtinguuntur inter ſe, reſpectu officiorũ & objectorum, circa quæ verſantur. *Eph.* 1. 21. & ſubſunt imperio Dei, & Chriſti ſolius.

42. Ex creatione agnoſcitur Deus, ſed non Deus Pater, Filius & Spiritus S. quoniam vis illa efficiens, qua mundus fuit creatus, pertinet ad eſſentiam Dei, non ad ſubſiſtentiam ejus perſonalem.

43. Creatio partium mundi mediatè perfectarum eſt, qua factæ ſunt res ex principijs præexiſtentibus.

44. Hinc iſtæ creaturæ ſunt obnoxiæ mutationi, & corruptioni.

45. Res iſtæ mediatè perfectæ duplicem habuerunt exiſtentiam, rudem & incompletam primo, & tum poſtea completam, diſtinctam, & ornatam.

46. Rudis

46. Rudis & incompleta rerum exiſtentia fuit in maſſa illa, quæ in principio creata fuit informis, inanis, & tenebris involuta, quæ dicitur terra, aquæ, abyſſus.

47. Informis dicitur, non quia nullam habuit formam; ſed quia neque formoſitatem, & ornatum, neque actum completum habuit earum formarum, quæ ex illa poſtmodum erant emerſuræ.

48. In conſtitutione exiſtentiæ rerum completæ, duo præcipuè ſpectanda ſunt, nempè modus & ordo.

49. Modus conſtitutionis quatuor continet. I. Mandatum Dei rem quamque producens. *Eſto, vel Fiat hoc, aut illud:* in quo elucet Dei potentia, quod ſolo verbo aut voluntate fecit omnia. *Pſal.* 33.9. *Pſal.* 115.3. II. Approbationem, eandem rem productam ut bonum agnoſcentem: *Vidit Deus eſſe bonum.* Hinc elucet bonitas Dei, quod omnia produxit ad finem & uſum bonum, *Pſal.* 19.2. III. Ordinationem, eidem rei ſuum uſum aſſignantem, *Eſto in hunc aut illum finem.* Hinc elucet Dei ſapientia, quo ſingulis rebus creatis ſingulares ſuos uſus aptiſſima ratione aſſignavit. *Jer.* 10.12. & 51.15. *Fecit terram virtute ſua, ſtabilivit orbem habitabilem ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.* IV. Sanctioné legis, atq; ordinis, in illa re perpetuo obſervandi, quæ conjungitur cum ordinatione. Hinc elucet Dei conſtantia, quod non in dies, aut annos aliquot, ſed ad finem uſque mundi, ſingulas creaturas voluit ſuum ordinem obſervare.

50. Quatuor hæc ſingulatim non exprimuntur in quibuſdam rerum generibus: quia imperfectio

fectio earum ex aliarum rerum perfectione pendet: communi tamen ratione æquè omnibus conveniunt.

51. Ordo constitutionis talis fuit: die primo, post cœli supremi, Angelorum & informis massæ productionem, subtilissima illius massæ parte sursum evocatâ, facta fuit lux, id est, ignis lucens.

52. Die secundo, ex parte illa, quæ ad priorem subtilitate proximè accedebat, factus fuit aër.

53. Die tertio, crassiores partes massæ ita distributæ fuerunt, ut aquis, ex parte longè maxima, in conceptacula sua collectis, seorsim extiterit mare, & terra compareret herbis & arboribus ornata.

54. Die quarto, Luminaria cœli facta sunt an lucem super terram deferendam.

55. Die quinto, producti sunt pisces & aves, aquæ & aëris incolæ.

56. Die sexto, animantia omnia terrestria: primum bruta, & tum postea homo: atque ita perfecti sunt cœli & terra, omnisque exercitus illorum.

57. In istoc ordine elucet maximè Dei sapientia, potentia & bonitas.

58. Sapientia 1. Quod elementa simplicia prius creata sint quam elementaria, vel concreta & composita. 2. Quod in simplicibus prius perfectiora, quæ propius accedunt ad naturam Dei. 3. Quod illa prius sint creata, quæ tantum habent esse; tum illa quæ Præter esse, habent etiam vivere: postea illa quæ præter esse & vivere, habent etiam sentire: tum demum illa, quæ præter esse, vivere, & sentire, habent etiam rationem. 4. Quod in simplicibus, à

per-

perfectioribus, ad imperfectiora fuit progressus: sed in compositis, ab imperfectioribus, ad perfectiora, à plantis, ad hominem.

59. Potentia Dei elucebat, eo quod plantas, herbas, arbores prius creavit, quàm solem, & astra, quæ vim causarum habere solent in eorum productione.

60. Bonitas Dei elucebat, quòd prius domicilia quàm incolas, prius pabulum quàm animalia, prius illa quæ homini forent usui, quàm hominem ipsum creavit.

61. Homo prout ultima fuit creaturarum, sic fuit creaturarum omnium, tam immediatè quàm mediatè perfectarum compendium, earum naturam participans quoad animam, & harum quoad corpus.

62. Meditatè perfectarum fuit finis, atque adeò in illis, & supra illas, quoad intentionem spectatus.

63. Hinc alio modo creatus dicitur quam cæteræ creaturæ. Illæ enim per solum verbum productæ fuerunt: *Esto lux, esto expansum.* Homo autem quasi consilio, & deliberatione majori: *Faciamus hominem*, Genes. 1. 16.

64. Corpus enim prius fuit præparatum, & postea anima inspirabatur. *Gen.* 2. 7. Corpus ex materia elementari: Anima vero ex nulla materia præexistente, sed per potentiam Dei immediatè producebatur.

65. Præstantia hominis in eo præcipuè ponebatur, quod imaginem Dei gerebat.

66. Ad rationem imaginis tria requiruntur. I. Vt sit similis. II. Vt sit expressa & effigiata ad imitationem alterius rei tanquam exempla-

ris. III. Vt iſta ſimilitudo ſit vel in natura ſpecifica, vel in nobiliſſima ejus perfectione.

67. Hinc eſt, quod in inferioribus creaturis, imago Dei proprié non reperitur, ſed umbra & veſtigium tantum.

68. In homine vero propria ratio imaginis reperitur: non tamen perfecta, qualis eſt in Filio Deiſolo *Col.* 1.15. *Hebr.* 1.3. Sed imperfecta, non privativa imperfectione, ſed negativa.

69. Imago hæc igitur eſt conformitas hominis, proſuo modulo, ad ſummam Dei perfectionem.

70. Imago hæc tota fuit homini naturalis, ſed alia & alia ratione, partim enim fuit ipſa natura hominis, partim fluebat ex principjis & perfectione naturæ, & partim fuit naturæ aliquo modo debita.

71. Imago Dei in homine fuit partim interna, partim externa. Interna, eſt perfectio corporis & animæ.

72. Corporis perfectio eſt qua fuit abſolutè comparatum ad decus & uſum divinæ voluntati congruentem. *Gen.* 2.25. *Rom* 6.13.

73. Animæ perfectio fuit, qua erat immortalis naturæ, non ſolum facultatibus, quibus liberum principium eſſet ſuarum actionum, intellectu & voluntate, ſed etiam donis ornata, quibus ad benè vivendum potens, & aptus homo reddebatur; ſapientia nempe, ſanctitate & juſtitia. *Eph.* 4.24. *Col.* 3.10.

74. Externa perfectio hominis fuit imperitum in creaturas alias, quo uti illis liberrimè potuit, ad Dei gloriam, & ſuam neceſſitatem. *Gen.* 1.26. & 2.19,20.

75. Hinc

75. Hinc demandata fuit illi terræ cultura, & cibi procuratio ex plantis terræ, *Gen.*2.25.

76. Hinc animalium ad ipsum accessus, tanquam ad dominum, & indita ijs nomina ab ipso, tanquam à Domino, *Gen.*2.19.

77. Hinc collocatus fuit in horto Edenis, vt in regia sua, *Gen.*2.19.

78. In istis omnibus coniunctim perfectio hominis fuit completa, & ex illa resultabat imago quædam Dei vel perfectionis divinæ.

79. Creatio hæc hominis fuit maris & fœminæ, utriusque quoad animam ex nihilo. Maris quoad corpus ex terra cæteris elementis intermixta. Fœminæ ex viro, propter virum, ne quid ipsi deesset ad suum benè esse, *1.Cor.*11.8,9.

80. Ex creationis consideratione fides nostra adscendit supra omnem ordinem naturæ, & *lucem gloriæ Dei apprehendit in facie Iesu Christi præbendam, quia Deus est is qui dixit ut è tenebris lux splendesceret.2.Cor.*4.6.

CAP. IX.

De Providentia.

1. PRovidentia Dei, est efficientia illa, qua creaturis jam existentibus prospicit in omnibus, secundum consilium suæ voluntatis.

2. Hæc Providentia extenditur ad omnia, non solum quoad communia, sed etiam quoad propria: *Psal.* 145. 15, 16. *Prov.* 16. 9, 33. *Exod.* 21. 13. à nulla causâ propriè determinata, sed omnes causas determinans, & hinc suo modo est omnium causa & vniversalis, & particularis.

3. Providentia Dei eſt vel *immediata*, qua Deus per ſemetipſum ut cauſa abſolutè ſolitaria proſpicit rebus, vel *mediata*, qua medijs adhibitis proſpicit.

4. Immediatè Deus omnia operatur quæ fiunt, tum ratione *virtutis*, reſpectu omnis *entitatis*, quæ reperitur in effecto (virtus enim Dei attingit omne effectum. *Deut.* 8. 3. *Eſa.* 28. 26.) tum ratione *ſuppoſiti*, reſpectu illius *eſſe* quod habet, qua eſt ens: Id enim in omnibus etiam operatur Deus ipſe qui immediatè, & intimè, ſemper, & ubique adeſt.

5. Reſpectu tamen eorum, in quæ agentia ſecunda influunt, virtute ſuæ propriæ formæ, Deus non dicitur agere immediatè, ſed mediatè, quoniam agit etiam mediantibus ſuppoſitis, ac virtutibus cauſarum ſecundarum.

6. Deus igitur medijs utitur, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis: ut ſcilicet dignitatem aliquam efficientiæ creaturis etiam communicaret, & in illis efficientiam ſuam redderet magis perceptibilem. 1. *Sam.* 14. 7. *Non eſt Jehovæ impedimentum, quin ſervet multis, aut paucis.* Hinc ſæpè Deus medijs illis utitur ad effecta nobiliſſima producenda, quæ ex ſeſe nullam habent aptitudinem ad iſtiuſmodi effecta, 1. *Cor.* 1. 27, 28. *Amos* 5. 9. 2. *Chron.* 24. 24. ſæpè etiam aptiſſima media reddit inefficacia. *Pſal.* 33. 16. & 127, 1, 2. *Hoſ* 4. 10.

7. Hinc fides noſtra non reſpicit propriè media illa quibus Deus utitur, neque pendet ex illis, ſed ex Deo ſolo, qui vel per media vel ſine medijs, neceſſitatibus omnibus noſtris ſuccurrere

rere poteſt, prout ipſi videtur. *Dan.* 3. 17. *Deus noſter quem nos colimus, potens eſt, ad eripiendum nos à fornace ignis accenſa, & à manu tua, ô Rex.*

8. Providentia Dei eſt, vel ordinaria & uſitata, vel extraordinaria & inuſitata.

9. Ordinaria providentia eſt, qua Deus obſeruat ordinem in rebus à principio ſtatutum. Cujus quidem ordinis ratio poſtulat, vt certum aliquid antecedat, & ex illo poſito, aliud aliquod certum conſequatur. *Hoſ.* 2. 22. *Exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram, & terra exaudiet frumentum, & muſtum, & oleum; & iſta exaudient Iſraelem.*

10. Ordo iſte in rebus naturalibus eſt. *Lex naturæ* omnium rerum communis, vel ipſa *rerum natura, prout certo ordine firmatur*, proveniens à vi & efficacitate illius nunquam irriti verbi à Deo in principio adhibiti: *Fiat, eſto, ſit ita*, quod futuri exprimens rationem, perpetuitatem, & conſtantiam indicat, atque ſua virtute omnia efficit, quæ de ijſdem rebus ordinariè fiunt. *Ier.* 31. 35, 36. *Statuta lunæ, & Stellarum, &c.* & 33. 20. *Fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte.*

11. Providentia extraordinaria eſt, qua Deus providet rebus ultra ordinem earum ſolitum, & ſtatutum, quo quidem modo quicquid efficitur, per Metonymiam effecti, dicitur *Miraculum.*

12. Miraculum eſt operatio ſupra ordinem conſtitutum, unde miracula vera ſemper atteſtantur omnipotentiæ facientis. Hinc Deus ſolus eſt author verorum miraculorum.

13. Miraculorum homines poſſunt eſſe cauſſæ morales, quatenus à Deo hoc impetrant ut ipſe facia; vel quatenus Deus utitur ipſorum

opera

opera, tanquam ſigno, vel indicio miraculi ab ipſo faciendi: non poſſunt tamen eſſe cauſæ realiter efficientes, ne inſtrumentales quidem, multo minus principales.

14. Providentia Dei eſt, vel conſervatio, vel gubernatio.

15. Conſervatio eſt, qua Deus perſiſtere facit res omnes, & univerſales & ſingulares, tam quoad eſſentiam & exiſtentiam, quam quoad vires, *Pſal.* 104. 19, 20. *Act.* 17. 27. *Heb.* 1. 3. Quæ à Scholaſticis non ineptè vocatur *Manutenentia* Dei, quia per eam Deus omnia ſuſtentat quaſi manu ſua.

16. Conſervatio hæc neceſſario intercedit inter creationem rerum & creaturarum gubernationem: quia quicquid creatur, ad aliquem finem & uſum creatur, ad quem etiam debet dirigi, & gubernari: finem vero iſtum non poteſt attingere, neque ad eum dirigi, niſi in *eſſe* continuetur, aut conſervetur.

17. Conſervatio Dei eſt neceſſaria creaturæ, quoniam creatura omnimodò pendet à Creatore, non tantum quoad *fieri*, ſed etiam quoad *eſſe*, *exiſtere*, *permanere*, & *operari*: ita ut omnis creatura rediret in illud nihilum ex quo facta fuit, ſi Deus illam non ſuſtentaret, et ipſa ceſſatio divinæ conſervationis, ſine ulla alia operatione, redigeret ſtatim quamlibet creaturam in nihilum. *Pſal.* 104. 29. *Te abſcondente faciem tuam conturbantur, recipiente ſpiritum eorum exſpirant, & in pulverem ſuum revertuntur.*

18. Quædam conſervantur immediatè, quæ nempè ſubjiciuntur ſoli Deo. Hæc conſervatio cum creatione *re ipſa* eſt eadem, differens *ſola ratione*,

ratione, eo quod creatio novitatem quandam includit, quam conſervatio excludit, & exiſtentiam præcedentem excludit, quam conſeruatio includit: ita ut nihil aliud ſit iſta conſervatio, quam quaſi creatio continuata, ideoque conjungitur cum creatione. *Neh. 9. 6. Tu feciſti, & tu conſervas hæc omnia.*

19. Gubernatio eſt, qua Deus omnes creaturas ad proprios fines dirigit ac perducit. *Pſal. 29. 10 Sedet Iehova rex in ſeculum*

20. Gubernatio rerum debet eſſe à Deo. Finem enim ad quem creatæ fuerunt, niſi eadem vi regerentur, qua ſunt creatæ, nunquam certo aſſequerentur: & ab imperfectione provenit in artifice, dum opus quod fecit, alteri poſtea dirigendum relinquit.

21. Gubernatio hæc includit intrinſecè non ſolum rationem mediorum convenientium ad finem, ſed etiam ipſorum efficaciam certam, vel aſſecutionem ipſam. Ordo igitur hujus gubernationis eſt *certus, immobilis*, & *indiſſolubilis*, ita ut ab omni ordine gubernationis creatura non poſſit ſe toraliter ſubtrahere, quamvis ab ejus ordine particulari declinare poſſit, *Gen. 50. 20.*

22. Gubernatio eſt, *communis*, vel *ſpecialis*.

23. Communis eſt, qua Deus omnia ſimili modo gubernat. Ad hanc gubernationem pertinet, Primo, *Lex naturæ omnium rerum communis*: quæ eſt participatio quædam legis, & voluntatis divinæ, rebus omnibus à principio indita. *Job 38. 12. An vnquam præcepiſti matutino tempori? notũ feciſti auroræ locum ſuum? &c.* Secundo, *inclinatio naturæ*: quæ eſt principiũ agendi ſecũdum illam legẽ *Job 5. 7. Filij pruinæ exultant volare.*

Tertio,

Tertio, *instinctus naturalis*: qui est peculiaris instigatio animalium, ad actus quosdam nobiliores, cum specie quadam, aut vestigio rationis. *Prov. 6. 6. Abi ad formicam, ô piger, aspice vias ejus, & sape. Et 30. 24. Quatuor ista sunt parva, humilia; tamen sunt sapientia, apprime sapientia, formicæ, mures, locustæ, araneæ.* Ierem. 8. 7. *Ciconia, turtur, grus, & hirundo observant tempora aduentus sui.* Quarto, *Potentia quædam obedientialis*, qua omnes creaturæ aptæ sunt ad imperio Dei parendum. *Psal.* 103. 21. *&* 148. 8. *Facientes placitum ejus, efficientes verbum ejus.*

24. Elucet ista gubernatio in omnium rerum operatione. *Primo*, quod spectent semper certum aliquem finem; atq; adeo necesse est, ut agantur, & regantur ab intelligentia ubique præsenti, & omnipotenti, id est, a Deo ipso. *Job* 38. 27. *Demittendo pluviam, ut satiet vastatum locum, efferatque produxionem teneræ herbæ.* Iesl. 55. 10. *Pluvia facit vt terra edat semen satori, & panem comedenti. Secundo*, quod tam accuratè ordinentur opera naturæ, & rationi consentaneè, ut non possint non proficisci à summa ratione. *Prov.* 30. 25, 26, 27, 28. *Tertio*, quod præter ordinationem propriam, qua singula suam perfectionem quærunt, communem quasi societatem colunt, & omnia totius vniversi conservationem magis appetunt, quam suimet ipsorum: ut videre est, in gravibus illis, quæ feruntur sursum, ad vacuum vitandum.

25. Gubernationis hujus vi, causæ omnes secundæ, *aliquo modo prædeterminantur, id est*, 1. *excitantur* ad agendum per influxum, aut motionem præviam, quatenus ad producendum illud

illud in actum, quod antea fuit in potentia creaturæ (præter communicationem virtutis, & ejusdem sustentationem) tale quid necessario requiritur. 2. *applicantur* ad objectum certum, circa quod in agendo versantur. *Ezech.* 21. 21, 22, *&c.* 2. *Sam.* 16. 10. Ejusdem etiam gubernationis vi, *ordinantur*, id est, 1. Limites ac termini actioni statuuntur, *Iob* 1. 12. *&* 2. 6. *&* 38. 10. 2. Boni aliquid ex eadem elicitur. *Genes.* 50. 20.

26. Quia exercitium virtutis, quæ est in creaturis, pendet ex Dei voluntate; hinc in Deum solum confidimus, non in creaturas illas, per quas Dei benignitas in nos derivatur.

CAP. X.

De Gubernatione speciali, circa creaturas intelligentes.

In superiore disputatione fuit gubernatio communis: sequitur nunc specialis.

1. SPecialis gubernatio est, qua Deus rationales creaturas singulari modo gubernat.

2. Differentiam facit singularis creaturarum istarum conditio. Cum enim aliquo modo sint immortales, & ad imaginem Dei creatæ, atque intrinsecum principium suorum actuum habeant à consilio, idcircò gubernandæ sunt ad statum æternum, vel felicitatis, vel infelicitatis, idque consilio & libertati congruenter.

3. Realem tamen illam rationalis creaturæ guber-

gubernationem, quæ communis est creaturarum omnium, hæc specialis non concludit, sed ad eam accedit.

4. Moralis hæc gubernatio consistit in docendo, & implendo secundum illud, quod antea docuit. *Mich.* 6. 8. *Indicavit tibi ô homo, quid sit bonum &c.* Deut. 30. 15. *Vitam ac bonum. mortem ac malum.* Huc propriè pertinet voluntas illa Dei revelata, quæ agendi regula est rationali creaturæ quoad mores.

5. *Docendo* Deus gubernat, partim legem ferendo, partim eandem sanciendo.

6. Lex fertur præcipiendo, & prohibendo.

7. Sancitur promittendo, & comminando.

8. *Implendo* gubernat Deus, cum illa quæ docuit præstat. *Jerem.* 32. 19. *Oculi tui aperti spectant in omnes vias hominum, ut des cuique secundum vias ipsius, & secundum fructū actionū ipsius.*

9. Ex speciali ista, ac propria ratione gubernādi creaturas rationales existit fœdus illud, quod est inter Deū & ipsas. Est enim fœdus hoc quasi transactio quædam Dei cum creatura, qua Deus *præcipit, promittit, minatur, implet,* & creatura Deo stipulanti suum obstringit obsequiū. *Deut* 26. 16, 17, 18, 19. *Hodierno die Jehova Deus tuus præcipit tibi, &c. A Iehova stipulatus es sponsionē hodie, &c. Jehova vero stipulatus est sponsionē à te hodie, &c. tū ut efficiat te sublimē, &c. tū ut sis populus sanctus.*

10. Quia autem hæc fœderis ineundi ratio non est inter eos, qui sunt paris juris, sed inter dominum & servum, idcirco pertinet ad gubernationem. Vndè etiam maximè propriè dicitur non fœdus hominis, sed Dei, qui ejus autor est, & executor primarius, *Deut.* 8, 17, 18. *Ut præstet fœdus suum.*

11. Vi

11. Vi hujus fœderis moralia opera creaturæ intelligentis dum eſt in via, reſpectum ſemper habent, vel ad felicitatem, ut præmium, vel ad infelicitatem, ut vindictam; ſed in hac eſt meritum, in illo non item.

12. Hinc boni operis, & peccati propria & ultima differentia fluit, nimirum, quod bonum opus ſit operatio expectans felicitatem ab alio per modum præmij: ſicut per ejus oppoſitam privationem, opera mala, redduntur in ſuo genere ſummè mala.

13. Hinc exoritur vis & ratio conſcientiæ, quæ eſt judicium intelligentis creaturæ de ſemetipſa, prout ſubijcitur Deo.

14. Specialis gubernatio creaturæ rationalis eſt Angelorum, & hominum.

15. Specialis gubernatio Angelorum eſt, vel preſcriptio ſpecialis, vel ordinatio eventus indè ſequentis.

16. Lex hæc eadem fuit quoad ſubſtãtiam cum lege illa morali, quæ in Decalogo continetur.

17. Illa tamen in Decalogo ſunt excipienda, quæ vel corporis humani naturam, vel hujus mortalis vitæ conditionem ſpectant, quæ in ipſis non habent locum: ut, multa de propagatione ad ſeptimum præceptum pertinentia, *Math.* 22.30. Item multa ad quintum præceptm ſpectantia, de ſubjectione inferiorum erga ſuperiores: item nonnulla ad octavum præceptum pertinentia, de cujuſque in vocatione ſua victus acquiſitione: denique multa officia ſecundi & quarti præcepti hominibus præſtanda.

18. Ordinatio eventus fuit in quibuſdam præſeruatio ad perſiſtentiam in obedientia.

Hinc

Hinc in bono fuerunt confirmati, & beatitudine plena donati, ita ut immutabiliter adhæreant Deo cum obedientia perfecta & plenitudine gloriæ. Vnde isti Angeli dicuntur *electi*. 1. *Tim*. 5. 21. *Boni & sancti*, *Luc*. 9. 26. *Beati* etiam & *Angeli lucis*. 2. *Cor*. 11. 14.

19. In alijs ordinatio eventus fuit permissio, undè illi libertate sua abutentes, in apostasiam ruebant.

20. Hinc ab eo tempore obstinati sunt in malo, & ad miseriam summam damnati. *Jude* 6. 2. *Pet*. 2. 4. Vndè etiam *Angeli mali*, *spiritus impuri*, *& Angeli tenebrarum* appellantur, *Luc*. 8. 2. *& 9*. 42.

21. In ordinatione ista differenti, elucet manifestè quorundam Angelorum electio, & aliorum reprobatio ex libero Dei consilio & beneplacito.

22. De tempore lapsus Angelorum constat tantùm, eum antecessisse lapsum Adami.

23. De genere peccati, quod primò fuit ab ipsis admissum, maximè verisimile est fuisse superbiam.

24. De pœna Scriptura testatur, quod maximo gradu adhuc non sit inflicta, sed in fine mundi infligenda. *Matt*. 25. 41. 1. *Cor*. 6. 3.

Sic fuit gubernatio Angelorum:
sequitur hominum.

25. In speciali gubernatione hominum duo item sunt observanda, ut in gubernatione Angelorum; nempè præscriptio legis, & ordinatio eventus indè secuturi: omnium tamen

in

in utraque parte non eſt eadem ratio.

26. In præſcriptione legis ſimilis eſt ratio. 1. in eo, quod lex præſcripta hominibus & Angelis eadem fuit quoad eſſentiam: moralis nempè, cujus ſumma eſt in Decalogo. 2. in eo, quod inſcripta fuit cordi per modum habitus, in quo prima ratio conſcientiæ collocatur, quæ dicitur συντήρησις. Rom. 2. 15.

27. Diſſimilitudo vero & differentia eſt varia. Nam 1. Principia quidem hujus legis ſunt communia Angelis cum homine, ſed ſecundariæ deductiones multæ hominum tantum ſunt propriæ: ut de parentibus, conjugio, cibis, & ſimilibus.

28. 2. Cum homo natura ſit imperfectior Angelis, adeoque majori egeat inſtructione & exercitatione, idcirco poſitivum quid acceſſit ad legem naturæ, ejuſdem aliàs rationis cum ipſa: ut, diei ſeptimi ſanctificatio.

29. 3. Quia homo in iſtac vita animali intelligit per ſenſus, atque adeo à ſenſibilibus ad intelligibilia & ſpiritualia quaſi manu ducitur, idcirco ad legem iſtam ſpiritualem homini adjuncta ſunt externa ſymbola & ſacramenta, ad eam illuſtrandam & confirmandam. In hiſce autem ſymbolis & lex quædam ſpecialis ac poſitiva continebatur, & obedientiæ generalis profeſſio erga legem naturæ prius inditam, & etiam ſanctionis illius ſolennis confirmatio, quæ ex promiſſionibus & comminationibus conſtabat.

30. 4. Quia Adam fuit principium generis humani, ex quo omnes homines erant progignendi, idcirco lex ipſi poſita eſt, non ut perſonæ uni

uni privatæ, ſicut factum eſt in Angelis, ſed etiam ut publicæ, vel capiti naturæ humanæ, à quo omne bonum ac malum ad ſuos poſteros fuit derivandum, *Act.* 17.26. *Rom.* 5.18,19. 1. *Cor.* 15.21,22.

31. 5. In legis hujus ſanctione continebatur promiſſio animalis vitæ continuandæ, & exaltationis poſtea ad ſpiritualem, necnon comminatio mortis corporalis, quæ in Angelis nullum locum habuerunt.

32. Hac interpretatione adhibita, lex verbis Dei cum homine in creatione fuit, *Fac hoc, & vives: ſi non feceris, morte morieris:* en quibus verbis primo cõtinetur præceptum, *Fac hoc.* 2. Promiſſio connexa, *ſi feceris, vives.* 3. Similis comminatio, *Sinon feceris morte morieris.*

33. Huic fœderi duo ſymbola vel ſacramenta fuerunt adjuncta: quorum uno præmium obſignabatur obedientiæ debitum, *arbore* ſcilicet *vitæ* & altera pœna inobedientiæ, *arbore* nempè *ſcientiæ boni & mali:* illud fuit ſacramentum vitæ, hoc mortis.

CAP. XI.

De hominis Apoſtaſia.

Superiori Diſputatione de parte prima ſpecialis gubernationis hominum, quæ conſiſtit in præſcriptione legis, actum eſt: pars altera ſequitur in ordinatione eventus.

1. IN ordinatione eventus quoad homines, duo ſunt conſideranda, ἀπόστασις & ἀνάστασις. *Defectio & reſtitutio* hominis, *Rom.* 5.19. 1. *Cor.* 15.21.

2. In

2. In Angelis fuit quorundam præſervatio, aliorum, apoſtaſia, ſed Apoſtatarum nulla ἀνάστασις vel reſtitutio: In homine vero & præſervatio & apoſtaſia ſimul eſſe non potuit: quia homines omnes in uno Adamo tanquam in principio, radice & capite creabantur: in uno autem & eodem Adamo non potuerunt homines quidam à lapſu præſervari, & alij labi.

3. In Angelis nulla fuit ἀνάστασις vel reſtitutio. 1. Quia prolapſi ſunt ab altiſſimo ſublimitatis faſtigio. 2. Quoniam in Angelorum lapſu non tota angelica natura perijt: ſed primo homine peccante, totum humanum genus perijt.

4. Apoſtaſia hominis eſt lapſus ejus ab obedientia Dei debita, vel Tranſgreſſio legis, à Deo præſcriptæ.

5. In hac duo ſunt conſideranda: 1. Tranſgreſſionis perpetratio. 2. Ejuſdem propagatio.

6. Tranſgreſſionis perpetratio conſummata fuit in eſu fructus arboris prohibitæ, quæ dicta fuit arbor ſcientiæ boni & mali: ſed hujus inobedientiæ primus motus ac gradus neceſſario antecedebat externum illum actum comeſtionis: ita vt rectè dicere liceat, hominem fuiſſe peccatorem, antequam externum illum actum comeſtionis perfecerat. Vndè etiam ipſe appetitus, quo ferebatur Eva verſus fructum prohibitum, notari videtur quaſi gradus aliquis peccari *Gen. 3. 6. Quum videret mulier, bonum eſſe fructum arboris illius in cibum, & gratiſſimam eſſe illam oculis, ac deſiderabilem eſſe arborem fructum ad habendum intelligentiam, accepit, & comedit.*

7. Primus igitur motus & gradus hujus inobedientiæ, fuit inordinatus appetitus excellentiæ

lentiæ alicujus per elationem animi: quam ut assequi posset, posthabito Dei interdicto, per infidelitatem, experiri voluit, an fructus ille vetitus vim aliquam haberet excellentiam talem conferendi.

8. Hinc hujus peccati gravitas, quod non solum superbiam, ingratitudinem & infidelitatem in se continebat: sed etiam per violationem sacramenti illius maximè solennis, præ se ferebat quasi professionem inobedientiæ generalem, & fœderis totius contemptum. Quæ omnia etiam eo fuerunt atrociora, quo perfectior fuit conditio peccantis.

9. In Transgressionis hujus perpetratione, duo sunt consideranda, causæ, & consequentia ejus.

10. Causarum una principalis, aliæ adjuvantes.

11. Causa principalis fuit ipse homo per liberi arbitrij sui abusum. *Eccl.* 7. 29. Acceperat enim illam justitiam, & gratiam, per quam poterat persistere in obedientia, si voluisset. Illa justitia & gratia non fuit ipsi detracta, antequam peccaverat; quamvis gratia illa corroborans & confirmans, qua peccandi actus fuisset actu impeditus, & contrarius obedientiæ elicitus, non fuit ipsi concessa, idque certo, sapienti, & justo Dei consilio. Deus igitur nullo modo fuit causa lapsus: neque imposuit homini peccandi necessitatem: sed homo sua sponte liberè deficiebat à Deo.

12. Causæ adjuvantes fuerunt Diabolus & Mulier.

13. Diaboli primum peccatum fuit superbia.

Ex

Ex ſuperbia ſtatim ſequebatur invidia erga Deum, & Dei imaginem in homine. Quia enim inordinatam excellentiam affectando ordinatam amiſerat, idcirco de aliorum excellentia dolebat, & ad eam oppugnandam malitioſè ferebatur. Diabolus autem non fuit cauſa cogens, neque ſufficientis, directæ, neceſſariæ, vel certæ efficaciæ, in iſtoc peccato procurando: ſed conſulens tantum & ſuadens tentando, undè etiam Tentatoris nomen habet. *Matth.* 4. 3.

14. Tentatio Diaboli eſt fallacia vel argumentatio ſophiſtica: quâ ſub ſpecie veri & boni, ſeducere conatur ad falſum; & inducere in malum.

15. In iſta tentatione, bonum, quod propoſuit & quaſi promiſit, oſtendebatur quaſi ſummum: medium adhibendum ad bonum illud aſſequendum, proponebatur quaſi facile ac leve: malum illud maximum, quod imminebat, fuit occultatum.

16. Similem planè rationem inire ſolet Diabolus in omnibus ſuis tentationibus, quibus generi humano inſidiatur; in hac tentatione tamen ſingulare quoddam artificium eſt obſervandum, quod varias aſtutias complectitur, eaſque valdè ſubtiles.

17. Earum prima fuit, quod ſerpentem elegit pro inſtrumento, qui naturalem quandam aptitudinem habuit, quia Diabolus novit abuti.

18. Secunda aſtutia fuit, quod cum fœmina egit. 1. *Tim.* 1. 13. an vero præſente, vel abſente viro, ſcriptura tacet.

19. Tertia aſtutia fuit, quod nihil primo ſermone ſtatuebat: ſed tantum mulieri quæſtionem

quam

quandam propoſuit, quaſi inicius iſtarum rerum. *Etiamne dixiſſe Deum?*

20. Quarta, quod quæſtio ejus multiplicem in ſeſe habuit ambiguitatem. Sic enim intelligi potuit, ut non rogaret de mandato Dei, ſed de ſenſu vel ſententia illius mandati, ab homine forſan non ſatis intellecti. Si de mandato ipſo intelligatur quæſtio, tum videri potuit rogaſſe, an Deus interdixiſſet ipſis, ne de ullius omnino arboris fructu comederent: vel, prout mulier ipſa reſpondit, an interdixiſſet ipſis unius illius arboris uſu, atque adeo omnium ſimpliciter non feciſſet ijs copiam.

21. Quinta, quod mandato Dei per quæſtionem illam prius in dubium vocato, ſanctionem ejus vel comminationem adjunctam, apud nutantem fœminam tam artificioſè elevabat, ut vel veritatem vel ſaltem neceſſitatem ejus negaret.

22. Sexta, quod poſt mandati & ſanctionis ejus infirmationem, prædictionem planè contrariam opponit.

23. Septima, quod ad illam prædictionem confirmandum, & Dei nomine abutitur, & nomine, quod arbori Deus impoſuerat. *Gen. 3. 5. Novit Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos ſe oculos veſtros, & vos fore ſicut Deos, ſcientes boni & mali.*

24. Hinc Diabolus dicitur ſerpens, mendax, ſeductor, homicida. *Apocal. 12. 9. Joh. 8. 44. Apoc. 20. 10.*

25. Cum hac tentatione Diaboli conjuncta fuit tentatio Dei, qua negotium iſtud ſic ordinavit, ut manifeſtum inde fieret quid eſſet in homine.

mine. Hæc autem Dei tentatio, neque mala fuit, neque ad malum.

26. Tentationes istas sequebatur tertia: hominis nempè erga Deum, qua experimentum quodāmodo sumpsit gratiæ ac veritatis divinæ: periculum scilicet faciens, an Deus vellet ipsum conservare, quamvis non adhæreret ipsi, vel an certo facturus esset, quod erat interminatus.

27. Illam quarta comitabatur tentatio Evæ, nempè erga seipsam, qua tentationem vel suggestionem Diaboli in se recepit, & sibimet applicavit ad ruinam.

28. Ex illa oriebatur quinta, qua mulier Diabolo inserviens, ut instrumentum ejus Adamum tentavit: & ex illa sexta, qua Adamus semetipsum tentavit, dum mulieri ac Diabolo certo consilio consentiebat.

29. Istæ tentationes vel omnes vel pleræque reperiuntur etiam in singulis hominum peccatis.

30. Atque sic peccatum illud fuit consummatum, quoad humani generis defectionem in Adamo. Adam enim propriè fuit principium humani generis, non Eva: nisi qua propter illum facta fuit, & cum illo unum & idem principium constituebat. Hinc est quod de secundo Adamo legimus in scripturis, sed non de secunda Eva.

CAP. XII.

De Ortis ex peccato.

In superiori disputatione actum est de Apostasia, & eius causis: sequuntur jam ex eadem orta.

1. ORtã ex peccato sunt, 1. reatus, & turpitudo. 2. pœna propriè & distinctè sic vocata.

2. *Reatus* est obligatio peccatoris ad pœnam justam sustinendam propter culpam. *Levit.* 5. 2, 3, 4, 5, *&c. Reus est*, Rom. 3. 9. *Criminati sunt omnes esse sub peccato. Et vers.* 19. *Mundus obnoxius condemnationi Dei.* 1. *Cor.* 15. 17. *Estis in peccatis vestris.*

3. Hinc illa distinctio in reatũ culpæ & pœnæ; ut & distinctio Pontificiorum in remissionem pœnæ & culpæ, est distinctio sine differentia.

4. Reatus iste non est forma peccati, sed affectio, vel adjunctum eius consequens, partim separabile, & partim inseparabile.

5. Sequitur autem peccatum partim virtute legis divinæ, peccatis pœnam adjudicantis: qua ratione boni aliquid in se habet, & est à Deo: atque hoc respectu Deus reatum illud à peccatis separare potest. Quatenus tamen fluit ex peccato, & est dignitas vel meritum pœnæ, naturam ejus etiam participat, & est vitiosum quid: atque hoc respectu à peccato separari nequit. Duplex hæc reatus consideratio innuitur. *Rom.* 1. 32. *Dei iure agnito, eos qui talia faciunt, dignos esse morte.*

6. Ex isto reatu oritur conscientia prorsus mala accusans: nempè, & condemnans iustè.

Atque

Atque hinc ſequitur horror, & fuga præſentiæ divinæ. *Gen.*3.8,10. *Heb.*2.15. *Rom.*8.15.

7. *Turpitudo* eſt pollutio illa ſpiritualis, qua peccator deſtituitur nitore, & honore, & ſit vilis. *Matth.*15.11. *Apoc.*22.11.

8. Hæc turpitudo immediatè ſequitur offenſam peccati, & manet in peccatore, poſtquam actus peccati tranſiit, ac deſiit eſſe: vocari ſolet *macula* peccati, *corruptio, inquinatio, deformitas, dehoneſtamentum, nuditas, impuritas, labes*, & aliquando *culpa*.

9. Ex iſta turpitudine ſequitur primo Dei *averſatio*. *Eſa.* 1.15. Quæ etiam dicitur *abominatio* & *deteſtatio*. *Proverb.* 1.32. Præcipuè reſpectu graviorum peccatorum. *Prov.*3.16. *Ierem.* 16.18. Secundo, hominis *pudor ad confuſionem*. *Geneſ.* 3.7. Pudor enim hujuſmodi eſt metus exortus ex conſcientia turpitudinis alicuius. *Rom.* 6.21. *Quem fructum habebatis ex ys, de quibus nunc erubeſcitis?*

10. *Pœna* eſt malum peccatori propter peccatum inflictum.

11. *Malum* dicitur, quia eſt priuatio boni. Non eſt autem priuatio boni honeſti, qua talis, ut peccatum, ſed boni felicis, reſpectu peccatoris, qui punitur.

12. Dicitur *malum inflictum*, non ſimpliciter contractum, quia pertinet ad juſtitiam retribuentem & vindicantem.

13. Infligi dicitur *propter peccatum*, quia reſpectum, & ordinem ſemper habet ad meritum peccati, ad quod ex offenſione, ratione prohibitionis, & ex reatu, ratione comminationis ſequitur pœna.

14. Pœna igitur propriè dicta, non habet locum nisi in creaturis intelligentibus, in quibus etiam peccatum reperitur.

15. Quoniam peccatum per pœnam in ordinem dirigitur: & peccatum in seſe Dei bono aliquo modo adverſatur, pœna autem creaturæ bono tantum: idcirco peccatum plus habet in ſe mali, quàm pœna.

16. Hinc ne nimium quidem peccatum eſt admittendum, quamvis maxima pœna poſſit eo pacto vitari, aut maximum bonum procurari, *Rom.* 3. 8.

17. In pœnæ *ordinatione*, varia elucent Dei attributa, præcipuè *ſanctitas*, *juſtitia*, & *miſericordia*.

18. *Sanctitas* Dei, latiſſima ſignificatione, eſt qua immunis exiſtit, & quaſi ſeparatus ab omni imperfectione. *Eſa.* 6. 3. *Apoc.* 4 8. Sed ſanctitas illa Dei, quæ hic propriè elucet, eſt qua purus exiſtens ab omni labe peccati, nulli peccato communicare poteſt. *Pſal.* 5. 5. *Non es Deus fortis qui deleſtetur improbitate: non eſt commoraturum apud te malum.* Hab. 1. 13. *Purior es oculis quàm ut aſpicias malum.*

19. *Juſtitia* Dei vindicans, quæ hic elucet, eſt qua malum infert malè agentibus. 2. *Theſſ.* 1. 6. *Juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem.*

20. Iuſtitia hæc, qua ſimpliciter adverſus peccatum exardet, dicitur *ira* *Rom.* 1. 18. *Eph.* 5. 6. Qua acrius quaſi excandeſcit, dicitur *furor*. *Deut.* 29. 20. Qua fert ſententiam in peccatorem exequendam, dicitur *judicium*. *Rom.* 2. 5. Qua ſententiam latam exequitur, dicitur propriè *vindicta*. *Heb.* 10. 30.

21. Mi-

21. *Misericordia* hic elucens, est qua peccatum punit citra meritum condignum.

22. Misericordia hæc est, vel *clementia* vel *beneficentia*.

23. *Clementia* est, qua moderatur pœnas debitas. *Lament.*3.22. *Summæ benignitatis est Iehovæ, quod non sumus absumpti.*

24. Clementia apparet in *patientia*, & *longanimitate*.

25. *Patientia* est, qua toleranter suffert peccatum, & peccatoribus parcit. 2.*Pet.*3.9.

26. *Longanimitas* est, qua diu vindictam suspendit. *Exod.*34.6.

27. *Beneficentia* est, qua dives bonitate multa bona effundit, etiam in peccatores. *Mat.*5.45.

Sic fuit peccati reatus, turpitudo, & pœna in genere: sequitur pœna in specie.

28. Pœna homini inflicta propter peccatum, est *Mors. Gen.*2.17. *Rom.*5.12.

29. *Mors* hæc est misera privatio vitæ.

30. Per *vitam* hominis intelligitur, & conjunctio animæ cum corpore, & tota illa perfectio, quæ homini in isto statu congruebat, sivè actu fuit communicata, sive ex conditione communicanda. *Psal.*36.10. *Penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

31. Mors igitur non est à Deo ut naturam instituente, sed est à Deo ut peccatum vindicante; atque adeo à peccato propriè, ut causa meritoria vel procurante

32. Est autem Mors ista non simplex, & nuda privatio vitæ, sed cum subjectione ad miseriam conjuncta: atque idcirco non est peccantis

annihilatio, quia sublatio miseriæ subjecto, & ipsa miseria tolleretur.

33. Mortis hujus imago, & repræsentatio quædam fuit, ejectio hominis ex Paradiso, in qua vitæ symbolū continebatur, *Gen.*3.22.23,24.

Hactenus de Morte in genere: sequitur, in specie.

34. In morte vel maledictione Dei, peccatores urgente, duo sunt gradus, *inchoatio* ejus, & *perfectio*: duo membra, *pœna damni* vel privativa, *pœna sensus* vel positiva: duæ species, *Mors spiritualis*, & *corporalis*.

35. *Spiritualis* mortis inchoatio *in genere damni*, est imaginis Dei deformatio, id est, gratiæ ac justitiæ originalis amissio. *Rom.*3.23. *Deficiuntur gloria Dei.* Eph.4.18. *Alienati à vita Dei.*

36. Per hanc amissionem gratiæ, spoliationem pariter homo donorum omnium salutiferorum: atque ita natura debilitatur, deordinatur, & quasi vulneratur.

37. *Spiritualis* mortis inchoatio *in genere sensus*, est Servitus spiritualis.

38. *Servitus Spiritualis* est subjectio ad potestatem tenebrarum, sive hostium spiritualiter lethalium. *Coloss.* 1. 13. *Eripuit nos ex potestate tenebrarum.* 2. Pet. 2. 19. *A quo quis separatus est, huic etiam in servitutem est addictus.*

39. Servitus hæc est Diaboli, & eorum qui Diabolo inserviunt.

40. *Servitus Diaboli*, est subjectio ad illam potestatem Diaboli, qua efficaciter agit in hominibus, & eorum respectu imperium habet

mortis.

mortis. *Act.* 26. 2. *Cor.* 4. 4. *Joh.* 12. 31. & 16. 11. 2. *Tim.* 2. 26. *Eph.* 2. 2.

41. Servitus servorum Diaboli, est *mundi & peccati.*

42. *Servitus mundi*, est subjectio ad irritamenta malorum, quæ in mundo reperiuntur. *Phil.* 3. 19. 1. *Joh.* 4. 5. & 2. 15, 16.

43. *Servitus peccati* est, qua homo adeo captivus factus est sub peccato, ut exsurgendi ab eo non habeat potestatem. *Rom.* 6. 16, 17, 19, 20.

44. Per hanc servitutem fit, ut quamvis libertas arbitrij maneat, quæ est hominis naturæ essentialis, illa tamen libertas, quæ pertinebat ad perfectionem humanæ naturæ, cujus proprietas fuit ista potestas actus exercendi spiritualiter bonos, & illa ratione gratos, in statu peccati non reperitur, nisi remota, & emortua.

45. Ex hac spiritualis mortis inchoatione, sequitur peccati multiplicatio in vita præsenti.

46. Peccata ista sequentia habent aliquam rationem pœnæ, respectu peccati primi. *Rom.* 1. 26.

47. Hæc autem ratio pœnæ tribuitur peccatis istis, primo, ratione effectorum, aut consequentium eorum, quia mortem hominis promovent, & miseriam aduagent. Secundo, dicuntur etiam pœnæ respectu illius internæ perpessionis, cui homo in peccando subijcitur, qua etiam deprimitur ejus natura, & redditur vilior. Tertio, dicuntur pœnæ prioris peccati; quia præcedens illud peccatum causa fuit propter quam orbatur homo justitia illa, & gratia, vel auxilio divino, per quorum absentiam fit,

ut homo ruat in ista peccata. Quarto, dici possunt etiam aliquo modo pœna prioris peccati, quia præcedens illud peccatum causa fuit disponens, & præparans hominem ad sequentia peccata perpetranda, atque illa ratione attulit homini ista omnia peccata, & quæcunque mala ipsa vel comitantur, vel consequuntur.

Cap. XIII.

De Peccato Originali.

In præcedenti disputatione ex spiritualis mortis inchoatione, tanquam consequens ponebatur multiplicatio peccati, quam sequentibus Thesibus sic ostendemus.

1. PEccatum consequens lapsum illum primum, est vel *Originale*, vel *Actuale*.

2. *Originale*, est totius naturæ hominis habitualis exorbitatio, vel deviatio à lege Dei.

3. Quia totius est hominis corruptio; hinc vocatur in sacris S. *Vetus homo*, *Rom. 6. 6. Eph. 4. 22. Col. 3. 9. Corpus peccati. Rom. 6. 7, 24. Lex membrorum Rom. 7. 23. & ipsa membra*, *Col. 3. 5. Caro*, *Iob. 3. 6. Rom. 7. 5, 18, 25.*

4. Hinc etiam non generatim tantum toti homini, sed singulis etiam ejus partibus attribuitur in Scripturis homogenea quædam corruptela. Intellectui. *Gen. 6. 5. Figmentum & cogitationes tantummodo malum.* Rom. 8. 5, 6, 7. *Quæ carnis sunt sapiunt.* Conscientiæ. *Tit. 1. 15. Polluta est earum mens & conscientia.* Voluntati. *Gen. 8. 21. Figmentum cordis hominis malum à pue-*

ritia

ritia ipſius. Affectionibus omnis generis. *Rom.* 1. 24. *Cupiditatibus cordium ad impuritatem.* Corpori denique & omnibus ejus membris: *Rom.* 6. 19. *Membra veſtra ſerva impuritati, & iniquitati, ad iniquitatem.*

5. Peccatum hoc dicitur exorbitatio vel deviatio hominis, quia eſt in homine habitualis privatio conformitatis debitæ, ad legem homini impoſitam à Deo, in qua debuit ambulare tanquam in via ſua.

6. Hinc per ſingularem quandam appropriationem originalis iſta depravatio dicitur *peccatum* in Sacris S. vel *illud peccatum*, Rom. 6. 12. 7. 17. ἡ ἁμαρτία. Rom. 7. 8, 20. *Lex peccati.* 7. 23. *Peccatum inhabitans, inhærens, adhærens, & circumcingens nos.* Rom 7. 17. 20. 7. 21. Heb. 12. 1.

7. Perverſio hæc duas habet quaſi partes: *Vnam formalem, & alteram quaſi materialem:* Ier. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus: me derelinquerunt, &c. ut effoderent ſibi ciſternas.* Actualis peccati deſcriptio, imaginem continet originalis, ſicut filia matris.

8. *Formalis*, eſt averſio à bono. *Rom.* 3. 12. *Non eſt qui faciat quod bonum eſt, non eſt uſque ad unum.*

9. *Materialis*, eſt converſio & inclinatio ad malum. *Rom.* 7. 23. *Lex peccati.*

10. Per iſtam originalem depravationem fit, quod arbitrium hominis in ſtatu peccati, quamvis liberum ſit quoad actus omnes quos exercet, captivum tamen ac ſervum eſt, quoad modum agendi; quia deſtituitur iſta virtute, qua bene vellet, & quaſi inclinatur informatione illa, qua fit ut velit malè, etiam cum bonum ſit illud,

circa quod volendo, versatur. *Rom.* 3. 12. 7. 14. 2. *Cor.* 3. 5. *Joh.* 8. 34. 2. *Pet.* 2. 19. *Rom.* 6. 16.

Cap. XIIII.

De Peccato actuali.

1. Hactenus *de Originali*; *sequitur Actuale.* 2. *Peccatum actuale* est exorbitatio actus humani vel deviatio ejus à lege Dei. 1. *Joh.* 3. 4. Fluit ab Originali peccato ut actus ab habitu: vel sicut personæ vitium fluit à vitio naturæ. Quo etiam respectu originale peccatum rectè vocatur *fomes peccati*.

3. Actualia igitur peccata quamvis quoad objecta sua, & speciales illas rationes, quibus in illa objecta feruntur, sint inter sese opposita sæpè; tamen quoad principium, aut fundamentum illud ex quo procedunt, sunt planè connexa & colligata. *Iac.* 2. 10. 1. *Tim* 6. 9.

4. Distinguuntur inter sese peccata actualia variè. 1. Quoad gradum, *peccatum aliud est alio majus aut minus.* Ezech. 5. 6. & 8. *Mutavit jura mea plus quam Gentes ipsæ.* & 8. 15. *Amplius adhuc visurus es abominationes majores istis.* Ioh. 19. 11. *Majus peccatum habet. Undè etiam pœna peccati major est aut minor.* Luc. 12. 47, 48. *Cædetur multis plagis qui novit & non fecit, qui non novit & fecit, cædetur paucis,* Matth. 11. 22, 24.

5. Pendet autem hæc differentia graduum. 1. *A respectu personæ à qua admittitur.* Numb. 12. 14. *Unde differentia est inter scortationem, adulterium, & incestum.* 2. *A genere & natura rei,* Math. 5. 21, 22. *Qui irascitur temerè: qui dixerit raca:*

rata: qui dixerit fatue. 3. *Ab intentia ne & remissione actus. Phil.* 3. 6. *Quod ad zelum, persequens Ecclesiam.* 1. Tim. 1. 13. *Blasphemus, persecutor, contumeliosus.* 4. *Ratione & modo patrandi: vel enim fit ex ignorantia, vel ex infirmitate, vel elata manu.* Numb. 15. 27, 30. *Si anima peccaverit per errorem, offeret capram. Anima vero illa quæ cōmiserit elata manu, exscindetur.* Psal. 19. 13, 14. 1 Cor. 7. 6. *Omnino, defectus in vobis est.* 5. *A circumstantijs loci temporis & similibus,* Isa. 26. 10. *Quum gratiā fit improbo, non discit iustitiam: in terra æquitatū iniq; agit.*

6. 2. Differentia specifica peccatorum actualium est propriè privativa, & pendet formaliter ex differentia rectitudinum à quibus actus illi deflectunt.

7. Distributio igitur peccatorum prout opponuntur præceptis Dei, est maximè genuina.

8. 3. Distinguitur peccatum actuale ratione partium, in peccatum Omissionis, & Comissionis. Cum enim peccati Originalis duæ sint quasi partes; aversio à bono, & conversio ad malum: Peccatum actuale indè fluens, duplicem induit rationem: Vbi enim aversio à bono maximè apparet, dicitur illud peccatum Omissionis; ubi vero conversio ad malum maximè apparet, dicitur illud peccatum Commissionis.

9. *Peccatum igitur Omissionis* est, non agere quod agi debuit. *Iac.* 4. 17. *Qui noverit recte facere, nec facit, is peccato tenetur.* Math. 25. 42. *Esurivi, & non dedistis mihi quod ederem, &c.*

10. *Peccatum Commissionis* est, agere quod agi non debuit.

11. *Peccatum Omissionis* maximè directè adversatur præcepto Dei, & *peccatum commissionis* pro-

prohibitioni; in *Commissionis peccato* est quædam additio, & in *omissione* est detractio à lege Dei: quorum utrunque prohibetur, *Deut.* 4.2. 12. 32. *Apoc.* 22.18,19.

12. Distributio hæc peccati non est in species 1. Quia commissio & omissio circa idem objectum, sub eadem ratione formali, non differunt specie, ut in avaritia. 2. Quia moraliter loquendo, non datur omissio absque actu, vel præcedente, vel concomitante. 3. Quia omissio non potest esse voluntaria, & libera sine actu, cui actui semper adhæret peccatum commissionis.

13. 4. Distribuitur peccatum ratione subjecti, in *peccatum cordis, oris & operis*: Ita ut sit *dictum, factum aut concupitum contra legem. Esa.* 28.13. *Matth.* 5.28. 15.19.

14. 5. Distribuitur ratione objecti, *in peccatum illud, quod est aduersus Deum, & in illud quod est aduersus homines. Luc.* 15. 18.1. *Sam.* 2.25. Non tamen eadem planè ratione respicit Deum & homines. Peccatum enim, qua est transgressio legis Dei, offensio est adversus Deum tantum: sed materiali tamen ratione, quoad injuriam & damnum, quod per peccatum infertur sæpè hominibus, respectum etiam habet ad homines.

15. 6. Distribuitur peccatum ratione effecti, *in peccatum vastans conscientiam, & non vastans, in regnans, & mortificatum; in remissibile, & irremissibile*: quæ tamen non sunt propriè hujus loci.

16. Ex hac peccati multiplicatione sequitur incrementum spiritualis mortis, *& in genere damni*,

damni, & in genere ſenſus.

17. *In genere damni*, eſt conſcientiæ ſecuritas, ac ſtupiditas, id eſt, priuatio ſenſus peccati ac miſeriæ.

18. *Hæc ſecuritas* prouenit à conſuetudine peccandi & animi in peccatis obſtinatione: Peccata enim ſiue ſint commiſſionis, ſiue ſint omiſſionis, per multiplicationem diuturnam, in conſuetudinem ducta, & inueterata, pravum habitum gignunt, ac quaſi callum obducunt voluntati ſimul ac menti. *Ierem.* 13. 23. *An mutare poteſt Æthiops cutem ſuam, aut pardus liventes maculas ſuas? etiam vos poſſetis benefacere, edocti malefacere*, *Eph.* 4. 19. *Poſteaquam dedoluerunt, ſeſe dediderunt laſciviæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.*

19. *In genere ſenſus*, eſt conſcientiæ ſummus terror cum deſperatione conjunctus, *Heb.* 10. 26, 27. *Gen.* 4. 13.

20. Terror hic oritur ex gravitate, ac multiplicitate reatus, una cum inevitabilitate pœnæ imminentis.

21. In hac autem ſpiritualis mortis inchoatione, moderatio quædam à Deo adhibetur. *Moderatio hæc eſt vel interna, vel externa.*

22. *Interna*, apparet adhuc in imaginis divinæ reliquijs. *Iacob.* 3. 9. Iſtæ autem reliquiæ apparent *cum in intellectu, tum etiam in voluntate.*

23. *In intellectu*: per principia illa veritatis, quæ judicium dirigunt & Theoreticum & practicum.

24. *Theoretica principia*, ſunt & de vero & falſo, quorum aliquam cognitionem habent omnes homines, qui aliquem uſum habent rationis,

tionis. *Rom.* 1.20. *Psal.* 19.2,3.

25. *Practica*, sunt de honesto & turpi, æquo & iniquo. Deum esse colendum, alteri non esse faciendum, quod quis sibi fieri non vult.

26. Hæc est lex inscripta cordibus omnium hominum. *Rom.* 2.15. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

27. Ex his principijs conscientiæ naturalis vis quædam oritur. *Rom.* 2.15. *Una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiã defendentibus.* Quæ tamen vna cum principijs istis est corrupta, atque adeo mortua. *Tit.* 1.15. *Polluta est eorum mens & conscientia.*

28. *In voluntate*, apparent istæ reliquiæ, per inclinationem quandam ad bonum, eo modo cognitum: quæ quamvis evanida sit ac emortua, in omnibus tamen aliquo modo reperitur. Vndè etiam simulachra saltem virtutum ab omnibus probantur ac coluntur. 2. *Tim.* 3.5. *Habentes formam pietatis.*

29. Ad voluntatem etiam pertinet una cum intellectu vis illa refrænans, qua excessus peccati in plerisque cohibetur, ita ut peccatores etiam abhorreant ab atrocioribus multis flagitijs. 1. *Cor.* 5.1. *Eiusmodi scortatio, quæ ne inter Gentes quidem nominatur.*

30. *Externa moderatio* huius miseriæ est per media illa externa, politica & œconomie, quibus peccati ac miseriæ cursus aliqua ex parte solet impediri.

CAP.

CAP. XV

De Morte Corporali.

Hactenus de inchoatione mortis ſpiritualis; ſequitur nunc de inchoatione mortis corporalis cum utriuſque ejus conſummatione.

1. COrporalis mortis inchoatio in genere damni eſt, vel interna, vel externa.

2. Interna, eſt amiſſio bonorum corporis internorum: ſanitatis nempè & vivacitatis. *Deut.* 28.21,22,27,35. 1.*Cor.*11.30. *Mat.*9.2.

3. Hinc moralitas quoad ſtatum & potentiam proximam ad mortem.

4. Moralitas hæc enim eſt ſolutio ſive laxatio illius vinculi, quo anima fuit cum corpore conjuncta.

5. Extetna inchoatio hujus mortis in genere damni eſt, amiſſio bonorum externorum, quibus vita iſta vel cohoneſtabatur vel ſuſtentabatur.

6. In priori genere eſt, 1. Amiſſio dominij in creaturas: quæ poſt lapſum exuerunt magna ex parte ſubjectionem illam erga hominem, ad quam conditæ fuerunt, & hoſtes ejus exitiales evaſerunt, niſi providentia Dei ſingulari in ordinem redigantur. *Job* 5.22,23. *A beſtijs terræ ne timeto. Nam cum lapidibus agri erit fœdus tuum, & beſtiæ agri erunt pacatæ tibi.* Hoſ.2. 18. *Pangam pro ipſis fœdus cum beſtijs terræ.* 2. Ignominia illa, qua afficitur & vivens & mortuus. *Deut.* 28.20,37.

7. In

7. In posteriori genere, est paupertas, vel amissio eorum quæ pertinent ad victum, vestitum & possessiones. *Deut.*28.17,18.

8. Inchoatio hujus mortis in genere sensus, est etiam vel externa vel interna.

9. Interna, est in fatigatione. *Gen.* 3.19. dolore & morbis. *Deut.*28.35.

10. Externa est in calamitatibus illis omnibus, quibus hominis vita extrinsecus est obnoxia. *Deut.*28.25,48.

11. Moderatio in ista corporali pœna elucens, est quoad interna & externa.

12. Quoad interna, quod vitæ spatium & commoditatem habet homo adhuc ex benignitate divina sibi concessam. *Gen.*6.3.

13. Quoad externa, quod reliquias quasdam habet veteris dominij in creaturas. *Gen.* 9.2. *Timor vestri, terrorque vestri inesto omnibus bestijs terræ,&c.* Ita ut quamvis exciderit homo per peccatum omni jure, quod antea habuit, utendi creaturis in suum commodum: ex concessione tamen & indulgentia divina, possit illis uti,& in eo non peccet,quod simpliciter utatur,quamvis peccet in modo utendi: quia dum conceditur & prorogatur ipsi vita, eo ipso conceditur simul eorum usus quæ necessariò requiruntur ad vitam, & ipsi aliquo modo debentur.

14. Hinc est quod quamvis creaturæ vanitati & maledictioni subjectæ fuerint, propter peccatum hominis, *Gen.*3.17,18. *Rom.*8.20,22. Conservantur tamen in illo statu, ut possint sufficere necessitatibus humanæ vitæ.

CAP.

Cap. XVI.

De Consummatione mortis.

1. *Consummatio mortis* est summus gradus pœnæ constitutæ & in æternum duraturæ. Quoad gradum dicitur infinita.

2. Est autem infinita respectu damni tantum & privationis: quia est amissio boni infiniti: non respectu sensus aut positivæ affectionis: infinita tamen positivè dici potest, quoad rem affligentem, sed non quoad modum affligendi.

3. Hinc est quod gradus quidam sunt in ista pœna, pro varietate graduum, qui in peccatis reperiuntur. *Luk.* 12. 47, 48. *Caditur multis plagis: caditur paucis plagis.*

4. Quoad durationem, dicitur hæc pœna æterna vel nunquam finienda. *Marc.* 9. 44, 46, 48. *Vbi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur.*

5. Est autem æterna. 1. Propter æternam permanentiam culpæ. 2. Propter immutabilitatem status, quem iste gradus pœnæ consequitur. 3. Propter satisfactionis defectum.

6. Hinc incorruptibilitas damnatorum, est immortalitas eorum in morte, & ad mortem.

7. Spiritualis mortis consummatio in genere damni, est totalis ac finalis derelictio, qua homo separatur penitus à facie, præsentia vel favore Dei. *Matth.* 7. 23. *Abscedite à me. Et* 25. 41. *Abite a me exsecrandi.* 2. *Thess.* 1. 9. *Qui pœnam pendent æterni exitij, expulsi à facie Domini, & gloria virium ipsius.*

8. Hinc

8. Hinc ſumma & æterna obduratio in malo & deſperatio boni. *Luc.16.26.*

9. Spiritualis mortis conſummatio in genere ſenſus, eſt ſervitutis plenitudo, qua penitus traditur in Diaboli poteſtatem. *Math.25.41.*

10. Hinc terrorem conſcientiæ & peccati plenitudo. Peccant enim damnati & peccabunt in æternum, quamvis neque eadem peccata quæ in hac vita, futurum puta, homicidium vel adulterium; neque ejuſdem prorſus conditionis cum ijs, quæ viventes admittebant. Peccant enim præcipuè odio, invidia, indignatione & ſimilibus affectibus, quorum pœnæ acerbitas occaſionem ipſis præbet. Hæc etiam peccata non habent poſt mortem eandem rationem meriti, quam habent in hac vita: quia tum neque ulla poſſibilitas eſt vitandi peccatum, neque locus eſt comminationibus ac incremento pœnæ ex ipſis.

11. Hinc peccata ipſa in damnatis plus habent rationis pœnæ, quam in viventibus: ſed in viventibus plus habent rationis culpæ.

12. Conſcientiæ terror eſt quaſi vermis perpetuo rodens. *Marc 9.44 Eſa.66.24.*

13. *Conſummatio mortis corporalis* una cum ſpirituali, eſt primo, per ſeparationem animæ á corpore. *1.Cor.15.42,43.* Cui Homogenea eſt cõmutatio illa quorundam quæ ſimilis erit morti. *1.Cor.15.51,52.1 Theſſ.4.15,16* Secundo, per injectionem animæ & corporis in gehennam, ſeu locum illum quem ad ſumma tormenta peccatorum Deus præparavit. *Apoc.21.8.*

14. Hinc dolores & cruciatus maximi, tam animi, quam corporis. *Luc.16.23.*

15. Hinc

15. Hinc lamentatio, ejulatio, ſtridor dentium, & ſimilia maximi cruciatus effecta. *Luc.* 13. 28.

16. De loco autem gehennæ, & de torturæ modo, & de natura externarum rerum quæ eo ſpectant, quia non ſunt nobis cognitu neceſſaria, ſcriptura nihil diſtinctè pronunciavit.

CAP. XVII.

De Propagatione Peccati.

Hactenus actum eſt de tranſgreſſione: Sequitur nunc de ejus propagatione.

1. PRopagatio hæc eſt, qua tota poſteritas hominis naturali modo ab Adamo deſcendens, particeps ſit ejuſdem cum ipſo conditionis. *Iob* 14. 5. *Pſal.* 51. 7. *Rom.* 5. 44. *Eph.* 2. 3. Fit hoc juſta Dei ordinatione. Cujus æquitas appareat aliquo modo inter homines. 1. Iure naturali, quo innatæ qualitates à generante in genitum derivantur. 2. Iure hæreditario, quo onera parentum in filios transferunt. 3. Iure talionis, quo boni rejectio, & mali perpeſſio æqualiter extendunt.

2. Propagatio hæc peccati duabus partibus conſtat, *imputatione* nempè, & *reali communicatione.*

3. *Imputatione*, idem ſingularis actus inobedientiæ, qui fuit Adami, ſit etiam noſter.

4. *Reali communicatione*, non idem ſingulare peccatum, ſed idem genere vel ſimilis planè rationis ac naturæ, in nos deriuatur.

5. Pecca

5. Peccatum Originale, cum sit formaliter privatio justitiæ originalis, & hæc priuatio sequatur peccatum primum, tanquam pœna, hinc prius natura pœnæ rationem habet quam peccati. Prout à justitia Dei denegatur originalis illa justitia, eatenus est pœna: prout nobis debet inesse, & humana culpa deest, eatenus est peccatum.

6. Traducitur ergo hæc privatio ab Adamo per modum meriti, quatenus est pœna: & per modum efficientiæ realis, quatenus peccati rationem habet adjunctam. Ex eo enim quod quis nascitur filius Adami, dignus efficitur ut justitia donetur: illam cum debet habere & non habet, illa carentia est ipsi peccatum.

7. Vna cum ista privatione traducitur etiam ineptitudo & perversitas quædam corporearum omnium facultatum, quæ suo modo pugnant cum rectitudine Deo probata.

8. Ex privatione enim justitiæ, qua omnes facultates erant dirigendæ, sequitur in illis omnibus talis defectus, quo fit ut cum ad aliquid morale feruntur, illa ipsa inclinatio sit moraliter mala.

9. Ex istis oritur actuale quodlibet peccatum: mens enim cæca ex privatione lucis, facilè admittit quoslibet errores: Et voluntas aversa jam à Deo, ardet amore sui & pravarum cupiditatum sine Deo.

10. Ex peccato sic propagato, sequitur etiam propagatio mortis tam inchoatæ, quam consummatæ: tam quoad sensum, quam quoad damnum: tam corporalis, quam spiritualis ad omnes posteros Adami.

11. Per Apostasiam istam humani generis fit, quod fides nostra, qua jam credimus in Deum, non est simpliciter ad vitam vel ad salutem. Non satis est enim homini lapso, ut Deus illi vitam simpliciter donet, sed requiritur etiam ut eam homini in peccatis mortuo donare velit. *Eph.* 2. 1. Atque hæc una differentia fuit inter quæstionem adolescentis divitis. *Matth.* 19 16. *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* & commentariensis illam, *Act.* 16.30. *Quid me oportet facere ut server?*

CAP. XVIII.

De persona Christi Mediatoris.

Post hominis Apostasiam consequitur ut Restitutionem ejus videamus.

1. REstitutio hominis est elevatio ex statu peccati & mortis, in statum gratiæ & vitæ.

2. Causa hujus restitutionis fuit misericors Dei propositum. *Eph.* 1.9. *Secundum suam gratuitam benevolentiam quam præstituerat in sese.* In homine enim nihil fuit quod vim aliquam conferre potuit ad restitutionem istam procurandam: sed multum potius quod contra faciebat; ut peccatum, in quo fuit inimicitia erga Deum: quod illa ratione commendat hanc Dei erga nos charitatem. *Rom.* 5.8. *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.*

3. Restitutionis hujus partes duæ sunt, *Redemptio*

demptio & ejus *applicatio*. Illa eſt, quaſi *actus primus* hujus reſtitutionis: hæc quaſi *actus ſecundus*. Illa eſt, quaſi *materiale* ſalutis noſtræ, hæc quaſi *formale*. Illa eſt quaſi *ſufficientia*, hæc *ipſa efficientia*.

4. Partes iſtæ unius & ejuſdem planè ſunt latitudinis. Finis enim redemptionis eſt ejus applicatio: & prima ratio, regula, & menſura applicationis, eſt eadem illa gratioſa Dei voluntas, quæ cauſa fuit ipſius redemptionis. *Eph.* 1. 9, 10. *Notum fecit nobis myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum gratuitam ſuam benevolentiam, quam præſtituerat in ſeſe, ut in plena temporum illorum præſtitutorum diſpenſatione ſummatim colligeret omnia in Chriſto.*

5. Redemptio igitur omnibus & ſingulis applicatur, quibus ex intentione Dei fuit impetrata: ſecundum illud Chriſti. *Ioh.* 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.*

6. Redemptio eſt vindicatio hominis in libertatem à ſervitute peccati & Diaboli per juſti pretij exhibitionem. 1. *Pet.* 1. 18, 19. *Scitis vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro, fuiſſe redemptos, ſed pretioſo ſanguine.* 1. Cor. 6. 20. *Empti eſtis pretio.* & 7. 23. *Pretio empti eſtis.*

7. Neque enim per potentiam, neq; per preces primario effecta fuit hæc liberatio, quamvis etiam hæc ſuam vim habeant in iſtoc negotio perficiendo, ſed per juſti pretij ſolutionem.

8. Pretium iſtud, cum per hominem ſolvi non potuit, neceſſaria fuit opera Mediatoris, qui intercedere debuit inter Deum & homine, faciens inter eos reconciliationem perfectam. 1. *Tim.* 2. 5. *Act.* 20. 28. *Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit.* 1. Tim. 2. 6. *Homo Chriſtus Ieſus*

Iesus qui seſe ipſum dedit redemptionis pretium.

9. Mediator autem hujuſmodi, non uno tantum ſeculo datur, ſed heri, hodiè & in æternum. *Heb.* 13. 8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt & in ſecula.* Apo. 13. 8. *Agnus mactatus à jactemundi fundamento.* Quamvis plenitudine temporis tantùm manifeſtatus. *Col.* 1. 17. *Tit.* 1. 2. 1. *Pet.* 1. 20. Hæc mediatio enim in omnibus ſeculis fuit æquè neceſſaria ab initio etiam virtute decreti, promiſſionis, & acceptationis divinæ ſufficiens & efficax.

10. Mediator iſte, unicus eſt Ieſus Chriſtus. *Act.* 4. 12. *Nec eſt in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari.*

11. In Chriſto duo ſunt conſideranda. 1. Aptitudo quam habuit ad opus redemptionis peragendum. 2. Partes ipſius redemptionis.

12. Aptitudo ejus duabus partibus conſtat: prima eſt, *ipſius perſonæ*; ſecunda, *officium*, huic perſonæ impoſitum.

13. In perſona Chriſti Mediatoris, duo ſunt obſervanda: *Diſtinctio* duarum naturarum, & earum *unio perſonalis.*

14. *Naturæ diſtinctæ* ſunt: Divina quatenus eſt ſecunda perſona Deitatis, & humana, noſtræ per omnia ſimilis (excepto peccato, & ſubſiſtendi modo) *Math.* 1. 23. *Emanuel nobiſcum Deus.* Ioh. 1. 14. *Sermo ille factus eſt caro, &c.* Diſtinctio ipſa inter iſtas naturas manet: quia manent abſolutè eædem quæ antea fuerunt, tam quoad eſſentiam, quam quoad eſſentiales omnes proprietates. Hinc nec Deitas in Chriſto cum humanitate, nec humanitas cum Deitate, vel commutatur, vel miſcetur, vel ullo modo confunditur.

15. *Unio*

15. *Unio personalis* est, qua secunda persona Deitatis humanam naturam assumpsit, ut inseparabiliter subsisteret in eadem persona. *Joh.* 1. 14.

16. Persona enim secunda Deitatis, quamvis unicam habeat subsistentiam, duplicem tamen habet subsistendi rationem: unam in natura divina ab æterno, alteram in natura humana post incarnationem. *Rom.* 9. 5. *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in secula. Amen.* Quæ posterior subsistendi ratio convenit filio Dei, ratione unionis quam habet cum natura humana.

17. Unio hæc personæ & naturæ divinæ nihil addit nisi relationem, in humana vero natura facit commutationem, dum elevatur hoc pacto ad summum perfectionem: fit enim quasi *adjunctum proprium* divinæ personæ, à qua assumitur: quasi *membrum* ejusdem *integri* ὑποστατοῦ, cujus divina natura est quasi pars altera: quoad subsistentiam quasi *effectum*, singulariter à divina natura sustentatum: ac etiam quasi *subjectum*, in quo divina natura singulariter habitat. *Col.* 2. 9.

18. Multis rationibus Logicis, unionem istam describere conamur: qua nullâ unâ sufficienter potest explicari.

19. Omnes illos terminos adhibemus quibus consensionis & unitatis fontis continentur, ut unionem istam arctissimam esse demonstremus.

20. Hosce tamen terminos limitatione illa *quasi* temperamus: quia unio hæc est mystica & arcana, ita ut vocibus & notionibus humanis non planè exprimatur, sed adumbretur tantum.

21. Ex

21. Ex hac unione ſequitur perſonalis communicatio proprietatum, quæ non eſt *realis tranſfuſio*. Tum enim divina natura acciperet proprietates humanæ,& humana acciperet proprietates divinæ ,atque adeo humana eſſet divina, & divina humana, vel tam divina quam humana ceſſaret eſſe. Neque eſt *realis donatio*, ex qua ſequeretur, quod humana natura poſſet uti proprietatibus divinis,tanquam ſuis inſtrumentis. Sed eſt *communio* vel *concurſus* ad eaſdem operationes;ita ut ſimul præſtentur ab utraq; natura, ſed ſecundum ſuas diſtinctas proprietates.

22. Hinc fit quod omnes actiones & paſſiones Chriſti referuntur propriè ad ejus perſonam, tanquam ad terminum earum proprium; quamvis quædam ad unam, & quædam ad alteram propriè ſint referendæ,tanquam ad earum principia & proprias rationes.

23. Atque hinc ſequitur communicatio harum proprietatum quod prædicationem vel attributionem,qua unius naturæ propria tribuuntur, vel toti perſonæ: ut cum Chriſtus dicitur *mortuus*, quod proprium fuit humanæ naturæ, & fuiſſe *in principio*, quod proprium fuit divinæ: vel alteri naturæ propter perſonam,ut cum Deus dicitur *aſſumptus in gloriam*. 1. Tim. 2. 16. *crucifixus*. 1. *Cor*. 2. 8. Quæ non divinæ naturæ propriè conveniunt, ſed humanæ. Et quæ ſunt totius perſonæ propria, alterutri naturæ propriè tribuuntur: ut cum *Homo Chriſtus* dicitur *Mediator inter Deum & hominem*. 1. *Tim*. 2. 5. Quod non convenit Chriſto qua eſt homo, ſed qua eſt Deus & homo.

24. Sicut autem communio illa propriè perſonam

sonam Christi respicit, non ipsas naturas in sese consideratas, sic ista communicatio, quæ in prædicatione versatur, *Deum* aut *hominem* in concreto respicit, non *Deitatem* aut *Humanitatem* in abstracto.

25. Proprietatum igitur communicatio non est merè verbalis, neque tamen ita realis est, ut unius naturæ proprietas transeat in alteram quoad intrinsecam possessionem, & usurpationem.

26. Exempla quæ a contra-scientibus adferri solent, de communicatione illa quæ est inter materiam & formam, inter animam & corpus, & inter ferrum & ignem, neque conveniunt huic mysterio, neque thesin ipsam probant.

27. Duo fuerunt in Christo intellectus: unus divinus, quo omnia sciebat. *Ioh.* 21. 17. & alter humanus, quo quædam nondum scivit. *Marc.* 13. 32. Duæ etiam fuerunt voluntates, una divina. *Luc.* 5. 13. & altera humana, unà cum appetitu etiam naturali. *Math.* 26. 39. Sic duplex est præsentia Christi: sed humana tamen neque ubique, neque in pluribus locis simul existere potest.

28. Quia Deus in Christo θεανθρωπικῶς restituit nobis vitam, idcirco fides nostra fertur in Christum, & per Christum in Deum.

CAP.

CAP. XIX.

De Officio Christi.

Hactenus de Persona Christi, sequitur ejusdem officium.

1. OFficium Christi est illud quod suscepit ad salutem hominibus acquirendam. 1. *Tim.* 1. 15. *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur: Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret.*

2. Qui enim negant finem proprium, Deo ac Christo propositum, in isto mysterio, fuisse salutem hominum, Deum ac Christum suo honore, & homines consolatione sua privant.

3. In eo duo sunt consideranda: *Vocatio* ad hanc functionem, & ipsa *functio*. Hebr. 5. 4, 5, 6. *Neque sibiipsi quisquam hunc honorem sumit, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron. Ita & Christus. &c.*

4. *Vocatio* est actio Dei, κατ' ἐξοχὴν Patris, qua singulari quodam pacto inito, filium huic muneri destinavit.

5. Pactum illud exprimitur. *Jsa.* 53. 10. Vt si *Christus exponeret se sacrificium pro reatu, tum videret semen, prolongaret dies, & delectatio Jehovæ per eum prosperaretur.*

6. Vocatio igitur hæc in se continet selectionem, præordinationem & missionem. *Isai* 42. 1. *Electus meus.* 1. Pet. 1. 20. *Præcogniti ante jacta mundi fundamenta.* Ioh. 3. 17. *Misit Deus filium suum in mundum.* Vocatur in Scripturis *obsigna-*

tio. Ioh.6.37.*Sanctificatio,* Ioh.10.36.*Vnctio,* Esa. 61.1.Psal.45.8.*Hebr.*1.9. *& donatio.* Ioh.3.16.

7. Electio respicit finem: præordinatio media: missio ipsam executionem, ex mera gratia, sine ulla conditione præ visa, vel in hominibus, vel in ipso Christo.

8. Prædefinita fuerunt omnia quæ Christus egit aut passus est, etiam quoad circumstantias omnes. *Luc.*22.22. *Filius hominis prout definitum est abit.* Act. 4. 28. *Vt facerent quæcunque manus tua, consilium tuũ prius prædestinavit ut fierent.*

9. Hæc autem vocatio non fuit ordinatio modo instituta, sed juramento solenni confirmata, ad excellentiam & æternitatem ejus confirmandam. *Psal.*110.4. *Heb.*5.6. *&* 7.24.

10. Functio ipsa ad quam Christus vocatur triplex est, *Prophetæ, Sacerdotis, Regis.*

11. Numerum & ordinem istum functionum ostendit, primo hominum necessitas, ex ignorantia, alienatione à Deo, & impotentia redeundi ad ipsum gravissimè laborantium: quorum primo medetur Prophetia Christi: secundo sacerdotium, & tertio Regnum.

12. Secundo, hunc etiam numerum ostendit salutis conferendæ ordo, qui prius debuit explicari, deindè acquiri, & tum postea applicari: quorum primum est Prophetæ, secundum Sacerdotis, & tertium Regis.

13. Tertio, idem ordo etiam apparet ex solenni illa exequendi ratione, qua Christus primo docebat alios, voluntatem divinam ipsis declarando; deindè semetipsum offerebat; & postea Regnum suum ingrediebatur.

14. Prophetia Christi est, qua totam Dei voluntatem

luntatem ſalutiferam perfectè revelavit: undè vocatur in Scripturis non tantum *Propheta*, Deut. 18.15. Act. 3.22. *& Doctor*, Matth. 23.7. *Apoſtolus profeſſionis noſtræ*, Hebr. 3. 1. *Et Angelus fœderis*, Malach. 3. 1. Sed etiam ipſa *ſapientia Dei*, 1. Cor. 1.24. *Et Theſaurus ſcientiæ atque intelligentiæ.* Coloſſ. 2. 3.

15. Prophetia hæc in Chriſto fuit tanquam in cauſa principali: in alijs, ſive ſint Angeli, ſive homines, tanquam in ejus inſtrumentis, 1. *Pet.* 1. 11. *Prophetæ ſcrutati ſunt in quem aut qualem temporis articulum, prænuncius ille quid in ipſis erat Spiritus Chriſti, declararet, &c. Et* 3. 19. *Per quem Spiritibus qui ſunt in carcere profectus prædicavit.* In Chriſto fuit per modum habitus, ita ut potuerit cùm ipſi placeret, omnia Dei arcana revelare. In alijs vero per modum actus & coruſcationis, ita ut non potuerint Prophetiam exercere, niſi certis temporibus quum ipſi placebat. *Ierem.* 42.7. *Exactis decem diebus fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam.*

16. Vt talis eſſet Propheta neceſſe fuit, ut eſſet Deus. *Joh.* 1. 18. *&* 3. 13. Atque ſimul etiam, ut eſſet homo. *Act.* 3. 22. Compar. cum *Deut.* 18. 15. Niſi enim Deus fuiſſet, neque perfectè intellexiſſet voluntatem Dei, 1. *Cor.* 2. 11, 16. Neque per omnia ſecula potuiſſet eam revelare: niſi homo fuiſſet, non potuiſſet eam hominibus commodè in ſua propria perſona explicare. *Heb.* 1. 1.

17. Sacerdotium Chriſti eſt, quo peccata hominum expiavit, & Dei favorem ipſis conciliavit, *Coloſſ.* 1. 20. *&* 22. 2. *Corinth.* 5. 15. *Rom.* 5. 10.

18. Non fuit legale hoc Sacerdotium, aut temporarium, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. *Hebr.* 7. 17. Non ex præcepto carnali, ſed ex vi indiſſolubilis vitæ, *ibid. verſ.* 16. Non ordine infirmo & mutilato, ſed ſtabili & conſummato, *ibid. verſ.* 18. & 19. Non ad tempus, ſed in æternum, *ibid. verſ.* 24. Nullum denique ſucceſſorem aut vicarium admittens, ſed perpetuum, & Chriſti proprium, & ſemper viventis, *ibid. ver.* 24. & 25.

19. In iſtoc munere fuit ipſe Chriſtus Sacerdos, ſacrificium, & altare. Sacerdos fuit ſecundum utramque naturam. *Hebr.* 5. 6. Sacrificium maximè propriè fuit ſecundum humanam naturam: undè hoc in Scripturis tribui ſolet non tantum Chriſti perſonæ, ſed ipſius *corpori. Hebr.* 12. 13. 1. *Pet.* 2. 13. *Col.* 1. 22. *ſanguini. Col.* 1. 20. *& animæ. Eſa.* 53. 10. *Mat.* 20. 28. Præcipua tamen vis, qua ſacrificium hoc efficax reddebatur, pendebat ex natura divina, quod ſcilicet Filius Dei offerebat ſemetipſum pro nobis. *Act.* 20. 28. *Rom.* 8. 3. Altare fuit propriè ſecundum naturam divinam. *Heb.* 9. 14. & 13. 10, 22. 15. Altaris eſt enim ſanctificare illud quod in ipſo offertur, atque adeo majoris debet eſſe dignitatis quam ipſum ſacrificium. *Matth.* 23. 17. Chriſtus autem per divinam naturam ſanctificavit aliquo modo ſemetipſum ſecundum humanam. *Ioh* 7. 19.

20. Hinc igitur etiam apparet quam neceſſarium fuit, ut Chriſtus Mediator eſſet & Deus, & Homo: niſi enim homo fuiſſet, non fuiſſet idoneum ſacrificium: & niſi Deus fuiſſet, ſacrificium illud non fuiſſet ſufficientis virtutis.

21. Regnum Chriſti eſt, quo cuncta cum autho-

authoritate aut potentia dispensat ac administrat, quæ spectant ad hominum salutem. *Psal.* 2.6. *Dan.*2.44. *Luc.*1.36.

22. Hujus Regni proprietates sunt. I. Quod sit universale. 1. respectu omnium seculorum, *Matth.* 22. 43, 44. & 45. 2. Respectu omnis generis hominum. *Dan.*7.14. *Apoc.*17.14. 3. Respectu omnium etiam creaturarum, prout aliquo modo spectant ad salutem hominum promovendam aut illustrandam *Eph.*1.21,22.

23. II. Quod sit in ipsas animas, & conscientias hominum. *Rom.*14.17.

24. III. Quod vitam ac mortem æternam dispensat. *Apoc.*1.18.

25. IV. Quod sit æternum. *Dan.*2. 44. & 7. 14.

26. V. Quod summam pacem ac perfectam felicitatem adfert iis, qui sunt ejus hæredes, *Esa.* 9.6. *Eph.*2 16. *Hebr.*7.2.

27. Hinc Regnum illud in scripturis dicitur regnum *Dei* passim, Regnum *pacis, gloriæ*, locis supra citatis: & regnum *lucis ac gloriæ*, regnum *cælorum, & mundus futurus*, *Heb.*2.5.

28. Atque hinc etiam apparet quam necessarium fuit, ut Christus Mediator esset & Deus, & Homo: nisi enim Deus esset, non posset esse spiritualis Rex animarum nostrarum, vitam ac mortem æternam dispensans: & nisi homo fuisset, non potuisset esse caput ejusdem generis cum corpore.

29. Christus in officijs suis omnibus habuit typos: in prophetico habuit etiam homines ita sibi subordinatos, ut illi etiam appellati sint prophetæ: sed sacerdotium & regnum ejus non

admittunt hujuſmodi ſubordinationem: neque munere ſacerdos, aut rex ſpiritualis unquam fuit quiſquam, præter Chriſtum ſolum.

30. Ratio diſcriminis eſt, quod voluntatis divinæ declaratio apud homines quod eſt Prophetæ, poteſt aliquo modo per merum hominem præſtari: ſed expiatio peccatorum coram Deo, quod eſt ſacerdotis, & imperium in animas & conſcientias hominum, quod eſt regis, nequaquam.

31. Reges gentium Chriſto non ſubordinantur propriè in authoritate ſua, ſed Deo.

CAP. XX.

De Satisfactione.

1. REdemptionis partes duæ ſunt, Chriſti ut Mediatoris noſtri *humiliatio*, & ejuſdem *exaltatio*.

2. *Humiliatio* eſt, qua ſubditus eſt juſtitiæ Dei, ad illa omnia perficienda, quæ requirebantur ad hominis redemptionem, *Phil* 2 8. *Habitu inventus ut homo, ipſe ſe ſubmiſit, factus obediens uſque ad mortem.*

3. Humiliatio iſta non fuit propriè naturæ, aut perſonæ divinæ in ſeſe conſideratæ, ſed mediatoris θεανθρώπου.

4. Aſſumptio igitur humanæ naturæ, ſimpliciter, & in ſe conſiderata, non eſt humiliationis hujus pars: quia fuit actio ſolius Dei: ſed ſtatus ille ſervi, qui aſſumptionem naturæ humanæ comitabatur, fuit prima & propria ratio humiliationis. Hujus tamen conditionis reſpectu, per relationem inde redundantem, perſona ipſa divi-

divina rectè dicitur exinanita fuiſſe, *Phil.* 2. 7. Quia exiſtebat in illa forma, quæ ad tempus vacua fuit omni gloria, & majeſtate divina. Comprimebat enim & occultavit ſeſe divina majeſtas, per totum illud ſpatium humiliationis, ne conſtanter exerceret illam dignitatem, quæ poſtea apparuit in exaltatione.

5. Humiliationis hujus finis eſt, *ſatisfactio*, & *meritum*.

6. *Satisfactio* dicitur, qua ordinatur ad Dei honorem, per compenſationem quendam injuriæ ipſi per peccata noſtra factæ. *Rō.* 3. 25. *Quem præſtituit Deus, ut eſſet placamentum per ſanguinem ipſius, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ.* Oſtenditur hoc omnibus illis Scripturæ locis, quibus dicitur Chriſtus *pro nobis mortuus*, illa enim efficientia hac phraſi denotatur, quæ Paulo aut Petro in ipſorum morte non poteſt attribui, 1. *Cor.* 1. 13. quæ condemnationem tollit, *Rom.* 8. 34. quæ denique reconciliationem ad ſalutem ſecum adfert, *Rom.* 5. 10.

6. Idem etiam eſt quod ſignificatur, cum dicitur *pro nobis factus peccatū*, 2. *Cor.* 5. 21. Alia enim ratione non potuit fieri peccatum, quam vel interna pollutione, vel externa reputatione: à pollutione autem maximè abfuit: neque imputatio peccati alia ratione ipſi conveniebat, quam ut pœnas peccato debitas pro nobis poſſit ſubire.

8. Eadem ratione dicitur *peccata noſtra portaſſe*, *Eſa.* 53. 4. Neque enim patientiæ alicujus tolerātiā ſonat iſta phraſis in Chriſto: portando enim ſuſtulit peccata mundi, *Ioh.* 1. 29. Neque poteſtatem ſolam indicat auferendi peccata: portavit enim in corpore ſuo ſuper crucem, 1. *Pet.* 2. 24.

9. Similis est vis illius formulæ, *solvit pro nobis pretium redemptionis*, *Math.* 20. 28. Neque enim mera liberatio illa phrasi significatur, neque quodlibet ejus medium; quia pretium ipsum nominatur, & ejusdem communis rationis esse innuitur cum argenti vel auri solutione ad res venales mercandas, 1. *Pet.* 1. 18. & applicatio etiam hujus pretij accedit, *Hebr.* 9. 13, 14, 15. *Sanguis aspergens inquinatos &c.* 10. 22. *Aspersione purgatis cordibus à conscientia mala.* Ita ut ipse Christus idcirco sit Mediator, quia dedit semetipsum *redemptionis pretium*, 1. *Tim.* 2. 5, 6. & idcirco nos participes reddimur illius redemptionis, quia Christus sese tradidit pro nobis, *Gal.* 2. 20. & nos credimus in ipsum, *Ioh.* 1. 12. Ac per ipsum in Deum, 1. *Pet.* 1. 21.

10. Eodem etiam sensu dicitur *obtatio & victima* pro peccatis nostris, *Eph.* 5. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Tam verum enim ac proprium fuit sacrificium pro peccato, ut cætera omnia quæ antecedebant vmbræ fuerint hujus, & post illud peractum, nec opus sit, nec liceat aliud ullum offerre, *Heb.* 10. 12, 14.

11. Pendet autem totum hoc mysterium ex eo, quod Christus constitutus sit talis Mediator, ut sit etiam *sponsor*, *Hebr.* 7. 22. & commune principium redimendorum, sicut Adamus fuit creatorum, & perditorum, *Rom.* 5. 16, 17, 18, 19. 1. *Cor.* 15. 22.

12. In eadem Christi humiliatione fuit etiam *meritum*, qua ordinatur ad nostrum commodum, vel ad boni aliquid sub ratione mercedis nobis acquirendum. Ostenditur hoc omnibus illis

illis Scripturæ locis, quibus dicitur obedientia ſua procuraſſe nobis juſtitiam, *Rom.* 5. 19. *juſti conſtituuntur.* favorem Dei, *Rom.* 5. 10. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus.* ac vitam æternam. *Rom.* 6. 23. *Vita æterna in Chriſto Ieſu.*

13. Meritum & ſatisfactio Chriſti non differuntur re ipſa, ita ut in varijs & inter ſe differentibus operationibus debeant quæri: ſed varia ratione, [illegible]na & eadem obedientia debent agnoſci.

14. Neque ab iſta dignitate, & uſu, excludi debet ulla pars illius obedientiæ, quæ in humiliatione Chriſti reperitur.

15. Exaltatio vero Chriſti quamvis ſit mediationis ejus pars eſſentialis, non pertinet tamen ad ejus meritum, vel ſatisfactionem.

16. Satisfactio hæc, quoad ſubſtantiam rei, fuit perfecta ex rigore juſtitiæ: gratiam tamen præſupponit, qua vocatus fuit Chriſtus ad opus hoc præſtandum, & qua præſtitum acceptatum fuit noſtro nomine, & in bonum noſtrum: qua denique ex pacto remunerante perficitur illud, quod in iſta ſatisfactione quærebatur, *Joh.* 3. 16. *Ita dilexit Deus mundum, ut dederit filium ſuum unigenitum.* Rom. 3. 24. *Iuſtificantur gratis, ejus gratia, per redemptionem factam in Ieſu Chriſto.* & 5. 15. *Gratia Dei & donatio per gratiam, quæ eſt unius illius hominis, Jeſu Chriſti.*

17. Hinc ſumma juſtitia & ſumma gratia ſimul manifeſtantur, & operantur in hominis redemptione, *Rom.* 5. 17. *Exundantiam illam gratiæ, & donum juſtitiæ accipiunt*, ita ut ſatisfactionis hujus fructus omnes rectè ſimul dicantur fructus & effecta gratiæ & miſericordiæ Dei.

18. Satis-

18. Satisfactio hæc valorem habuit ſufficientem, aliqua ratione infinitum: primo, à perſona offerentis, qui fuit Deus: ſecundo, à dignitate, & præſtantia rei oblatæ. obtulit enim ſemetipſum Deum & hominem: tertio, à modo offerendi, cui divina quædam perfectio infuit ratione hypoſtaticæ unionis.

19. Sicut enim gravitas iniuriæ [illegible]cit ex dignitate perſonæ offenſæ, quia ib[illegible]itur dignitas perſonæ offenſæ: ita valor ſatisfacientis, creſcit ex dignitate ſatisfacientis, quia hic ſpectatur exhibitio honoris, qui pendet ex dignitate perſonæ exhibentis.

20. In ſatisfactione etiam non actus tantum aut paſſio, ſed ipſa etiam perſona quæ agit & patitur, voluntariè ſubmittitur obſequio illius cui honor ille exhibetur, modus etiam operationis fluit ſemper ab operante cum proportione.

21. Vbi illud etiam obſervandum, quod ſubſtantialis dignitas qualis in Chriſto fuit, magis propriè confert ad dignitatem operis, quam accidentaria, qualis eſt in hominibus quibuſdam.

22. Ex iſta dignitate perſonæ factum eſt, quod ſatisfactio Chriſti fuerit ſufficiens quoad ſubſtantiam: & ſuperabundans quoad quaſdam circumſtantias, quæ Chriſto minimè conveniebã

CAP. XXI.

De Vita Chriſti humiliati.

1. PArtes humiliationis Chriſti duæ ſunt: vita, & mors.

2. Vitæ partes duæ: prior in conceptione

29

ac nativitate, ſecunda poſtquam natus fuit.

3. Ad conceptionem duo principia cooperabantur, paſſivum unum, & alterum activum.

4. Paſſivum, fuit beata Virgo Maria: quæ dicitur paſſivum principium, non quod nihil egerit ad Chriſti procreationem, ſed quod nihil ex ſeſe egerit, niſi quod materiam illam ſubminiſtrabat, ex qua formata fuit Chriſti caro. Neque tamen immediatè idoneam potuit eam adferre (nam nullam habuit puram) ſed idonea facta eſt per præparationem & ſanctificationem quandam ſupernaturalem. *Luc.* 1. 35. *Propterea quod naſcetur ex te Sanctum.* Verè tamen ac realiter fuit Chriſtus Filius Mariæ, & ſemen mulieris ab initio promiſſum. Neque idcirco duæ ſunt in Chriſti filiationes realiter diſtinctæ, vel duo filij conjuncti. Temporalis enim illa filiatio, qua refertur ad Matrem, fuit reſpectus rationis tantum. Natura quidem Chriſti humana realem relationem habuit ad Mariam ut ad cauſam, filiatio autem nullo modo convenit naturæ, ſed perſonæ ſoli: illa tamen relatio eſt naturæ humanæ ad perſonam, & Mariæ ad illam naturam, ut verè ac rectè dici poſſit, Maria fuit Mater Dei.

5. Activum principium hujus conceptionis non fuit vir, undè beata Maria, mater & virgo ſimul fuit. *Math.* 1. 23. *Eſa.* 7. 14. Sed Spiritus Sanctus. Nec tamen poteſt Chriſtus appellari Filius Spiritus Sancti; ne quidem in quantum eſt homo; neque enim quatenus eſt homo, ejuſdem eſt naturæ cum Spiritu Sancto, neque convenit naturæ, ſed perſonæ, ut filij rationem ſubeat.

6. In

PALACE LIBRARY

6. In primo instanti hujus conceptionis accepit Christus secundum humanam naturam plenitudinem omnis gratiæ quoad actum primum; *Ioh.* 1. 14 *Plenus gratiæ ac veritatis. Luc.* 2. 40. *Implebatur sapientia.* Ita tamen ut augeri potuerit quoad actus secundos, & per extensionem ad objecta nova. *Luc.* 2. 25. *Proficiebat sapientia.*

7. Hinc Christus fuit quidem ab instanti conceptionis beatitudine ditatus, sed ita ut amore viatorum in illa progressus fecerit, usquedum pervenerit ad summam exaltationem.

8. In nativitate Christi fuit summæ paupertatis humilitas, cum attestatione summæ gloriæ: ut utraque natura, & utraque mediationis pars ab initio possit indicari.

9. Terrestria omnia quæ ad nativitatem Christi spectabant erunt humillima: Sed Angeli, & stellæ cœli gloriam illam indicabant, qua omne genus hominum commovebatur, Pastores, Magi, Herodes, & Sacerdotes, cum tota plebe, *Luc.* 1. 18. *Mat.* 2. 2, 3.

10. Nativitas hujus ratione fuit secundum carnem filius Patriarcharum totius mundi, attamen specialiter fuit semen illud Abrahami, in quo omnes gentes erant benedicendæ; & Filius ille Davidis, qui regnum non hujus mundi, sed alterius possessurus erat in æternum, *Joh.* 18. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Luk. 1. 33. *Regnabitque in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.*

11. Tempus, locus & circumstantiæ similes, nativitatem istam comitantes, eadem veritatem manifestam faciebant.

12. Post

12 Poſt nativitatem Chriſti fuit vita ejus privata & publica.

13. Privatam vixit ante publicam, quia ſic poſtulabat conditio humana, cui ſemetipſum ſubjecerat, quia ſic lex Dei conſtituerat, & ſic etiam hominum infirmitas requirebat, ut per gradus ipſis appareret Sol juſtitiæ, & ab omni imperfecto ad perfectum quaſi manu ducerentur.

14. In privata vita fuit infantia & ſubjectio erga parentes.

15. In infantia fuit I. Circumciſio & oblatio. II. Fuga in Ægyptum & inde reditus.

16. Circumciſus & oblatus fuit Chriſtus, quia ſubjicebat ſe Legi non æternæ ſoli, & morali, ſed etiam ceremoniali, & cuilibet divinæ.

17. Ceremoniales iſtiuſmodi obſervationes totidem fuerunt peccati confeſſiones: Chriſtus igitur, qui factus eſt peccatum pro nobis, congruenter etiam illis factus eſt conformis.

18. Fuerunt etiam modi quidam externi ad cultum divinum pertinentes: Chriſtus igitur eos obſervavit ut omnem juſtitiam poſſet implere.

19. Fuerunt denique typi quidam Chriſtum adumbrantes: hos ut poſſet implere, & eoſdem quaſi hoc pacto ſanctificare, illos voluit ſibimet applicare.

20. Circumciſio fuit ſigillum fœderis Dei.

21. Oblatio fuit præſentatio ac dedicatio primogeniti Deo facta: congruenter igitur Chriſtus fuit & circumciſus & oblatus, quia fœdus illud ſalutare ſuo ſanguine eſſet confirmaturus, & inter primogenitos ſolus fuit perfectè

fectè ſanctus Dei, cujus reliqui omnes tantum typi fuerunt.

22 Fuga in Ægyptum & indè reditus fuit. I. Vt ab initio ætatis oſtenderet ſe ad miſeriam ſubeundam eſſe natum. II. Vt pro ratione ſtatus ad quem ſe ſubmiſerat, humano more proſpiceret ſuæ vitæ. III. Vt oſtenderet ſimul ſe illum eſſe, qui eductus nos erat ex Ægypto ſpirituali in terram promiſſam.

23. In ſubjectione erga parentes, quæ pertinet ad quintum præceptum Decalogi, oſtendebat ſe ſubjectum toti Legi morali. I. Quia eadem eſt ratio unius præcepti & omnium. II. Quia nulla pars eſt obedientiæ moralis, quæ magis aliena videri poſſit à Chriſto Domino cœli & terræ, quam ſubjectio erga homines.

24. Quamvis hæc obedientia legalis à Chriſto jam homine facto jure creationis exigebatur, quoniam tamen non pro ſeipſo, ſed pro nobis homo factus eſt, pars fuit humiliationis & ſatisfactionis, ac meriti illius, quod Deus pro nobis ab illo poſtulavit & acceptavit.

25. In ſubjectione iſta duo ſunt obſervanda, exceptio quam patiebatur, & effectum quod producebat.

26. Exceptio fuit diſputatio, quam habuit cum ſcribis, cùm duodecim tantum eſſet annorum.

27. Diſputatio hæc prævia teſtificatio fuit publicæ illius vocationis, qua ordinatus ac miſſus eſt magiſter ac Doctor Iſraelis.

28. Fuit etiam in documentum, quod ſcientia ac ſapientia illa, qua præditus fuit Chriſtus, non fuit progreſſu temporis acquiſita, ſed ab

initio divinitus collata vel infusa.

29. Effectum hujus subjectionis fuit labor manuum, id est, nostræ illius maledictionis toleratio, qua fit ut cum labore illo panem comedamus in sudore faciei.

30. Vita publica est, qua palam manifestavit se esse Messiam. In hac vita fuit. I. initatio. II. peractio. III. conclusio.

31. Ad initiationem pertinet Baptismus, & Tentatio.

32. Baptismus Christi fuit publica illius inauguratio ad officium suum publicè fungendum: In eo igitur tria Christi munera asseruntur & confirmantur.

33. Asseruntur patris testimonio publicè pronunciantis, Iesum Christum esse Filium suum, atque adeo Regem á se constitutum esse etiam illum in quo sibi complacuit, id est, summum Sacerdotem, qui sua intercessione ablaturus erat peccata mundi, & summum Prophetam. *Matth. 3.17. & 17. 5. Hic filius meus in quo acquiesco: ipsum audite.*

34. Confirmantur eadem munera signis: apertione scilicet cœli, descensu spiritus Sancti sub corporea specie columbæ, super Christum acquiescentis, ac voce audibili cœlitus demissa, qua testimonium Patris fuit significatum.

35. Confirmata etiam fuerunt testmonio Ioannis, qui constitutus fuit in testem, præconé, & præcursoreé Christi, & partim revelatione Spiritus, partim autē signis illis antepositis certior factus de Christo, de ipso apud alios testabatur.

36. Baptismo insuper Christi confirmatus fuit & sanctificatus Baptismus noster; & simul indicata

cata perſona, cui ita adhæret Baptiſmus, ut vis ejus in ipſo ſit quærenda.

37. Tentatus fuit Chriſtus, ut oſtenderet ſe multo fortiorem eſſe primo Adamo, & tentationes etiam vincere poſſe, ac nobis etiam ſuccurrere cum συμπαθεία.

38. Peractio vitæ publicæ fuit. I. In paupertate, & labore.

39. Paupertas Chriſti fuit ſine voto ſingulari, & ſine mendicitate.

40. Labor Chriſti fuit in peregrinatione variarum regionum, vigiliis & omnium virium intentione maxima ad benefaciendum.

41. II. Peragebatur hæc Chriſti vita publica in prædicando, ac miraculis edendis. Prædicationi Chriſti adjuncta ſemper fuit quoad ipſum gratia & authoritas, quoad alios vel apertio, vel obduratio cordis.

42. Prædicationis objectum, Evangelium, vel Regnum cœlorum propriè fuit. *Marc.* 1. 14. *Prædicans Evangelium Regni Dei.*

43. Miraculorum finis fuit. I. Perſonam Chriſti demonſtrare. II. Doctrinam ejus confirmare. III. Spirituales ipſius operationes ſignificare.

44. Miracula edidit Chriſtus Angelis, hominibus, brutis, & inanimatis: In cœlo, terra, aëre & mari: In corporeis ſpiritualibus: ut oſtenderet univerſalem ſuam ac divinam poteſtatem in omni genere rerum æquivalentem.

45. Concluſio vitæ Chriſti fuit in ipſa præparatione ad mortem.

46. Præparatio ad mortem fuit in diſcipulorum inſtructione & conſolatione.

47. In-

47. Inſtructio hæc & conſolatio partim adhibita fuit in tranſiguratione. *Luc.9.31. Moſes & Elias viſi cum gloria dicebant ipſius exitum.* Et ſacramentis illis, quæ ſingulari quadam ratione ad mortem Chriſti ſpectant; Paſchate ſcil. & Cœna Dominica: partim in exemplo, *Joh.13.15. Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis:* partim in ultima ejus concione *Ioh.14.15,16.* & partim in oratione. *Ioh.17.*

CAP. XXII.

De morte Chriſti.

1. MOrs Chriſti, ultimus humiliationis actus, quo ſubijt extremas, horribiles & maximas pro hominum peccatis pœnas.

2. Fuit actus Chriſti, & non mera paſſio: quia ſeipſum ex conſilio diſpoſuit ad eam ſubeundam & ſuſtinendã. *Ioh.10.11. Ego ſũ paſtor ille bonus: bonus paſtor animam ſuam deponit pro ovibus. verſ.11. Nemo tollit eam à me, ſed ego depono eam per meipſum:* eadem etiam ratione fuit voluntaria, non coacta. Et ex poteſtate, non ex infirmitate tantum: ex obedientia erga patrem, & amore erga nos, non ex proprio reatu vel merito: ad ſatisfactionem, vincendo, non ad perditionem, ſuccumbendo.

3. Continebat pœnas maximas: quia miſeriam illam totam æquabat, quam hominum peccata merebantur. Hinc illa copia verborum & phraſium, quibus in Scripturis iſta mors deſignatur. Non enim ſimpliciter mors appellatur, ſed etiam ſucciſio, abjectio, conculcatio, male-

maledictio, plagarum accumulatio, & similia. *Esa.* 13. *Psal.* 22.

4. Istas autem pœnas sic continebat, ut earum duratio, deordinatio, & circumstantiæ similes, quæ peccatorum omnium damnatorum pœnas comitantur, ab ista morte fuerint remotæ, *Act.* 2. 24. *Fieri non poterat ut ipse à morte retineretur.* Ratio est, primo, quia hujusmodi circumstantiæ non sunt de essentia ipsius pœnæ: sed adjuncta pœnam illam consequentia & comitantia, in ijs qui non possunt pœnam ita ferre ut ferendo satisfaciant. Secundo, quia in Christo & dignitas & potestas fuit, pœnam impositam hoc pacto quasi vincendi. 1. *Cor.* 15. 54, 57. *Absorpta est mors in victoriam. Deo habetur gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

5. Quia autem in ista morte consummatio fuit omnis humiliationis, cujus illa etiam fuit pars longè maxima: hinc sæpè in Scripturis, per synecdochen membri, mors ipsa Christi ponitur pro tota satisfactione illa, quæ in humiliatione ejus integra continebatur.

6. Limitationibus istis adhibitis, eadem fuit hæc mors Christi, genere & proportione, cum illa morte, quæ hominum peccatis ex justitia debebatur, eosdem planè gradus, membra, & species repræsentans.

7. Spiritualis mortis Christi inchoatio in genere damni, fuit amissio gaudij ac delectationis illius, quam ipsi fruitio Dei & gratiæ plenitudo solebat auferre. Amittebat autem hoc spirituale gaudium, non quoad principium & habitum, sed quoad actum & sensum.

8. Spi-

8. Spiritualis mortis Chriſti inchoatio in genere ſenſus fuit iræ divinæ deguſtatio, & ſubjectio quædam ad poteſtatem tenebrarum. Ira autem illa divina maximè propriè fuit, calix ille qui Chriſto tradebatur bibendus. *Math.* 26. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, abeat à me poculum iſtud.*

9. Iræ autem hujus obiectum fuit Chriſtus, non abſolutè, ſed tantummodo quoad pœnam, quæ per iram infertur, quam ille tanquam ſponſor noſter ſubivit.

10. Subjectio illa ad poteſtatem tenebrarum non fuit ad ſervitutem, ſed ad vexationem, quam in animo ſuo Chriſtus expertus eſt.

11. Ex iſtis affecta fuit anima Chriſti, triſtitia, dolore, pavore & horrore in ἀγωνία. *Math.* 26. 39. *Ioan.* 12. 27. *Heb.* 5. 7. *Luc.* 22. 24.

12. Hunc autem in modum affecta fuit anima Chriſti, non in parte tantum illa, quam nonnulli appellant inferiorem, ſed etiam in ſuperiore: non tantum neque præcipuè ex συμπαθεία quam habuit cum corpore, ſed propriè & immediatè: neque præcipuè ex compaſſione quam habuit reſpectu aliorum, ſed ex propria paſſione, quam noſtro nomine ſponte ſubivit: non deniq; ex corporalis mortis horrore, quem multi etiam ex Chriſti ſervis, ejus virtute ſuperarunt, ſed ex ſenſu quodam mortis ſpiritualis, ac ſupernaturalis.

13. Ἀγωνίας hujus effecta duo fuerunt. Primo deprecatio vehemens, animum attonitum & naturam ab acerbitate mortis fugientem oſtendens, ſed ſub conditione & cum ſubjectione ad voluntatem Patris. *Marc.* 14. 35. *Oravit ut, ſi fieri poſſit, abiret ab ipſo hora illa. Joh.* 12. 27.

Anima

Anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater, libera me ab hac hora: ſed propterea veni in hanc horam. Secundo ſudor aqueus mixtos habens grumos ſanguinis in terram ſtillantes. *Luc.* 22. 44. *Conſtitutus in angore, intentius orabat. Erat autem ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terram.*

14. In hac ſpiritualis mortis Chriſti inchoatione, moderatio quædam & mitigatio fuit, ut locus interim eſſet officijs illis quæ ante mortem ejus erant peragenda, precibus nempè, colloquijs, monitis, reſponſis.

15. Moderatio hæc fuit, vel interna, vel externa.

16. Interna fuit, per intervalla ex remiſſione preſſuræ & vexationis, quam in anima ſentiebat. Hinc intellectu attendebat ad ſuſcepti muneris rationem, ad gloriam inde patri & ſibi exorituram, & ad ſalutem eorum quos pater ipſi dederat: voluntate etiam omnes mortis miſerias eligebat, & amplexabatur, ad fines illos aſſequendos.

17. Externa hujus mortis mitigatio fuit per Angelum qui ipſum colloquio corroborabat, *Luc.* 22. 43. *Conſpectus eſt autem ei Angelus è cœlo corroborans eum.*

18. Corporalis Chriſti mortis inchoatio, nulla fuit interna, præter mortalitatem naturalem, & debilitationem illam, quam externa vis inferebat.

19. Externa fuit multiplex, & in genere damni, & in genere ſenſus.

20. In genere damni, à populo ſuo fuit reprobatus, & peſſimo ſicario poſthabitus, à diſcipulis

pulis intimis deſertus, abnegatus & proditus ab omni hominum genere, præſertim à primarijs, & ijs qui prudentiores habebantur; inſanus, impoſtor, blaſphemus, dæmoniacus magnus, & alieni regni invaſor audivit, veſtibus nudatus fuit, & potu neceſſario deſtitutus.

21. In genere ſenſus fuit: Primo apprehenſio probroſa: Secundo raptio violenta: Tertio, judicia iniquiſſima, tam eccleſiaſtica, quam politica: Quarto, in irriſione, flagellatione & crucifixione, cum contumelijs, & injurijs omne genus adjunctis. Iſtius tamen mortis mitigatio quædam fuit: Primo, per majeſtatis divinæ manifeſtationem, ad miracula quædam edenda: vt in militibus conſpectu, & voce ſua proſternendis, & in auricula Malchi ſananda: Secundo, per providentiæ divinæ operationem, qua factum eſt, ut à judice prius juſtificatus fuerit, quam condemnatus. *Math.* 27. 24. *Innoxius ego ſum à ſanguine hujus juſti.*

22. Conſummatio mortis Chriſti fuit in ſummo gradu pœnæ conſtitutæ, ubi & mors ipſa eſt conſideranda & ejus continuatio.

23. Spiritualis pœnæ conſummatio in genere damni fuit, derelictio illa patris, qua omni ſenſu conſolationis fuit privatus. *Math.* 27. 46. *Deus mi, Deus mi, cur deſeruiſti me?*

24. Conſummatio Chriſti mortis in genere ſenſus, fuit maledictio, qua plenum judicij divini in hominum peccata ſenſum ferebat. *Gal.* 3. 13. *Pro nobis factus eſt execratio*, hujuſmodi maledictionis non cauſa & ratio, ſed ſignum & Symbolum fuit ſuſpenſio in cruce. *ibid.*

25. Conſummatio mortis corporalis fuit in expi-

exſpiratione animæ, cum maximo corporis cruciatu & dolore.

26. In iſta morte, ſeparatio facta eſt animæ à corpore, ſed utriuſque tamen unio manebat cum natura divina, ita ut perſonæ ſolutio non ſit ſecura.

27. Mors iſta Chriſti fuit vera, non ficta: fuit naturalis vel à cauſis naturaliter efficacibus ad eam inferendam, non ſupernaturalis: fuit voluntaria, non planè coacta; fuit tamen violenta, non ex principijs internis: fuit etiam aliquo modo ſupernaturalis & miraculoſa, quia vitam & vires quouſque voluit Chriſtus conſeruabat, & quando voluit deponebat. *Iob.* 10. 18.

28. Continuatio hujus mortis fuit, quoad ſtatum extremæ humiliationis, non quoad pœnam afflictionis, de illis enim pœnis intelligitur, quod dixit Chriſtus, *Conſummatum eſt.*

29. Continuatio fuit permanſio ſub dominio mortis per triduum. *Act.* 2. 24. Status iſte propriè notari ſolet per exiſtentiam apud inferos.

30. Status hujus teſtimonium & repræſentatio quædam fuit triduana Chriſti ſepultura.

CAP. XXIII.

De Exaltatione Chriſti.

1. EXaltatio Chriſti eſt qua gloriosè triumphavit de ſuis & noſtris inimicis, *Luc.* 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & introire in gloriam ſuam?* Eph 4. 8. *Quum aſcendiſſet in ſublime, captivam duxit captivitatem.* Col. 2. 15. *Expoliata imperia ac poteſtates traduxit palam triumphatas illis per eam.*

2. Mor-

2. Mortem ſuperavit ferendo, peccatum ſatisfaciendo, diabolum ſpoliando, vel prædam è manibus ejus eripiendo.

3. Hujus victoriæ perfectio & manifeſtatio eſt in exaltatione. Quamvis igitur triumphus virtualis & meriti fuit in morte, & in cruce, in qua Chriſtus dicitur exaltari vel extolli. *Ioh.* 3. 14. non ſitu & loco tantum, ſed etiam virtute & merito; actualis tamen triumphus, quoad ſtatum, non fuit in humiliatione, ſed exaltatione.

4. In cruce triumphavit Chriſtus, tanquam in campo victoriæ; in exaltatione verò, quaſi in ſella regiâ & curru triumphali.

5. Gloria hujus triumphi fuit, commutatio humilis formæ ſervi, & abjectiſſimæ conditionis iſtius quam in illa ſubierat, in beatitudinem planè cœleſtem. *Phil.* 2. 9. *Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, & donabit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen.*

6. Quoad naturam divinam, fuit manifeſtatio tantum activa. Quoad humanam naturam, receptio fuit realis, cum actionibus congruis ex illa manantibus.

7. Humana natura recepit omnes illas perfectiones, quas natura creata capere poſſet. In anima enim vigebat omnimoda ſapientiæ & gratiæ plenitudo, non tantum quoad principium & habitum, ſed etiam quoad actum & exercitium: corpus etiam ſumma puritate, agilitate, ſplendore & robore fuit ornatum. *Hebr.* 12. 2. *Pro ſibi propoſito gaudio ſuſtinuit crucem.* Phil. 3. 21. *Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat eius corpori glorioſo.*

8. Quemadmodum autem anima Chriſti jam

exaltata, animæ naturam adhuc retinebat, ita corpus etiam glorificatum corporis essentiam & essentiales proprietates nequaquam deponebat: neque igitur ubique, neque simul in multis locis, neque in eodem loco cum alio corpore penetrativè se potest habere. Quod quidem omnes qui oculos habent ad videndum, clarè perspicere possint in illis Scripturæ phrasibus: *Disiunctus ab eis sursum ferebatur in cœlum*, Luc. *ult.* 51. *Non est hic: resurrexit enim. Matth.* 28. 6. & similibus multis.

9. Exaltationis gradus tres fuere, totidem gradibus extremæ humiliationis oppositi: scilicet resurrectio à mortuis, oppositæ morti; ascensio in cœlos, descensui in sepulchrum & ad inferos; & sessio ad dextram Dei, permansioni in sepulchro, & in statu mortis, vel apud inferos.

10. Resurrectio Christi fuit totius humanæ naturæ, quæ antea per mortem ceciderat. Respectu animæ fuit ab inferis, vel à statu & dominio mortis, cui anima, prout pars erat humanæ naturæ, fuit subjecta. Respectu corporis fuit à mortuis, & sepulchro.

11. Anima impropriè dicitur surrexisse: corpus autem & humana natura propriè. Corpus enim & homo perfectionem suam propriè recuperavit: anima autem perfectionis actum & mortuum in corpore.

12. Resurrectionis duæ sunt partes; prima est actus internus, revivificatio scilicet per corporis & animæ unionem redintegrata: secunda est actus externus, exitus, nempè è sepulchro ad patefactionem vitæ restitutæ.

13. Re-

13. Resurrectioni huic testimonia præbebant. 1. Angeli. 2. Christus ipse *varys apparitionibus* (quarum decem saltem in scripturis enumerantur) & *probationibus* etiam ex scriptura petitis. 3. Homines, qui videndo, audiendo, & palpando certiores ea de re fiebant.

14. Resurrexit autem Christus, non virtute aliena aut precaria, quamvis Deo Patri tribuatur hæc operatio. *Act.* 2. 24. sed propria, *Ioh.* 2. 19. *Destruite Templum hoc, & intra triduum excitabo illud.* & 10. 18. *Auctoritatem habeo animam rursus assumendi.*

15. Resurrectionis tempus fuit, tertius dies à morte & sepultura. *Matth.* 16. 21. *Luc.* 24. 7. *Act.* 10. 40. 1. *Cor.* 15. 4.

16. Finis resurrectionis fuit, 1. Vt Filius Dei demonstraretur, *Rom.* 1. 4. *Declarato Filio Dei potenter per resurrectionem ex mortuis.* 2. Vt victoriam plenam de morte obsignaret, 1. *Cor.* 15. 57. *Deo habetur gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* 3. Vt officio sui patres, quæ mortem sequebantur impleret, *Rom.* 4. 25. *Suscitatum ad nostri justificationem.* 4. Vt se, & justificatum, & alios justificantem ostenderet, 1. *Cor.* 15. 17. *Si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.* 5. Vt resurrectionis nostræ, tam spiritualis, quam corporalis, hypostasis, exemplar, & initiatio fieret, *vers.* 20. 21, 23. ejusdem capitis. *Primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. In Christo omnes vivificabuntur.*

17. Christus enim ut Deus, est causa absolutè principalis nostræ resurrectionis: ut humiliatione & morte sua satisfaciens, est causa

ejus meritoria: sed exemplaris causa est, ut à morte resurgens, & simul etiam tam demonstratio quam initiatio.

18. Ascensio Christi in cœlum est medius gradus vel progressus quidam exultationis, quo relicta terra in cœlum Empyreum, tanquam in solium gloriæ ascendit, *Act.* 1. 11. *Sursum receptus est à vobis in cœlum.* Eph. 4. 10. *Ascendit longè supra omnes cœlos.*

19. Ascensio hæc totius fuit personæ. Naturæ tamen divinæ non convenit, nisi figuratè; quatenus nempè causa fuit ascensionis, & cum humana natura conjectura fuit in sublimitate, gloriam etiam suam in illo manifestam faciens, qua semet antea quasi inexinaverat, cum in illam descenderet per incarnationem: sed humanæ naturæ maximè propriè convenit, quia mutationem inferioris loci in superiorē patiebatur.

20. Tempus ascensionis fuit 40. dies à resurrectione. *Act.* 1. 3. Non citius: quia discipulorum infirmitas hujus interstitij moram postulabat, ut eorum fides varijs apparitionibus confirmaretur, atque illi etiam plenius instituerentur in ijs, quæ pertinent ad regnum Dei. *Act.* 1. 3. Non serius, ne terrenam vitam viderentur meditari.

21. Locus à quo ascendebat, fuit *Mons Oliveti*, *Act.* 1. 12. ubi etiam extremam humiliationem ingressus est. *Luc.* 22. 39. ut passionem & ascensionem, eodem spectare doceret.

22. Locus in quem ascendebat, fuit cœlum beatorum, & empyreum, quod non est cœlum *ubiquitarium*, ut quidam imaginantur, ita ut ascensio ista mutatio esset *status* tantum: & non loci:

loci: ſed eſt ſupremum, ſupra omnes alios cœlos, *Eph.* 4. 10. ſedes, domus vel domicilium Dei. *Joh.* 14. 2. ita ut, quoad localem præſentiam, Chriſti humana natura rectè & verè dicatur non eſſe nobiſcum in terris, *Math.* 16. 11. quamvis ipſe, quoad perſonam, & ſpiritualem illam efficaciam, quæ pendet ex humana natura, ubique ſemper ſit cum ſuis ad finem uſque mundi, *Mat.* 28. 20.

23. Teſtes hujus aſcenſionis fuerunt, & homines multi, & Angeli. *Act.* 1.

24. Quoad ordinem, primus omnium fuit, qui aſcenderunt in cœlum, prioritate naturæ: quia cauſa fuit ejus aſcenſio, cujus virtute cæteri aſcendunt, *Heb.* 9. 8. ſed prius tempore alij aſcenderant animis. *Col.* 1. 20. & quidam etiam (ut maximè veriſimile eſt) corporibus. *Gen.* 5. 24. *Heb.* 11. 5. 2. *Reg.* 2. 11.

25. Cauſa hujus aſcenſionis; eadem fuit quæ antea fuit reſurrectionis; Virtus nempè divina, quæ eadem eſt & Patris & Filij. Hinc reſpectu Patris dicitur *aſſumptio*, quæ reſpectu Filij dicitur *aſcenſio*: *Act.* 1. 11. Sed accedebat inſuper conditio corporis glorificati; quod æquè ſurſum fertur, atque deorſum.

26. Fines aſcenſionis fuerunt. 1. Vt humanam naturam jam glorificatam, in domicilio gloriæ collocaret. 2. Vt ſe illum eſſe oſtenderet, qui cœleſtia & altiſſima conſilia Dei penetrare poſſet, *Ioh.* 3. 13. *Quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis? Nullus enim aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, nempè filius hominis, qui eſt in cœlo.* 3. Vt ſuis omnibus manſiones pararet in domo Patris. *Ioh.* 14. 3, 4. Vt ſuorum nomine

posset capere possessionem cœlestis regni, *Eph.* 2. 6. *Una suscitavit, unaque collocavit in cœlis, in Christo Iesu.* 5. Vt ea, quæ in cœlis ad salutem eorum erant expedienda, & intercessione & potentia sua curaret. *Ioh.* 19. 7. *Si profectus fuero, mittam Advocatum ad vos.* 6. Vt ascensionis nostræ in cœlum certissimum argumentum habeamus, 1. *Cor* 15. 20. *Primitiæ eorum qui obdormierunt factus est.* 7. Vt nos etiam cognitione, affectu, & conversatione, quæ cœlestia sunt, prosequamur. *Col.* 3. 1. *Phil.* 3. 20 *Superna quærite, ubi Christus est. Nos ut municipes cœlorum nos gerimus: undè etiam Servatorem expectemus, Dominum Iesum Christum.*

27. *Sessio ad dextram Dei* est supremus gradus exaltationis, quo summa gloriæ suæ mediationis ponitur. Hinc *resurrectio* & *ascensio* sunt *motus* ad istam sessionem tendentes: hinc etiam *resurrectio & ascensio* nobis aliquo modo communis est cum Christo; *sessio* autem *ad dextram Patris* non convenit alijs præterquam Christo soli.

28. Summa illa gloria, qua donatus est Christus hac sessione, propriè & formaliter est regia. *Act* 2. 36. *Certo sciat ergo tota domus Israelis, quod Deus hunc fecerit Dominum.*

29. Regia hæc gloria est potestatis & majestatis plenitudo, qua omnia gubernat in bonum suorum, *Psal* 110. 1. 1. *Cor.* 15. 25. *Nam oportet eum regnare, usquequo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus.*

30. Majestas & potestas ista convenit propriè personæ Christi Mediatoris: cujus respectu verè etiam dicitur, humanam Christi naturam

turam tantum jam habere eminentiam dignitatis, & imperij, ut cum potestate præsit ac præficiatur omnibus rebus creatis, *Eph.* 1. 20. Ex hac autem eminentia dignitatis concludere, humanam Christi naturam (quæ creata fuit, & manet finita) absolutè & abstractè consideratam, habere cum ipso Deo eandem omnipotentiam & omnipræsentiam, nihil aliud est, quam stupida quædam insania, & non multum abest à blasphemia.

31. Ad regiam istam dignitatem pertinet illa potestas, qua Christus factus est Iudex omnium hominum & Angelorum.

32. Regia ista Christi gloria redundat etiam in cætera ejus munera, ita ut regium exerceat sacerdotium, & prophetiam regiam.

33. Regium sacerdotium est, quo non patiendo, & humiliter applicando quasi genibus flexis, sed gloriosè quæ fecit ac tulit, repræsentando nostram causam agit, *Hebr.* 9. 24. *Ingressus est Christus in ipsum cœlum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis.*

34. Prophetiam regiam exercet Christus: dum spiritum suum effundit supra omnem carnem: dum legatos mittit, cooperatur ipsis, & eorum sermonem confirmat per signa subsequentia: dum suos denique è mundo colligit, protegit, ædificat, & in æternum conservat. *Matth.* 28, 18, 19, 20. *Marc.* 16. 20.

CAP. XXIIII.

De Applicatione Christi.

Sic fuit redemptio: applicatio sequitur ejusdem redemptionis.

APplicatio hæc est, qua omnia illa, quæ Christus ut mediator fecit, facitque, actu efficacia in certis quibusdam hominibus redduntur.

2. Applicetio hæc per singularem appropriationem tribuitur Spiritui Sancto. 1. *Cor.* 12. 13. *Per unum Spiritum, nos omnes in unum corpus baptizati sumus.* Pendet tamen 1. à decreto & donatione Patris, qua certos quosdam homines Christo dedit redimendos ac salvandos, *Ioh.6.39 Hæc est voluntas Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo.* Omnes enim & soli illi, quos Pater dedit Christo, veniunt ad illum, *ibid.vers.* 37.2. A Christi intentione, qua satisfacti onem suam in bonum eorum destinavit, quos h abuit sibi à Patre destinatos, *Joh.* 17.9, 11, 12, 19. *Ego pro eis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* 3. Ab acceptatione Patris, qua satisfactionem illam ad reconciliationem & salutem eorundem, habuit acceptam & ratam. 2. *Cor.* 5. 19. *Nempè quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.*

3. Hæc transactio inter Deum & Christum fuit prævia quædam applicatio redemptionis & liberationis nostræ ad sponsorem nostrum, & ad nos in ipso: quæ ad secundariam istam in nobis

nobis peragendam, rationem habet efficacis cujusdam exemplaris, ita ut illa sit hujus repræsentatio, & hæc illius virtute producatur.

4. Hinc liberatio nostra à peccato & morte non tantum in Dei decreto fuit statuta, sed etiam Christo, & nobis in ipso concessa & communicata, antequam à nobis percipiantur. *Rom.* 5. 10, 11. *Reconciliati fuimus Deo, per mortem Filij ejus. Per quem nunc reconciliationem recepimus.*

5. Hinc & Pater & Filius mittere dicuntur Spiritum ad applicationem istam perficiendam. *Joh.* 14. 16. & 16. 7. *Pater dabit vobis advocatum. Mittam eum ad vos.*

6. Hinc omnis donatio bona, & omne bonum integrum supernè descendere dicitur à Patre. *Iacob.* 1. 17. & omnia salutaria communicari nobis dicuntur *in Christo*, ut in capite, *propter Christum*, ut merito suo impetrantem, & *per Christum*, ut efficaciter applicantem. *Eph.* 1. 3, 5, 11.

7. Hinc etiam applicatio est finis, & effectum impetrationis. Finis autem, cum sit à Deo Patre & Christo intentus, certam habet cum impetratione ut medio suo connexionem. Si enim redemptio Christi ambigui esset eventus, tum Pater Filium destinaret morti, & Filius etiam eandem subiret, incertus adhuc, an quisquam per eum salvus fieret nec ne; tum etiam totus hujus mysterij fructus ex hominum arbitrio penderet.

8. Hinc applicatio ejusdem planè latitudinis est cum ipsa redemptione. i. omnibus, & solis istis applicatur Christi redemptio, quibus fuit ex Christi & Patris intentione impetrata. Horum

tamen intuitu, in alios etiam quædam Christi beneficia temporalia redundant.

9. Atque hoc sensu, respectu scilicet intentionis applicandi, rectè dicitur Christus pro ijs tantum satisfecit, qui per ipsum servantur: quamvis respectu sufficientiæ illius, quæ est in Christi mediatione, rectè etiam dicatur, Christus pro omnibus, aut quibusvis satisfecit: & quia consilia ista Dei sunt nobis occulta, charitati consentaneum est, de singulis optimè judicare, quamvis de omnibus collectivè non liceat pronunciare, Christum ex æquo eorum causam apud Deum egisse.

10. Applicationis hujus ratio, qua maxima cum firmitate præstat illud, quod fœdere prius contracto & violato continebatur, dicitur in Scripturis *fœdus novum. Heb.*8.8,10 *Fœdus vitæ, salutis ac gratiæ, Rom.*4.16. *Gal.*3.18. Quod eodem sensu *Evangelium etiam vocatur, Rom.*1.16. *bonum Dei verbum, Heb.*6.5. *sermo fidelis, & omni acceptatione dignus,* 1. *Timoth.*1.15. *doctrina bona,* 1. *Timoth.*4.6. *verbum vitæ, Philip.*2.16 *verbum reconciliationis,* 2. *Cor.*5.19. *Evangelium pacis, Eph.* 2.17. *&* 6.15. *Evangelium salutis & verbum veritatis, Eph.*1.13. *brachium Dei, Esa.*53.1. *odor vitæ ad vitam,* 2. *Cor* 2.16.

11. Fœdus dicitur, quia firma est promissio: in scripturis enim quodlibet firmum statutum, quamvis sit de rebus inanimis, dicitur fœdus: *Jerem.*33.20,25. *Fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte. Si non fœdus meum interdiu & noctu, si statuta cœli & terræ non disponam.*

12. Quia tamen gratuita donatione constat, & mortem donationis confirmatur, non tam propriè fœdus

fœdus quam *testamentum* vocatur, *Heb.* 9. 16. quod cum in priori non invenitur, illud non tam propriè testamentum vocatur qum fœdus.

13. Differt autem fœdus hoc novum a vetere multiplici ratione. 1. Genere: illud enim fuit quasi fœdus amicitiæ inter creatorem & creaturam: hoc vero est reconciliationis inter inimicos.

14. 2. Efficiente: in eo enim duarum partium, Dei nempe hominis fuit compactum: in isto verò solus Deus paciscitur. Homo enim jam in peccatis mortuus, nu lam facultatem habuit spirituale fœdus cum Deo contrahendi. Si vero duæ partes pro fœderis ratione sint constituendæ, tum tamen Deus solus est pars assumens, & constituens, homo autem est pars assumpta.

15. 3. Differt objecto: illud enim ad omnes homines extenditur: hoc autem ad certos quosdam singulari quadam ratione spectat. Quamvis enim ejus promulgatio humano more promiscuè sæpè proponatur, speciali tamen proprietate ad eos pertinet & dirigitur, quibus à Deo intenditur, qui idcirco appellantur *filij & hæredes promissionis hujus, ac salutis*. Gen 15. Act. 1. 39. & 3. 25. Rom. 4. 16. 13. & 9. 7, 8. Gal. 3. 21, 29.

16. 4. Principio vel causa quasi movente: ibi enim pro imperio egit Deus ex sapiente & justo suo consilio: hic verò misericordia sola locum habuit. Ibi quidem ratio aliqua gratiæ elucebat in constitutione præmij obedientiæ debitæ: à gratia tamen propriè non dirigebatur, atque adeo non illud, sed istud fœdus perficiebatur, id est, actu hominem ad fœlicitatem perducebat.

17. 5. Fu

17. 5. Fundamento, quod in priori fuit hominis ipsius facultas, in isto vero Christus Iesus.

18. 6. Materia vel bonis promissis: in illo enim vitam solam pollicebatur Deus; in hoc autem justitiam etiam, & omnia media vitæ; quia homini jam mortuo, non vitæ continuatio, vel perfectio, sed restitutio ipsa fuit necessaria.

19. 7. Conditionibus: illud enim perfectam postulabat operum obedientiam, quæ & propriis viribus ab homine fuit præstanda ante omne promissionis effectum, ut meriti rationem ad illud haberet; hoc autem nullam propriè dictam, aut antecedentem conditionem requirit, sed subsequentem solam, aut intermediam, eamque per gratiam communicandam, ut medium sit ejusdem gratiæ perficiendæ: quæ est fidei propria natura.

20. 8. Effectis: illud enim docet ac ostendit quid justum sit, hoc verò ipsam justitiam confert. In eo fuit litera mortua, & peccatori mortifera: in isto verò spiritus vivificans.

21. Hinc illud nemini hominum salutem unquam attulit, neque peccatori cuiquam potuit adferre, sed mortem solum: hoc verò nemini propriè ac per se mortem adfert aut condemnationem, sed omnibus ijs, à quibus recipitur, certam adfert salutem.

22. 9. Adjunctio durationis: illud enim antiquatum est respectu eorum, qui novi hujus participes fiunt: hoc autem est sempiternum, & respectu continuationis quam habet in sese, quia nullum admittit finem aut variationem quoad substantiam, & respectu eorum quibus communicatur, quia gratia hujus fœderis dura-

tat perpetuo cum ijs, qui semel sunt verè fœderati.

CAP. XXIII.

De Prædestinatione.

1. QVoniam hæc applicatio redemptionis in certos quosdam homines fertur, & non in omnes, ita ut manifestam differentiam ostendat inter homines quoad gratiæ dispensationem; hinc primo nobis apparere facit Dei circa homines prædestinationem.

2. Fuit quidem prædestinatio ab æterno, *Eph.* 1. 4. *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta.* 2. Tim. 1. 9. *Quæ gratia data est nobis ante tempora seculorum.* Et operabatur etiam ab initio operum Dei: sed nullam disparitatem internam facit in ipsis prædestinatis, ante applicationis hujus actualem dispensationem, *Eph.* 2. 3. *Eramusque natura filij iræ, ut etiam reliqui.* 1. Cor. 6. 11. *Hæc eratis quidem.* Prædestinatio enim ante applicationem gratiæ nihil ponit in prædestinatis, sed latet in prædestinante solo.

3. Prædestinatio hæc est decretum Dei de specialis gloriæ suæ manifestatione in hominum statu æterno. *Rom.* 9. 22, 23. *Volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum iræ cohibitione, vasa iræ, compacta ad interitū. Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* 1. Thess. 5. 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam.*

4. Destinatio dicitur: quia est certa determinatio ordinis mediorum ad finem. Quia verò

ante

ante omnem existentiam rerum actualem, Deus hunc ordinem apud seipsum statuerat, idcirco non simpliciter destinatio, sed prædestinatio vocatur.

5. Decretum dicitur; quia definitam sententiam continet certo consilio exequendam. Eodem etiam sensu dicitur propositum & consilium, quia consulta quasi deliberatione finem proponit assequendum.

6. Hinc prædestinatio sapientiam, libertatem, firmitatem & immutabilitatem summam habet sibi adjunctam: quia hæc reperiuntur in omnibus Dei decretis.

7. Prædestinationis igitur ratio est immobilis, & indissolubilis. 2. *Tim* 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sunt sui.* Et prædestinationem sub illa ratione numerus non tantum formalis vel numerans (ut loquuntur) id est, Quot homines salvi tandem fient, & quot non: sed etiam materialis, vel numerans, id est, Quinam sint singulares illi homines, certus est apud Deum, non tantum certitudine præscientiæ, sed etiam ordinis meditorum, *Luc.* 10.20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

8. Prædestinatio enim, nec terminum, nec objectum suum necessario præsupponit ut existens, sed ponit ut existat: ita ut vi prædestinationis ordinetur ut sit. 1. *Pet.* 1. 20. *Christi præcogniti ante iacta mundi fundamenta.*

9. Hinc etiam à nulla causa, ratione vel conditione externa pendet, sed purè proficiscitur à prædestinantis voluntate. *Matth* 11.26. *Etiam Pater, qui ita libuit tibi.* Rom. 9. 16, 18. *Non est volentis,*

volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Cujus vult miſeretur, quem autem vult, indurat.

10. Hinc neque neceſſarium eſt, neq; Scripturis conſentaneum, aut ullam qualitatem prærequiſitam ſtatuere in homine quaſi formale objectum prædeſtinationis, aut ullum certum hominis ſtatum ſic aſſignare, ut reliqui excludantur: ſufficit enim intelligere homines eſſe objectum hujus Decreti, ita ut differentia Decreti non pendeat ex homine, ſed differentia illa, quæ in hominibus reperitur, ex Decreto illo conſequatur.

11. Ad Prædeſtinationis decretum, quoad ordinem intentionis, nulla prærequiritur, aut præſupponi debet præſcientia, præter ſimplicem intelligentiam illam, quæ eſt omnium poſſibilium: quoniam à nulla ratione vel conditione æterna pendet, ſed puriè proficiſcitur à prædeſtinantis voluntate. *Eph. 1. 5, 9. Prædeſtinavit nos pro benevolo affectu voluntatis ſuæ. Secundum gratuitam ſuam benevolentiam, quam præſtituerat in ſeſe.*

12. Eſt propriè actus voluntati divinæ, quo circa certum objectum verſatur, quod ad finem certum per certa media perducere ſtatuit, *Eph. 1. 11. In ſortem adſciti ſumus, quum eſſemus prædeſtinati, ſecundum præſtitutum ejus, qui agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.*

13. Ratio hujus decreti, prout exiſtit in mente divina, præſupponens actum voluntatis, vocatur præcognitio: undè fit quod Præſcientia idem aliquando ſonet quod prædeſtinatio, ſed minus propriè. *Rom. 11. 2. Non abjecit populum ſuum quem præcognovit.*

14. In

14. In Deo propriè, quoniam omnia sunt simul, & nihil prius aut posterius, unicus est actus voluntatis, atque adeo unicum decretum circa finem & media: sed pro nostro concipiendi modo, Deus ordine intentionis prius vult finem quam media, *Rom.*8. 30. *Quos prædestinavit, vocavit.* Quamvis ordine executionis prius velit media quam directionem eorum ad finem, 2. *Thess.* 2. 13. *Elegit nos ad salutem, per sanctificationem, & fidem.*

15. Media quædam sunt, & finis, & aliorum etiam mediorum causæ. *Ioh.*6.37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eũ qui venit ad me, nequaquã ejecerim foras.* ipsius tamẽ prædestinationis actus non sunt causæ, neq; omnium ejus effectorum.

16. Quædam sunt media, quæ sua natura ordinem habent ad prædestinationis finem: cujus generis sunt omnia illa quæ pertinent ad gratiam in Evangelio revelatam, alia vero extrinseca quadam ratione huic ordini subjiciuntur: qualia sunt bona & mala naturalia, quæ supra vel præter suam naturam, ex superveniente gratiæ directione, ad salutem nostram cooperantur.

17. Prædestinationis duæ sunt species: *Electio & Reprobatio.*

18. Electio est Prædestinatio certorum quorundam hominum, ut in ijs manifestetur gratia Dei gloriosa *Eph.*1.4.5,6. *Elegit nos, prædestinavit nos, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.*

19. Electio est actus voluntatis, qui in Deo unicus & simplex fuit; nostro tamen concipiendi modo varios actus synecdochicè notat.

20. Primus actus igitur Electionis est, velle gratiæ gloriam in hominum quorundam salute.

2. *Thess.*

2. *Thes.* 2. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem.*

21. Secundus actus est, certos quosdam homines designare, qui participes sient hujus salutis. 2. *Tim.* 2. 19. *Novit Dominus eos qui sunt sui.*

22. In hoc autem secundo actu propria ratio electionis versatur, qui suo conceptu hæc tria complectitur. 1. Dilectionem, *Rom.* 9. 13. 2. Dilectionem in ordine ad supernaturale & summum bonum. *Jere.* 31. 3. *Eph.* 5. 25. 3. Dilectionem cum secretione ab alijs: in quo modo comparativo, aut collativo, virtualis quædam dilectionis intentio continetur. *Rom.* 9. 13. *Joh.* 17. 6. 1. *Cor.* 27. 28.

23. Tertius electionis actus est propositum, vel intentio præparandi ac dirigendi media illa, quibus homines electi ad salutem, tanquam ad finem certo perducuntur. Hæc verò media propriè sunt redemptio & redemptionis applicatio *Joh.* 6. 37. 2. *Thess.* 2. 13.

24. Actus iste tertius singulari ratione dicitur *prædestinatio*: quæ aliquando in scripturis ab electione distinguitur, etiam quatenus solos electos respicit. *Rom.* 8. 29. *Eph.* 1. 4. & 5. *Quos præscivit, etiam prædestinavit. Sicut elegit nos. Qui prædestinavit nos.* Quamvis alias per synecdochen eodem usurpetur sensu cum electione.

25. Hinc Prædestinatio aliquando fieri dicitur *secundum propositum. Eph.* 1. 11. & propositum *secundum electionem*, Rom. 9. 11. *& electio etiam secundum propositum, consilium ac beneplacitum voluntatis Dei.* Ephes. 1. 5.

26. Actus hosce voluntatis in electione comitatur particulariter in mente divina certa scientia, qua Deus certissimo novit hæredes vitæ

æternæ

æternæ: undè etiam ipsa electio vocatur scientia vel præscientia, *Rom.* 8. 29. Hæc autem notitia Dei, quia summa cum firmitate distincta retinet nomina salvandorum & bona ipsis destinata, quasi omnia in libro divino essent conscripta, idcirco dicitur *liber vitæ.* Psal. 69. 29. *Apoc.* 3. 5. & 13. 8.

27. Electio hæc unica fuit in Deo respectu totius Christi mystici. 1. Christi & eorum qui sunt in Christo, sicut creatio una fuit totius generis humani; prout tamen secundum rationem distinctio quædam concipi potest, Christus primo fuit electus ut caput, ac deindè homines quidam ut membra, *in ipso*, *Eph.* 1. 4.

28. Christus tamen non est causa meritoria vel impulsiva respectu ipsius electionis hominum, quamvis causæ rationem habeat respectu omnium effectorum electionis, quæ ipsius Christi missionem sequuntur.

29. Christus ipse in primo actu electionis, quoad redemptionis opus, rectè dicitur effectum & medium destinatum ad salutem hominum, ut finem; quatenus salus hæc est actio Dei. *Joh.* 17. 6. *Tui erant & mihi eos dedisti.* Quatenus tamen hic solus est bonum nostrum, Christus non est ejus effectum, sed causa. Sic rectè dici potest, respectu primi electionis actus, Christum redemptorem fuisse effectum, & medium subordinatum, sed in tertio electionis actu considerari ut causam, *Eph.* 1. 3. *Benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cœlis, in Christo.*

30. Reprobatio est Prædestinatio certorum quorundam hominum, ut in ijs justitiæ divinæ gloria manifestetur, *Rom.* 9. 22. 2. *Thess* 2. 9. *Jude* 4.

31. Tres

31. Tres actus in reprobatione sunt concipiendi, sicut antea in electione.

32. Primus actus est velle justitiæ ostensionem. Finis igitur Dei in reprobatione non est propriè perditio creaturæ, sed Dei justitia, qua in merita perditione elucet.

33. Hinc prima imparitas rationis inter electionem & reprobationem. In electione enim finis rationem habet non tantum Dei gratia gloriosa: sed etiam hominum ipsorum salus: in reprobatione vero damnatio in sese non habet rationem finis aut boni.

34. Secundus actus est certos illos homines designare, in quibus manifesta fiet hæc justitia Dei. *Jude* 4.

35. Actus iste non potest vocari electio: quia non est ex dilectione, neque boni alicujus communicationem infert, sed ejus privationem. Propriè idcirco reprobatio vocatur: quia rejicit vel removet illos, circa quos versatur, ab amore illo quo electi ad salutem designantur. Sicut igitur in electione dilectio habetur cum secretione; sic in reprobatione, dilectionis negatio cum secretione vel collatione spectatur.

36. Quia vero hæc secretio negativa, quæ in reprobatione reperitur, pendet ab illa secretione, quæ est in electione; hinc reprobationis finis remotus est splendor illius gratiæ, quæ in electione manifestatur *Rom.* 9. 22, 23. *Pertulit vasa iræ, ut notas faceret divitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ.*

37. Propter hanc secretionem, qua Deus non vult quibusdam beatitudinem communicare, dicitur eos *odio habere*, *Rom.* 9. 13. Odium hoc dicitur

dicitur negativum, vel privativum, quia electionem negat: ſed includit tamen actum poſitivum, quo Deus voluit quoſdam deſtitui vita æterna.

38. In eo nihilominus ſecunda imparitas eſt rationis inter electionem & reprobationem, quod electionis amor bonum creaturæ communicat immediatè, ſed reprobationis odium bonum tantum negat, non infert aut infligit malum niſi merito creaturæ intercedente.

39. Tertius reprobationis actus eſt intentio dirigendi media illa, quibus juſtitia poſſit in reprobis manifeſtari. Media hujus generis maximè propria ſunt, permiſſio peccati, derelictio in peccato, *Rom.* 9. 18. 2. *Theſſ.* 2. 11, 12.

40. In iſtoc actu, tertia eſt imparitas rationis inter electionem & reprobationem, quod electio eſt cauſa non tantum ſalutis, ſed & omnium eorum, quæ cauſæ rationem habent ad ſalutem: reprobatio verò, neque damnationis, neque peccati, quod meretur damnationem, eſt propriè cauſa, ſed antecedens tantum.

41. Hinc etiam ſequitur quarta diſparitas, quod ipſa media non habent ſemper inter ſe rationem cauſæ & effectus: permiſſio enim peccati non eſt cauſa derelictionis, obdurationis, punitionis, ſed ipſum peccatum.

CAP.

CAP. XXVI.

De Vocatione.

Hactenus de applicatione: sequuntur ejus partes.

1. APplicationis partes duæ sunt, *vnio* cum Christo, & communio beneficiorum, quæ fluunt ex illa unione, *Philip. 3. 9. Vt reperiar in eo, habens justitiam quæ est per fidem Christi.*

2. Vnio hæc est spiritualis illa relatio hominum ad Christum, qua jus acquirunt ad omnes illas benedictiones, quæ in ipso præparantur. *1. Ioh. 5. 12. Qui habet Filium, habet vitam. Et 3. 24. In eo habitat, & ipse in eo.*

3. Efficitur hæc unio per vocationem.

4. *Vocatio* enim est aggregatio hominum ad Christum, ut uniantur cum ipso. *1. Petr. 2. 4, 5. Ad quem accedentes.* Ephes. 4. 12. *Ad compactionem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi.* Ex qua unione cum Christo, sequitur unio cum Deo Patre. *1. Thess. 1. 1. & 2. Ecclesia quæ est in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

5. Hoc igitur primum illud est, quod pertinet ad applicationem redemptionis. *Eph. 1. 7, 8, 9. In quo habemus Redemptionem, &c. Postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ.* Et primum illud, quod constituit hominem actu electum in se, id est, primus actus electionis, qui in homine ipso exoritur vel exercetur: Vnde etiam est, quod vocatio & electio aliquando in Scripturis eodem planè sensu accipiuntur. *1. Cor. 1. 26, 27, 28. Cernitis vocationem vestrum. Stulta, infirma elegit Deus.*

6. Hinc

6. Hinc vocatio hominum nullo modo ex dignitate, probitate, industria, vel conatu aliquo vocandorum pendet, sed electione & prædestinatione Dei tantum. *Actor.* 2. 47. *Dominus addebat Ecclesiæ qui salvi fierent.* Et 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus justis, sed ex sua misericordia.* Jac. 1. 18. *Quia voluit, progenuit nos sermone veritatis.*

7. Vocationes partes duæ sunt: *oblatio* Christi, & ejusdem receptio. *Joh.* 1. 11. *Ad sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit ijs, &c.*

8. Oblatio est objectiva propositio Christi, ut medij sufficientis & necessarij ad salutem. 1. *Cor.* 1. 23, 24. *Prædicamus Christum, Dei potentiam, ac Dei sapientiam.* Hebr. 7. 25. *Servare perfectè potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum,* Act. 4. 12. *Nec aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.*

9. De Christo autem in vocatione hominum nihil omnino proponitur, aut proponi debet credendum tanquam verum, quod non est simpliciter & absolutè verum. Hoc enim & pugnat cum testimonij ratione, prout est objectum fidei illius, quæ est intellectus, cujus formalis ratio est veritas: & cum Evangelij ipsius natura, quod κατ' ἐξοχὴν dicitur *sermo veritatis,* Eph. 1. 13.

10. Oblatio Christi est externa, vel interna.

11. Externa est Evangelij, vel promissionum de Christo propositio aut prædicatio *Act.* 9. 15. *Portet nomen meum in conspectum Gentium.*

12. Ut præparentur tamen homines ad promissiones

missiones recipiendas, legis applicatio ordinariè præcedit ad peccati detectionem, & peccatoris *damnationem*, & humiliationem. *Rom. 7. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem.*

13. Promissiones istæ, quoad promulgationem externam, sine discrimine proponuntur omnibus, una cum credendi mandato, sed quoad proprietatem rerum promissarum, quæ ex intentione promittentis pendet, pertinent solummodo ad electos, qui idcirco vocantur *filii & hæredes promissionis.* Rom. 9. 8.

14. Interna oblatio est spiritualis quædam illuminatio, qua cordibus hominum proponuntur illæ promissiones quasi per verbum internum. *Ioh. 6. 45. Quisquis audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Eph. 1. 17. *Ut det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis: illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius.*

15. Hæc etiam aliquando, & modo quodam, conceditur non electis. *Hebr. 6. 4. & 10. 29. Matth. 13. 20.*

16. Huic illuminationi si quis ex malitia se opponat, peccatum admittit in Spiritum Sanctum, quod irremissibile dicitur, vel *ad mortem. Hebr. 6. 6. & 10. 29. 1. Ioh 5. 16. Matth. 12. 32.*

17. Receptio Christi est, qua Christus oblatus homini conjungitur, & homo Christo. *Ioh. 6. 56. In me manet, & ego in eo.*

18. Hujus conjunctionis respectu nos dicimus *esse in Christo*, 2. Cor. 5. 17. *& induisse Christum*, Gal. 3. 27. *inhabitari à Christo*, Eph. 3. 17. *domus Christi*, Heb. 3. 6. *templum Christi*, 2. Cor. 6. 16. *despansati Christo.* Eph. 5. 23. *palmites Christi*,

Christi, Ioh. 15. 5. *membra Christi*; 1. Cor. 12. 12. & Christi ipsius nomen nobis aliquo modo communicatur. 1. *Cor.* 12. 12. *Ita & Christus.*

19. Receptionis hujus ratione, vocatio dicitur *Conversio*, *Act.* 26. 20. quia illi omnes, qui vocationi divinæ parent, convertuntur toti à peccato ad gratiam, à mundo ad Deum in Christo sequendum: dicitur etiam *Regeneratio*, quatenus ista voce initium ipsum novæ vitæ, novæ creationis, aut novæ creaturæ, in Scripturis sæpè designatur, *Ioh.* 1. 13. & 3. 6. 1. *Joh.* 3. 9. 1. *Pet.* 23. & 22. Sicut oblationis respectu dicitur propriè vocatio, quatenus Deus efficaciter invitat, & *trahit* homines ad Christum. *Joh.* 6. 44.

20. Receptio respectu hominis est vel passiva, vel activa. *Phil.* 3. 12. *Apprehendam: apprehensus fui.*

21. Passiva receptio Christi est, qua spirituale principium gratiæ ingeneratur hominis voluntati. *Eph.* 2. 5. *Vivificavit.*

22. Hæc enim gratia est fundamentum revelationis illius, qua homo cum Christo unitur. *Joh.* 3. 3. *Nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei.*

23. Voluntas autem est maximè proprium & primum subjectum hujus gratiæ, quia totius hominis conversionis principium efficax est conversio voluntatis. *Phil.* 2. 13. *Deus est qui effecit in nobis & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.*

24. Illuminatio mentis non sufficit ad istud effectum producendum: quia non tollit corruptionem illam, quæ est in voluntate: neque novum aliquod principium supernaturale ipsi com-

communicat, cujus vi convertere seſe posset.

25. Voluntas tamen respectu hujus primæ receptionis, neque liberè agentis, neque naturaliter patientis rationem habet, sed obedientialis tantum subjectionis, 2. *Cor.* 4. 6. *Quoniam Deus, qui dixit ut è tenebris lux splenderet, is qui splenduit in cordibus nostris.*

26. Receptio activa est elicitus actus fidei, qua vocatus jam totus in Christum recumbit ut suum Servatorem, & per Christum in Deum. *Ioh.* 3. 15, 16. *Quisquis credit in eum,* 1. *Pet.* 1. 21. *Per eum credentes in Deum.*

27. Actus iste fidei pendet partim ex principio vel habitu gratiæ ingenerato, & partim ex præmovente vel excitante Dei operatione, *Ioh.* 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

28. Ab homine quidem liberè, sed certo, indeclinabiliter, aut invariabiliter elicitur & exercetur. *Joh.* 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.*

29. Cum ista fide, qua voluntas convertitur ad verum bonum habendum, conjungitur semper *resipiscentia*, qua eadem voluntas convertitur etiam ad verum bonum agendum, cum aversatione, & odio contrarij mali, vel peccati. *Act.* 19. 4. *Marc.* 1. 15. *Resipiscite, & credite Evangelio.*

30. Resipiscentia easdem causas & principia habet cum fide, sunt enim ambo gratuita Dei dona, *Eph.* 2. 8. *fides est Dei donum.* 2. Tim. 2. 25. *Num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam.* Idem habet subjectum, quia ambo suas sedes habent in corde aut voluntate hominis, *Rom.* 10. 9.

1. *Reg.* 8. 48. *Corde creditur. Revertentur ex toto corde.* Eodem etiam tempore ingenerantur. Sed primo, varia habent obiecta: fides enim propriè fertur in Christum, & per Christum in Deum: resipiscentia verò in Deum ipsum, qui fuit antea per peccatum offensus. *Act.* 20. 21. *Conuersionem ad Deum, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Secundo, varios habent fines: fides enim propriè quærit reconciliationem cum Deo: resipiscentia autem accommodationem ad voluntatem Dei, *Rom.* 3. 25. *Placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Act. 26. 20. *Converterent se ad Deum, opera facientes conuenientia resipiscentiæ.*

31. Resipiscentia, quoad sollicitudinem & anxietatem, vel terrorem illum ex Lege oriundum, quem habet secum coniunctum, antecedit fidem ordine naturæ tanquam causa præparans ac disponens: atque adeo reperitur etiam in irregenitis: sed, quoad efficacem & genuinam aversationem peccati, quatenus per ipsum Deus offenditur, sequitur fidem, & ab illa pendet tanquam effectum à causa sua, & hac in parte propria est fidelium.

32. Quamvis hæc resipiscentia dolorem secum semper adfert de peccatis præteritis & præsentibus, non tam propriè tamen aut essentialiter consistit in dolore, atque in aversatione & odio peccati, & in firmo proposito boni prosequendi. *Amos* 5. 14, 15. *Odio habete malum, & amate bonum.*

33. Resipiscentia illa non est vera, ac solida, quæ non avertit hominem ab omni peccato cognito, ad omne bonum cognitum: neque illa,

quæ

quæ non virtualiter continuatur, & actu renovatur ſubindè, à tempore converſionis ad finem uſque vitæ.

34. Reſipiſcentia prius percipi ſolet, quàm fides: quia peccator non facilè ſibimet perſuadere poteſt, quod Deo in Chriſto ſit reconciliatus, antequam ſentiat ſemetipſum deſeriiſſe illa peccata, quæ ſeparaverint ipſum à Deo.

CAP. XXVII.

De Juſtificatione.

1. COmmunio benedictionum ex unione cum Chriſto fluentium eſt, qua fideles participes fiunt omnium eorum, quibus opus habent ad benè beatèque Deo vivendum, *Eph.* 1.3 *Benedixit nobis omni benedictione ſpirituali.* Rom.8 32. *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, &c. quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?*

2. Hæc igitur communio tranſlationem & mutationem ſtatus adfert fidelibus à ſtatu peccati, & mortis ad ſtatum juſtitiæ, & vitæ æternæ, 1. *Ioh.* 3.14. *Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe à morte ad vitam.*

3. Mutatio hæc ſtatus duplex eſt, relativa, & abſoluta vel realis.

4. Relativa mutatio ſtatus eſt illa, quæ in reputatione Dei conſiſtit. *Rom.*4.5. *Ei qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam.* 1. Cor. 5. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: non imputando eis offenſas eorum.*

5. Hinc nullos propriè dictos gradus admittit, sed unico actu simul ac semel existit perfecta, quamvis quoad manifestationem, sensum, & effecta, varios gradus habet. Huc pertinet justificatio, & adoptio.

6. Iustificatio est sententia Dei gratiosa, qua propter Christum fide apprehensum absolvit fidelem à peccato & morte, & justum reputat ad vitam, *Rom.* 3. 22, 24. *Justitia Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt: ut qui justificetur gratis, ejus gratia per redemptionem factam in Jesu Christo.*

7. Est sententiæ pronunciatio, ut vocis usus declarat, qui non physicam aliquam aut realem commutationem denotat in sacris S. Sed forensem aut moralem illam, quæ in sententiæ pronuntiatione & reputatione consistit. *Prov.* 17. 15. *Qui justificat improbum.* Rom. 8. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat.*

8. Toto igitur cœlo errat Thomas, cum ipsius sectatoribus, qui justificationem volunt esse motum quasi physicum, per transmutationem realem, de statu injustitiæ ad statum justitiæ; ita ut terminus à quo sit peccatum, terminus ad quem sit justitia inhærens, & motus sit partim remissio peccatorum, partim infusio justitiæ.

9. Sententia hæc fuit, 1. In mente Dei quasi concepta, per decretum justificandi. *Gal.* 3. 8. *Prævidens Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes.* 2. Fuit in Christo capite nostro à mortuis jam resurgente pronunciata. 2. *Cor.* 5. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.* 3. Virtualiter pronunciatur

nunciatur ex prima illa relatione, quæ ex fide ingenerata exurgit. *Rom.* 8. 1. *Nulla igitur est condemnatio eis qui sunt in Christo Jesu.* 4. Expressè pronunciatur, per spiritum Dei testantem spiritibus nostris, reconciliationem nostram cum Deo. *Tim.* 5. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In hoc testimonio Spiritus non tam propriè ipsa justificatio consistit, quam actualis antea concessæ perceptio, per actum fidei quasi reflexum.

10. Est gratiosa sententia, quia non fertur, propriè à justitia Dei, sed à gratia. *Rom.* 3. 24. *Gratis, ejus gratia.* Eadem enim gratia qua Christum vocavit ad Mediatoris munus, & electos ad unionem cum Christo attraxit, censet etiam eos jam attractos & credentes, ex illa unione justos.

11. Est propter Christum. 2 *Cor.* 5. 21. *Vt nos efficeremur justitia Dei in eo.* Christi enim obedientia est illud δικαίωμα, cujus nomine nos gratia Dei justificat, non secus ac Adami inobedientia fuit illud κρίμα, cujus respectu nos justitia Dei condemnavit, *Rom.* 5. 18.

12. Christi igitur justitia in justificatione fidelibus imputatur. *Phil.* 3. 9. *Vt comperiar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, justitiam ex Deo per fidem.*

13. Quia verò à Deo hæc justitia in istum finem est constituta, & per ipsius gratiam approbatur, & rata habetur: ita ut coram ipso peccatores, per istam justitiam possint consistere, idcirco appellatur *justitia Dei. Rom.* 10. 3.

14. Est autem hæc justificatio propter Christum, non absolutè consideratum, quo sensu

Christus etiam est causa ipsius vocationis, sed propter Christum fide apprehensum, quæ fides vocationem sequitur tanquam effectum, & justitiam, ex qua apprehensa, justificatio sequitur: undè & justitia dicitur esse *ex fide*. Rom. 9 30. 10.6. & justificatio *per fidem*. 3.28.

15. Fides hæc justificans non est illa generalis, qua in intellectu assensum præbemus veritati, in sacris S. revelatæ: illa enim neque est propriè eorum qui justificantur, neque ex sua natura vim ullam habet in sese justificandi, neque effecta illa producit, quæ fidei justificanti ubique in sacris Scripturis tribuuntur.

16. Neque est (propriè loquendo) specialis fiducia, qua remissionem peccatorum, & ipsam justificationem apprehendimus: Fides enim justificans præcedit justificationem ipsam, ut causa suum effectum: sed Fides justificationem apprehendens necessario præsupponit ac sequitur justificationem, ut actus objectum suum, circa quod versatur.

17. Fides igitur illa propriè dicitur justificans, qua incumbimus in Christum ad remissionem peccatorum & salutem. Christus enim est adæquatum objectum fidei, quatenus fides justificat. Fides etiam non alia ratione justificat, nisi quatenus apprehendit illam justitiam, propter quam justificamur: illa autem justitia non est in veritate alicujus axiomatis, cui assensum præbemus, sed in Christo solo, qui *factus est pro nobis peccatum, ut nos essemus in ipso justitia*. 2.Cor.5.21.

18. Hinc toties illæ in N. T. repetitæ conciones, quæ justificationem, in persona sola Christi

Christi quærendam ostendunt 1 *Ioh.*1.12.*&* 3.15 16.*&* 6.40 47.14.1.54.*Rom.*4.5.3.26. *Act.*10 43. *&* 26.18.*Gal.*3.26.

19. Fides ista justificans sua naturâ producit, atque adeo conjunctam secum habet specialem, ac certam persuasionem, de gratia ac misericordia Dei in Christo: undè etiam per istam persuasionem fides justificans non malè sæpè describitur ab Orthodoxis, præsertim cum impugnant generalem illam fidem, cui omnia tribuunt Pontificij. Sed 1. ista persuasio quoad sensum ipsius non semper adest. Potest enim fieri, & sæpè fit. vel per imbecillitatem judicij, vel per tentationes & conturbationes animi varias, ut ille qui verè credit, & per fidem coram Deo est justificatus, ad tempus tamen existimet secundum illud quod sentit, se neque verè credere, neque Deo esse reconciliatum. 2. Varij sunt gradus hujus persuasionis, ita ut neque omnes fideles eandem planè certitudinem habeant gratiæ ac favoris divini, neque ijdem fideles in omni temporis momento: quæ tamen de fide propriè justificante non possunt affirmare, sine consolationis & pacis illius quam Christus fidelibus reliquit immani detrimento.

20. Iustificatio absolvit à peccato & morte non immediatè tollendo culpam, aut maculam aut omnia effecta peccati; sed obligationem & reatum ad mortem æternam subeundam. *Rom.*8. 1. 33.34. *Nulla est condemnatio. Quis intentabit crimina? Quis est qui condemnet?*

21. Neque tamen ita tollit reatum, ut meritum pœnæ à peccato auferat, quod peccato ipso manente, nullo modo auferri potest, sed ut

meriti illius persecutionem vindicantem, aut lethalia ejus effecta planè tollat.

22. Hæc absolutio à peccatis vario respectu, sed eodem sensu dicitur in sacris S. *remissio, redemptio, & reconciliatio.* Eph. 1. 6, 7. quatenus enim status peccati consideratur ut servitus, aut captivitas quædam spiritualis quoad reatum, eatenus hæc justificatio dicitur *redemptio*, quatenus vero idem status consideratur ut subjectio ad pœnam debitam, eatenus dicitur *remissio*, sicut etiam *præteritio, deletio, exoneratio, ablatio, abjectio, remotio & projectio post tergum. Rom.* 4. 7. *Col.* 2. 13. *Mich.* 7. 18. *Esa.* 43. 12. 38. 17. *Psal.* 32. 1, 2. Et quatenus idem status consideratur ut inimicitia quædam adversus Deum, eatenus justificatio dicitur *reconciliatio. Rom.* 5. 10. sicut & *convenientia* quædam ad peccatum. *Numb.* 23. 25. *tectio peccati, Psal.* 32. 1, 2.

23. Remittuntur autem peccata justificatorum non præterita solum, sed etiam aliquo modo futura, *Numb* 23. 25. *Non intuetur iniquitatem in Jacobo, nec aspicit perversitatem in Israele*: quia justificatio nullum locum reliquit condemnationis. *Ioh.* 5. 24. *Qui credit, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet:* & vitam æternam certo & immediatè adjudicat. Totam etiam illam remissionem, quæ fuit in Christo nobis parata, nostram actu facit, neque possunt præterita & præsentia peccata planè & plenè remitti, nisi etiam futura aliquo modo remittantur.

24. Hoc est tamen discriminis, quod peccata præterita. per formalem applicationem remittantur, futura autem virtualiter tantum: præterita

ſtrica in ſeſe, futura in ſubjecto, vel perſona peccante.

25. Petitur tamen quotidiè remiſſio peccatorum à juſtificatis. 1. Quia continuatio hujus gratiæ eſt ipſis neceſſaria. 2. Vt ſenſus & manifeſtatio ejus magis magiſque percipiatur, prout ſingularia peccata poſtulant. 3. Vt executio illius ſententiæ, quæ in ipſa juſtificatione eſt pronunciata, maturari poſſit & promoveri.

26. Præter peccatorum remiſſionem requiritur etiam juſtitiæ imputatio. *Rom.* 5. 18. *Apoc.* 19. 8. *Rom.* 8. 3. quia totalis abſentia peccati, ibi poteſt locum habere, ubi tamen non eſt juſtitia illa, quæ juſtificationis loco eſt ſubſternenda.

27. Hæc autem juſtitia non eſt membratim quærenda in puritate naturæ, nativitatis, & vitæ Chriſti: ſed ex tota Chriſti obedientia exurgit ſimul cum remiſſione peccatorum, ſicut eadem Adami inobedientia, & ſpoliavit nos juſtitia originali, & obnoxios etiam reddidit reatui condemnationis.

CAP. XXVIII.

De Adoptione.

1. ADoptio eſt ſententia Dei gratioſa, qua fideles acceptat propter Chriſtum, ad filiorum dignitatem. *Ioan.* 1 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus,* ἐξουσίαν, *ut filij Dei fierent, nempe, eis qui credunt in nomine ejus.*

2. Sententia Dei gratioſa dicitur: quia gratioſam Dei voluntatem erga homines manifeſtat.

festat. 1. *Ioh.* 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe ut filij Dei vocemur.*

3. Pronunciatur hæc sententia, eadem graduum varietate cum justificatione: fuit enim, Primo in Prædestinatione divina. *Eph.* 1. 5. *Prædestinavit nos quos adoptaret in filios.* Postea in Christo. *Gal.* 4. 45. *Emisit Deus Filium suum, ut adoptionem acciperemus.* Postea in ipsis fidelibus. Ejusdem capitis *v.* 6. *Quoniam autem estis filij, emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.*

4. Versatur propriè circa fideles vocatos & justificatos. *Joan.* 1. 12. per adoptionem enim non constituimur justi; quod necessario sequeretur, si adoptio pars esset ipsius justificationis, ut quidam volunt: neque est vocatio ad Christum, sed dignitas quædam sublimis ex ejus applicatione fluens. *Rom.* 8. 17 *Cohæredes Christi.*

5. Vocatio tamen & justificatio fundamenti rationem habet ad istam relationem adoptionis: per fidem enim & fidei justitiam jus adoptionis acquiritur. *Joan.* 1. 12.

6. Adoptio autem quamvis sequatur ex fide: non ita tamen immediatè sequitur, quin intercedat justificatio: adoptio enim ex sua natura prærequirit, & præsupponit reconciliationem illam quæ in justificatione reperitur.

7. Hinc omnes fideles duplici quasi titulo vitam æternam expectant, titulo nempè redemptionis, quem habent ex justificatione, & titulo quasi filiationis, quem habent ex adoptione:

8 Quod ita tamen debet intelligi, ut redemptionis titulus sit fundamentum hujus juris, & adoptio

adoptio modum quendam excellentiæ & dignitatis eidem adjiciat.

9. Hinc prima oritur differentia, inter adoptionem divinam & humanam: humana enim adoptio est personæ extraneæ, quæ nullum jus habet ad hæreditatem præterquam adoptionis virtutem: fideles autem, quamvis ex naturali generatione, nullum jus habeat ad hæreditatem Vitæ: regenerationis tamen, fidei, & justificationis virtute habent illam sibi adjudicatam.

10. Hinc etiam secunda differentia sequitur, quod adoptio humana sit extrinsica tantum denominatio, & communicatio eorum, quæ sunt externa: sed adoptio divina tam realis est relatio, ut etiam in intrinseca fundetur actione, & in communicatione novæ vitæ internæ.

11. Adoptio hæc fit propter Christum: quia Christus non tantum promeruit eam ut redemptor. *Gal.* 4. 5. *Ut eos redimeret, ut adoptionem acciperemus.* Sed etiam ut fide jam applicatus, est vinculum hujus unionis. *Rom.* 8. 17, 29. *Hæredes Dei, cohæredes Christi. Conformandos imagini sui Filii.*

12. Sicut enim Christus, in justificatione applicatur tanquam vestis ad obtegenda peccata nostra: sic in adoptione applicatur tanquam frater, & Princeps salutis nostræ. *Hebr.* 2. 10, 11, 12, 13. *Multi filij. Princeps salutis. Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Non erubescit eos vocare fratres. Ecce ego, & pueri quos mihi dedit Deus.*

13. Applicatio & conjunctio ista, tam arcta est, ut quamvis Christus propriè sit unicus Fi-

lius Dei naturalis,& multo magis primogenitus Dei: per istam tamen gratiam adoptionis & communionis cum Christo fideles etiam omnes dicantur primogeniti Dei. *Heb.* 12. 23. *Accessistis ad conventum universalem, & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

14. Vnde etiam apparet fideles longè alia ratione filios esse Dei, quam Adamus fuit in prima creatione: quamvis enim Adamus propter dependentiam illam quam habuit à Deo, una cum similitudine & imagine illa ad quam fuit creatus, metaphoricè dici potuit filius Dei: non fuit tamen filius Dei per mysticam hanc conjunctionem & communionem cum Christo qui est Filius Dei naturalis.

15. Hinc oritur tertia differentia, inter adoptionem humanam & divinam: adoptio enim humana introducta fuit ex defectu vel indigentia filij naturalis: divina autem adoptio non est ex indigentia ulla: sed ex abundanti bonitate, qua similitudo filij naturalis & mystica cum ipso conjunctio filijs adoptivis communicatur.

16. Dignitas illa quam hæc adoptio adfert secum, non tantum longè superat relationem illam communem, qua Deus omnis creaturæ dicitur pater: sed & illam etiam quam habuimus ante lapsum: quoniam illa fuit infirma, hæc autem ratione vinculi manet in æternum. *Joan.* 8. 35. *Servus non manet in domo perpetuo: filius manet perpetuo.*

17. Hinc nomen Dei & Christi super fideles, singulari quodam jure aé ratione vocatur, *Ioan.* 3. 1. sicut Iacob cooptans filios Ioseph per adoptionẽ, voluit ipsos suo nomine appellari. *Gen.* 48. 5.

18. Hinc

18. Hinc etiam fideles assumuntur quasi in familiam Dei, ut sint ejus *domestici*. *Gal.* 6. 10. id est, ut sint semper sub paterna Dei tutela, ab ipso pendentes pro enutritione, educatione, & conservatione perpetua: sicut olim apud Hebræos adoptio non alia ratione fuit sæpe testificata, quam ex consanguineorum proximorum enutritione, & educatione. *Hest.* 2. 7.

19. Cum filiorum dignitate conjungitur etiam hæredum conditio. *Rom.* 8. 17. *Quod si filij, etiam hæredes*: hæc autem hæreditas, ad quam fideles adoptantur, est beatitudo æterna: unde adoptio comprehendit nonnunquam in scripturis totam illam gloriam, quæ præparatur fidelibus & ab ijs in cœlis expectatur. *Rom.* 8. 23. *Adoptionem exspectantes, redemptionem corporum nostrorum.*

20. Beatitudo igitur æterna ad fideles pertinet & ipsis communicatur: non à justitia propter ipsorum merita, sed à gratia illa qua in filiorum numerum adscisuntur. *Gal.* 3. 29. *Quod si vos estis Christi, nempe Abrahami semen estis, & secundum promissionem hæredes.*

21. Hinc ortum suum habet quarta quædam differentia inter adoptionem humanam, & divinam: adoptio enim humana eo ordinatur, ut in hæreditate filius patri succedat: adoptio verò divina, non ordinatur ad successionem, sed ad participationem hæreditatis assignatæ: quia & pater & filius ejus primogenitus vivit in æternum, atque adeo non admittit successionem.

22. Hujus adoptionis adjunctum proprium est spiritus testificatio, quæ fidelibus datur, quâ dignitas hæc obsignatur una cum hæreditate quæ ex illa est exspectãda, & dicitur *spiritus adoptionis*

tionis. Rom. 8.15,16.23 *Gal.*4.5,6,7.

23. Spiritus autem communicari dicitur fidelibus, non quia fides antecedit omnem Spiritus operationē, ut quidam imperiti colligunt; nam ipsamet prima regeneratio & conversio apertè tribuitur Spiritui Sancto à Christo. *Ioan.*3.5,6,8 *Genitus ex spiritu*: sed quia soli credentes, postquam jam crediderunt, operationem illam accipiunt Spiritus Sancti, qua obsignantur, tanquā arrha hæreditatis futuræ *Eph.*1.13,14.& 4.30. *Gal.*3.14.

24. Atque hinc etiam satis apparet, quod certitudo salutis, non sit propriè fides justificans, sed fructus illius fidei: quoniam Apostolus expressè dicit: *postquam credidistis, obsignati estis. Eph.*1.13.

25. Fructus adoptionis primus est libertas illa Christiana, qua fideles omnes quasi manumissione liberantur à legis, peccati, & mundi servitute. *Joan.*8.32,36. *Si vos Filius in libertatem vindicaverit, verè liberi eritis.* Rom.8.22. *Liberati à peccato, servi facti Deo.* Gal.4. *Quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ mater est omnium nostrûm.* Heb.2.15 *Vt liberos redderet quotque metu mortis per omnem vitam damnatos erant servitutis.*

26. Secundus fructus est, quod fideles dignitatem Christi participātes, sunt etiam peripsum quasi Prophetæ, Sacerdotes & Reges. *Apoc.*1.6.

27. Tertius fructus est, quod omnes creaturæ, & quæ per illas fiunt, vel subjiciuntur fidelium domino & usui puro. *Titus* 1. 15. 1. *Cor.*3. 21,22. vel ministerii munere funguntur pro ipsis sicut de Angelis affirmatur. *Heb.*1.14. vel cedunt saltem in eorum bonum, *Rom.*8.28.

CAP.

CAP. XXIX.

De Sanctificatione.

Sic fuit relativa commutatio ſtatus fidelium, in Juſtificatione & adoptione: ſequitur realis, qua prior illa manifeſtetur, & quoad effecta quaſi executione mandatur.

1. REalis commutatio ſtatus eſt, alteratio qualitatum in ipſo homine facta, 2. *Cor.* 5. 17. *Vetera præterierunt, nova facta ſunt omnia.*

2. Quia vero non in relatione & ratione conſiſtit, ſed in effectione reali; idcirco gradus varios admittit, inchoationis, progreſſus, & perfectionis, 2. *Cor.* 4. 16. *Interna homo renovatur indies.*

3. Alteratio iſta qualitatum vel reſpicit bonum *juſtum* ac *honeſtum*, & dicitur Sanctificatio, vel bonum *commodum* ac *honorificum*, & dicitur Glorificatio, *Rom.* 6. 22. *Habetis fructum veſtrum in ſanctimonia: finem autem vitam æternam.*

4. Sanctificatio eſt realis commutatio hominis à turpitudine peccati, in puritatem imaginis Dei. *Eph.* 4. 22, 23, 24. *Deponere quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem, qui de ſeductricibus cupiditatibus ſeſe corrumpit: renovari vero ſpiritu mentis veſtræ: & induere novum illum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad juſtitiam & ſanctimoniam veram.*

5. Sicut enim per juſtificationem liberatur fidelis propriè à reatu peccati, & vitam habet ſibi adjudicatum, cujus vitæ titulus quaſi determinatur.

minatur in adoptione; sic sanctificatione liberatur idem fidelis à turpitudine & macula peccati,& restituitur ipsi puritas imaginis Dei.

6. Hic namque per sanctificationem, non intelligitur ipsa separatio ab usu communi, & consecratio ad usum aliquem singularem, quo sensu vox ista sæpè accipitur in Scripturis, aliquando externam solam, aliquando internam etiam & efficacem separationem designans; sic enim extendi potest ad vocationem, aut regenerationem illam primam, qua fides ut principium vitæ novæ communicatur: quo sensu à plerisque regeneratio & sanctificatio solent confundi: sed intelligitur illa hominis mutatio, qua fideles habet sibi communicatam justitiam aut sanctimoniam inhærentem: 2. *Thess.* 2. 13. *Per sanctificationem Spiritus.*

7. Sanctitatem enim esse gratiæ donum inhærens manifestè testatur Deus ipse, *Ier.* 31. 33. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam*, Ezech. 36. 26, 27. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.*

8. Distinguitur autem hæc sanctificatio ab illa communicatione hominis, quæ est propria vocationi hominis in fide & resipiscentia, eo quod fides ibi non propriè consideratur ut qualitas, sed in relatione ad Christum: neque resipiscentia ibi spectatur ut mutatio dispositionis; sic enim idem sonat cum sanctificatione: sed ut mutatio propositi & intentionis animi. Hic verò realis mutatio qualitatum & dispositionum spectatur.

9. *Realis* dicitur commutatio, ut distinguatur non tantum a justificatione, sed etiam à sanctificatione

ficatione illa quæ ſit per *inſtitutionem*, qualis eſt ſanctificatio diei ſeptimi, vel etiam per *relationem ſigni*, qualis eſt ſanctificatio elementorum in ſacramentis, vel denique per *manifeſtationem*, quomodo Deus ipſe dicitur ab hominibus ſanctificari. 1. *Pet.* 3. 14.

10. Eſt *hominis totius*, non unius alicujus partis, 1. *Theſſ.* 5. 23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos: & integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti conſerventur.* Quamvis tantum hominis, aut totum illud quod eſt in homine, non ſtatim commutetur.

11. Quamvis autem totus homo ſit particeps hujus gratiæ, primo tamen & præcipuè convenit animæ, & poſtea ab anima derivatur ad corpus, quatenus corpus ipſius eſt capax per potentiam illam obedientialem, qua una cum anima ſubijcitur voluntati Dei. Sic etiam in anima, primo & propriè convenit voluntati, ex qua in cæteras facultates ſecundum ordinem naturæ derivatur. *Deut.* 30. 6. *Circumcidet Iehoua Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut viuas.* Rom. 2. 29. *Circumciſio cordis.*

12. Eſt commutatio hominis à *peccato*, ut diſtinguatur ab illa ſanctificatione, quæ eſt *à contrario merè negativo*, qualis illa fuit quæ attribuitur humanæ naturæ Chriſti, quæ dicitur ſanctificata aut ſancta facta, quamvis peccato nunquam fuit inquinata, dum fuit Chriſti natura.

13. Terminus *à quo* eſt turpitudo, corruptio, vel labes peccati. 2. *Cor.* 7. 1. *Purificamus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, ad finẽ perducentes ſanctimoniam in timore Dei.* 14. Ter-

14. Terminus *ad quem* est puritas imaginis Dei, quæ condi vel recreari dicitur in *scientia, justitia*, & *sanctitate*, Eph. 4. 24. *vel conformitas ad legem Dei*, Iac. 1. 25. *novitas vitæ*, Rom. 6. 4. *nova creatura*, 2. Cor. 5. 16. Gal. 6. 15. *& natura divina*, 2. Pet. 1. 4.

15. Dicitur autem nova & divina creatura. 1. Quia non producitur ex principijs illis quæ in sunt nobis à natura, sicut omnium artium habitus producuntur, qui industria & disciplina comparantur, sed ex novo principio vitæ à Deo nobis in vocatione communicato. 2. Quia est alius planè generis quam fuit antea, dispositio nostra naturalis. 3. Quia refert pro suo modulo summam illam perfectionem, quæ reperitur in Deo.

16. Sanctificationis hujus duo sunt gradus, unus in istac vita, qui dicitur in genere *infantia*, 1. *Cor.* 13. 11, 12. *Eph.* 4. 14. 2. *Pet.* 2. 2. quia licet varietas illa reperiatur in istac vita, ut si quidam Sanctificatorum cum aliis comparentur, & cum semetipsis variis temporibus, tum quidam rectè dicantur *infantes*, & alii *adulti*, dum istic vivunt, *Heb* 5. 13, 14. tamen summus ille gradus, quem in istac vita assequimur, est inchoatio tantum sanctitatis promissæ & expectandæ. Alter gradus, dicitur *ætas virilis perfecta*, *Eph.* 4. 14. 1. *Cor.* 13. 11. *Phil.* 3. 12. quam in vita futura cessat motus aut progressus sanctificationis, ac quies & perfectio sola reperitur: ita ut in istac vita magis propriè sanctificationem habere dicamur, quam sanctitatem, & in vita futura sanctitatem solummodo, & non sanctificationem.

17. Sanctificatio igitur duas habet partes:

unam

unam respectu termini *à quo*, quæ dicitur Mortificatio: & alteram respectu termini *ad quem*, quæ dicitur vivificatio & resurrectio. *Rom.*8.5,6.

18. Mortificatio est prima pars sanctificationis, qua peccatum absumit. *Col.* 3.3,5. *Mortui estis, mortificate igitur membra vestra terrestria.*

19. Causa ejus meritoria & exemplaris est Christi mors. *Rom.* 6.5,6. *Cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse.*

20. Causa principaliter operans est spiritus ille Dei, qui mortis efficaciam fidelibus communicat. *Rom.*8.13. *Si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.*

21. Administrans causa est ipsa fides, *Rom.*8.17 *Ex corde auscultastis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi.*

22. Ex hac mortificatione sequitur in omnibus sanctificatis abnegatio suimet ipsorum, & mundi. *Luc.*9.23. *Gal.*6.14.

23. Hinc ortum habet differentia illa interna, quæ est inter peccatum quod manet in fidelibus, ab eo quod manet in alijs: in alijs peccatum est regnans, prævalens, & prædominans; in fidelibus est fractum, subactum, & mortificatum.

24. Vivificatio est secunda pars sanctificationis, qua imago aut vita Dei in homine restituitur. *Col.* 3.10. *Eph.* 4.24 *Rom.* 12.2. *Induti novo illo homine. Transformate vos per renovationem mentis vestræ.*

25. Causa ejus exemplaris est resurrectio Christi. *Col.*3.1,2. *Resurrexistis cum Christo.*

26. Caus[illegible]

PALATINA LIBRARY

26. Causa principaliter operans est spiritus Dei, qui Christum à mortuis suscitavit. *Rom.* 8. 11. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitabit in vobis.*

27. Administrans causa est fides, *Gal.* 2. 20. *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filij Dei.*

28. Ex hac vivificatione oritur in sanctificatis obligatio firma suimet ipsorum, qua Deo & Christo se totos addicunt, 2. *Cor.* 8. 5. *Semetipsos dediderunt Domino.*

29. Quoniam hæc sanctificatio est imperfecta dum hic vivimus quasi infantes, idcirco duplici quasi forma fideles omnes informantur, peccato & gratia: perfectio enim sanctificationis in istac vita non reperitur, nisi in somnijs quorundam fanaticorum. 1. *Joh.* 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Ad perfectionem tamen contendunt omnes verè sanctificati, *Matth* 5. 48. 1. *Cor.* 13. 11. 2. *Pet.* 3. 18.

30. Peccatum, quod in sanctificatis remanet, vel pars corrupta, dicitur in scripturis *vetus homo, homo externus, membra & corpus peccati.* Gratia vel pars renovata, dicitur *novus homo, spiritus, mens, &c.*

31. Hinc duo consequuntur. 1. Bellum spirituale quod inter has partes perpetuo geritur, *Gal.* 5. 17. *Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt.* 2. Resipiscentiæ quotidiana renovatio.

32. Caro illa quæ remanet in renatis, non est tantum in appetitu vegetativo & sensitivo, sed etiam

etiam in voluntate, & ipſa ratione, 1. *Theſſ.* 5. 23.

33. Caro vel concupiſcentia iſta veram ac propriam rationem peccati habet in ipſis renatis, *Rom.* 7.

34. Inficiuntur iſta carne etiam optima opera ſanctorũ, ita ut opus habeant aliqua remiſſione.

35. Bona tamen renatorum opera non ſunt peccata dicenda, ſed peccato inquinata.

36. Inquinatio iſta bonorum operum (propter juſtificationem) non efficit quin ad præmium à Deo acceptentur.

37. Pugna illa, quæ in improbis reperitur inter conſcientiam & voluntatem, non eſt luctæ ſpiritus adverſus carnem, ſed carnis metuentis adverſus carnem concupiſcentem.

CAP. XXX.

De Glorificatione.

In ſuperiori diſputatione fuit ſanctificatio, alterationis qualitatum pars una, quæ reſpiciebat bonum, juſtum ac honeſtum: ſequitur altera, glorificatio, quæ reſpicit bonum commmodum ac honorificum.

1. GLorificatio eſt realis hominis tranſmutatio à miſeria & pœna peccati in fœlicitatem æternam. *Rom.* 8. 30. *Quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.*

2. *Realis* dicitur *tranſmutatio*, ut diſtinguatur ab illa beatitudine, quæ vel virtualis tantum eſt in electione, vocatione, juſtificatione, & adoptione, vel declarativa in ſanctis operibus, *Rom.* 4. 6. *David declarat beatum illum hominem cui*

Deus

Deus imputat justitiam, &c. Psal. 65. 5. *Beatus quem eligis, & admones inhabitaturum atria tua.* Math. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.*

3. Respectu termini *à quo*, qui est miseria vel pœna peccati, dicitur *redemptio*, 1. *Cor.* 1. 30. *Eph.* 1. 14. *Gal.* 3. 13. *Heb.* 2. 14, 15.

4. Redemptio hæc est realis liberatio à malis pœnæ: quæ nihil aliud est reipsa quam executio sententiæ justificationis. Nam in justificatione ut judicamur justi, sic adjudicamur vitæ. Iam verò glorificatio vitam illam adjudicatam, & pronunciatam reali communicatione facit actu, & possessione nostram.

5. *Realis* dicitur, ut ab illa redemptione distinguatur, quæ est in pretij redemptionis solutione, & in ejusdem explicatione ad justificandum, cujus mentio fit, *Eph.* 1. 7. *Col.* 1. 14.

6. In Scripturis appellari etiam solet *liberatio*, & *conservatio* ab ira Dei, à morte, & à regno tenebrarum.

7. Respectu termini *ad quem* dicitur *beatificatio, benedictio, vita æterna, gloria, glorificatio, regnum Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi, & hæreditas immortalis.* Eph. 1. 3. Ioan. 3. 36. & 6. 47. 1. Pet. 1. 3, 11. 1 Pet. 1. 4. & 5. 10.

8. Inchoatæ hujus glorificationis primus gradus est apprehensio, & sensus amoris Dei ex communione, quam habent fideles cum ipso, in Christo elucentis, *Rom.* 5. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui natus est nobis.*

9. Hinc oritur quasi amicitia quædam inter Deum, Christum, & fideles. *Johan.* 15. 15 *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo,*

nota feci vobis, Iac. 2. 23. *Abrahamus vocatus eſt amicus Dei.*

10. Secundus gradus eſt indubitata ſpes & exſpectatio fruitionis omnium illorum bonorum, quæ Deus præparavit ſuis, *Rom.* 5. 2. *Gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.*

11. Hinc libertas adeundi Dei cum fiducia, *Eph.* 2. 18. & 3. 12. *Heb.* 10. 22.

12. Huc pertinet & perſeverantiæ, & ſalutis etiam certitudo, *Rom.* 8. 38.

13. Hæc enim certitudo quod ad rem ipſam, quæ dicitur *certitudo obiecti*, eſt omnibus verè fidelibus obſignata: ſed quoad ejus perceptionem, quæ dicitur *certitudo ſubiecti*, non eſt omnibus ſemper præſens; poteſt tamen à quibuſvis abſque ſpeciali revelatione comparari, & debet etiam ab omnibus quæri: ita ut certa iſta fiducia, rectè fundata, nihil habeat commune cum præſumptione.

14. Certitudo iſta fundatur & confirmatur fidelibus verbo, ſigillis, juramento, & arrha Dei ipſius. *Heb.* 6. 17. *Deus volens ex abundanti hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilii ſui, fide iuſſit jureiurando: ut per duas res immutabiles validam conſolationem habeamus.* Eph. 1. 13. *Obſignati eſtis Spiritu illo promiſſionis ſancto: qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.*

15. Percipitur iſta veritas, & certa nobis redditur. 1. Senſu quodam ſpirituali, quo gratia Dei jam præſens præſentiam ſuam manifeſtam & evidentem reddit fideli. 2. Ex diſcretionis dono, quo diſtinguunt fideles veram gratiam ab ejus ſpecie adumbrata 3. Conſcientiæ diſcurſu ac teſtimonio, quo non minus fidelibus

obſig-

obsignatur gratia ac salus, atque infidelibus peccatum & mors. 4. Spiritus ipse Dei has omnes percipiendi rationes fidelibus ita confirmat, ut eandem certitudinem habeant cum ipsa fide. *Rom.* 8. 16. *Spiritus ipse testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.* 1. Cor. 2. 12. *Accepimus Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus.* 2. Cor. 13. 5. *Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos explorate.* 1. Ioh. 4. 16. *Nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus erga nos.*

16. Certitudo ista sequitur ex perceptione fidei ac resipiscentiæ, ubi fœdus Dei gratuitum rectè intelligitur, 2. *Cor.* 13. 5.

17. Alterutrum horum si absit certitudo ista quo ad perceptionem tollitur; ita ut qui rectè intelligit fœderis promissionem, non posset esse certus de sua salute, nisi etiam percipiat in semetipso veram fidem & resipiscentiam: neque potest ille, qui sentit semetipsum verè credere & resipiscere, certus esse de perseverantia & salute, nisi etiam intelligat ex fœdere, Deum credentes & resipiscentes ad finem usque potenter conservaturum.

18. Certitudo igitur salutis non est ab alijs, neque aliàs percipitur, nisi ab ijs quia una cum fide retinent bonam conscientiam, idque dum eam retinent sine graviore aliquo vulnere, quod à peccatis ijs infertur, quæ vastare solent conscientiam.

19. Hinc prout fides, & conscientia bona vigent, aut languent in hominibus, sic etiam ista certitudo vel confirmatur, vel imminuitur. *Psal.* 51.

10. Qui

20. Qui igitur ſine ulla fidei,& reſipiſcentiæ ſenſu, aut cura certo ſperant ſalutem, præſumendo ſperant,& ſperando pereunt.

21. Ex iſta certitudine oritur *conſolatio, pax, & gaudium inenarrabile, Rom.* 5.2,3. 1. *Pet.* 1. 8. *Rom.* 14.17. 2. *Cor.* 1.5. quæ ſunt *primitiæ gloriæ, Rom.* 8.23.

22. Conſolatio eſt metus, ac doloris opprimentis revelatio. 2. *Cor.* 1.4. complectitur tamen aliquando per ſynech. inchoatam ſalutem totam, *Col.* 2.2.

23. Pax eſt tranquillitas animi, quæ oritur, partim ex liberatione à malis, & partim ex præſentia, aut ſpe contrariorum bonorum. *Phil.* 4.7.

24. Cum in ſalutationibus apoſtolicis conjungitur cum gratia, tum omnem fœlicitatem illam denotat, quæ ex favore Dei fidelibus communicatur.

25. Gaudium eſt illa delectatio, quæ percipitur ex illa conjunctione & communione ſummi boni. *Luc.* 10.20.

26. Hinc vita ipſa æterna dicitur gaudium, *Math.* 25.21. *Joh.* 15.11.

27. Tertius gradus eſt in participatione ſpiritualium gratiæ donorum cum abundantia aut exundatione, *Col.* 2.2,7,10. *Omni opulentia plenè ſertiorate intelligentiæ. Exundantes fide. Completi.*

28. Hinc abundantia gratiæ dicitur amplum introitum in regnum Dei ſubminiſtrare, 2. *Pet.* 1. 8, 11.

29. Quartus gradus eſt in experientia benevolentiæ aut benignitatis Dei. *Pſal.* 31.20. *Quam multa eſt bonitas tua, quam recondis reverentibus te?* Pſal. 65.5. *Saturamur bono*

domus tuæ, rebus sanctis templi tui.

30. Huc pertinet paterna illa Dei providentia, qua fidelibus invigilat semper in bonũ, sicut impijs invigilat in malum, cujus ratione dicitur in Scripturis, *manus Dei optima adesse suis*, *Nehem.* 2.8.

31. Hinc omnia cooperantur in bonum ijs, qui diligunt Deum, *Rom.* 8.28.

32. Ex istorum omnium sensu radicantur & fundantur fideles in charitate Dei, *Eph.* 3.17.

33. Perfecta glorificatio est in ablatione omnis imperfectionis ab anima & corpore, & perfectionis omnis communicatione.

34. Conceditur hæc animæ immediatè post separationem ejus à corpore, 2. *Cor.* 5. *verse* 2. *Phil.* 1.23. *Hebr.* 12.23. sed animæ & corpori conjunctim non conceditur ex ordine ante diem illum ultimum, quo simul omnes fideles erunt in Christo consummati, *Ephes.* 4.13. *Phil.* 3.20,21.

CAP. XXXI.

De Ecclesia mystice considerata.

Statuum de redemptionis applicatione in se considerata: sequitur subjectum cui, & modus quo fit hæc applicatio.

1. SVbjectum est Ecclesia, *Eph.* 5.25, 26, 27. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea: ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum: ut sisteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam*

rugam: aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata. Vnde electio, redemptio, vocatio, justificatio, adoptio, sanctificatio & glorificatio ad idem subjectum, id est, ad eosdem singulares homines, qui constituunt Ecclesiam, in proprietate sua spectant. *Joh.* 17.19,10, & 11. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Rom. 8.29,30. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit, &c.*

2. Ecclesia tamen ita rationem habet subjecti respectu hujus applicationis, ut sit etiam ejusdem applicationis effectum: non enim primo est actu ecclesia, & postea unionis & communionis cum Christo sit particeps: sed quia Christo uniuntur, idcirco est ecclesia Christi.

3. Atque hæc est ratio, cur ecclesiæ naturam neque explicare neque intelligere potuimus, nisi prius explicatis & perceptis ijs, quæ pertinent ad explicationem Christi.

4. Electi antequam inserantur Christo, in sese non aliter sunt de ecclesia, quam potentia illa quæ suo tempore certo ventura est in actum, propter intentionem Dei & transactionem ejus cum Christo: qua potentia illa remota, quæ est omnium hominum communis, respectu electorum, est in Deo certo determinata.

5. Illi igitur inter orthodoxos qui Ecclesiam definiunt cœtum electorum, vel per electos intelligunt secundum electionem vocatos, vel non Ecclesiam tantum definiunt, qua actu existit: sed etiam qua est futura.

6. Primum illud quod actu ecclesiam constituit, est vocatio: unde etiam & nomen suum accepit & definitionem.

7. *Ecclesiæ enim est cœtus hominum vocatorum.* 1. *Cor.* 1. 24. *cum* 10. 32. *Judæis, Græcis vocatis. Iudæis, Græcis, & Ecclesiæ Dei.* Quia verò vocationis terminus est fides, & fidei opus est insitio in Christum, & unio hæc cum Christo communionem secum adfert; hinc eodē planè sensu definitur: cœtus fidelium: cœtus eorum qui sunt in Christo: & cœtus eorum qui communionem habent in Christo.

8. Sicut autem fides ita respicit Christum, ut per Christum etiam respiciat Deum; sic ecclesia ista, quæ per fidem existit, & ad Christum tanquam ad caput, & per Christum ad Deum refertur: undè dicitur ecclesia *corpus Christi*, Col. 1. 24. *& Ecclesia etiam Dei*, 1. Cor. 10. 32. *regnum Christi*, Col. 1. 13. *& regnum Dei*, Rom. 14. 17.

9. *Cœtus* dicitur: quia in multitudine consociata vel communitate multorum propriè consistit, non in uno aliquo vocato: undè *Eph.* 4. 16. dicitur *corpus coagmentatum, & compactum ex varijs membris*: & eadem ratione sæpius in scripturis vocatur, *domus, familia, civitas, regnum, grex*, &c.

10. Ad homines restringitur iste cœtus: quoniam Angeli boni, quamvis aliqua ratione ad ecclesiam pertineant, propter unionem illam quam habent cum Christo, & conseruationis gratiam ab illo communicatam, non sunt tamen homogenea membra ecclesiæ redemptæ.

11 Forma vel causa constituens ecclesiæ hujus tale quod est necessario quod æque in omnibus vocatis reperitur: hoc autem nihil aliud esse potest quam relatio: neque ulla relatio vim istam habet præter illam quæ consistit in prima

&

& intima affectione ad Christum: talis verò in homine nulla datur præter fidem: fides igitur est forma ecclesiæ.

12. Fides enim ut in singulis fidelibus existens distributivè est forma vocatorum: sed in omnibus collectivè spectata est cœtus vocatorum, id est, ecclesiæ forma.

13. Idem enim homines fideles, qui prout sigillatim distributivè considerantur, sunt vocati Dei, sunt etiam ecclesia Dei, prout conjunctim vel collectivè considerantur in cœtu.

14. Hinc omnes illæ promissiones Dei quæ factæ sunt ecclesiæ in scripturis, & continent in sese benedictiones essentiales, pertinent etiam ad singulos fideles.

15. Relatio hæc est adeo intima, ut ejus ratione non tantum Christus ecclesiæ sit & ecclesia Christi. *Cant.* 2. *verse* 26. sed & Christus in Ecclesia & ecclesia in ipso sit. *Ioh.* 15. *verse* 4. 1. *Ioh.* 3. *verse* 24. ita ut ecclesia mystice dicatur *Christus*. 1. *Cor.* 12. *verse* 12. & *complementum Christi*. Eph. 1. 23.

16. Hinc ecclesia dicitur metaphoricè *sponsa*, & Christus *sponsus*: ecclesia *civitas*, & Christus *Rex*: ecclesia *domus*, & Christus *Paterfamilias*: ecclesia *palmites*, & Christus *vitis*: ecclesia denique *corpus*, & Christus *caput*.

17. Istis autem comparationibus non unio tantum significatur & communio, quæ inter Christum & ecclesiam intercedit: sed etiam ordinis ratio, qua Christus ecclesiæ est omnis dignitatis, vitæ, virtutis, & perfectionis principium.

18. Ecclesia hæc est mystica ratione una, non

genericè, sed quasi species specialissima, vel individuum: quia nullas habet species propriè dictas.

19. Dicitur igitur Catholica, non ut κατ' ἀρ genus aut generale aliquid significat, sed ut denotat aliquid integraliter universale (ut quum dicimus *orbis universus*) quia complectitur fideles omnium gentium, omnium locorum, & omnium temporum.

20. Nulla igitur pars ecclesiæ verè dici potest Catholica, nisi quatenus fidem illam profitetur quæ est fides ecclesiæ Catholicæ: quo sensu veteres non solum partem illam ecclesiæ quæ fuit Romæ: sed & alias etiam Catholicas appellavere. Sicut ecclesia Franekerana nostra rectè dici potest Catholica, quatenus fidem illam, quæ est ecclesiæ catholicæ, profitetur.

21. In membra distribuitur ecclesia secundum gradus communionis quam habet cum Christo, cujus respectu dicitur, vel militans, vel triumphans.

22. Ecclesia militans est, quæ inchoatæ tantum communionis est particeps: atque adeo luctatur adhuc cum hostibus in hujus mundi campo. 1. Cor. 13. 9, 12. *Ex parte cognoscimus. & ex parte prophetamus. Cernimus enim nunc per speculum, & per ænigma.* 2 Cor. 10. 3. *Arma militiæ nostræ.* Eph. 6. 12, 13. *Lucta est nobis, propterea assumite universam illam armaturam Dei*

23. Ecclesia triumphans est, quæ jam est consummata, *Eph.* 4. 13. *Donec perveniamus nos omnes in virum adultū, ad mensuram plenæ staturæ Christi.* 1. Cor. 15. *Postquam advenerit quod perfectum est.*

24. Ecclesia militans est & invisibilis, & visibilis,

bilis, visu scilicet, vel sensu externo.

25. Hæc autem distinctio non est distributio generis in species: quasi una esset ecclesia visibilis, & alia invisibilis: neque integri in membra, quasi una pars ecclesiæ esset visibilis & alia invisibilis: sed distinctio adjunctorum ejusdem subjecti: quia invisibilitas est affectio, vel modus ecclesiæ, respectu formæ essentialis & internæ: visibilitas est affectio, vel modus ecclesiæ, quoad formam accidentalem, & externam.

26. Forma essentialis est invisibilis: quia & relatio est, quæ non incurrit in sensum, & spiritualis etiam, atque adeo remota magis à sensu, quam aliæ multæ relationes.

27. Forma accidentalis est visibilis, quia nihil aliud est quam internæ fidei externa professio, quæ sensu facilè percipi potest.

28. Professio hæc visibilis est visibilis illa communio sanctorum quam habent cum Christo in sese.

29. Communionis cum Christo sunt actus illi visibiles, quibus sistunt sese Deo in Christo, ad percipiendas ejus benedictiones, & ad gloriam earum ipsi tribuendam.

30. Communionis inter sese sunt actus illi omnes, quibus alij alijs invicem benefacere student: sed præcipuè illi, qui directè faciunt ad communionem eorum cum Deo in Christo promovendam.

31. Posterioris hujus generis actus multi erga illos etiam sunt exercendi, qui adhuc non sunt membra ecclesiæ: quia potentia quadam ad illam pertinere sunt judicandi.

32. Ecclesia hæc qua in se visibilis est respectu

aliorum & comparativè, distinguitur etiam in conſpicuam, & latentem.

33. Conſpicua eſt, quum numerus eſt major, & profeſſio liberior, & magis publica.

34. Latens, quum numerus eſt minor, & profeſſio minus aperta: quod fieri ſolet propter hæreſes, perſecutiones, aut prophanos mores graſſantes.

35. Eadem etiam ratione eccleſia eſt purior, & impurior, prout profeſſio eſt perfectior, vel imperfectior.

36. Profeſſio autem iſta non pendet ex confeſſione ſola & prædicatione verbi, ſed etiam ex ejuſdem receptione & obedientia religioſa.

37. Quamvis autem iſtiuſmodi mutationibus eccleſia ſit obnoxia, & quamlibet mundi partem relinquere poſſit; nunquam tamen totaliter deficit, aut deficiet ab initio collectionis ejus ad finem uſque mundi.

38. Chriſtus enim regnum ſuum perpetuo debet habere in medio hoſtium ſuorum, uſque dum poſuerit inimicos in ſcabellum pedum ſuorum.

39. Imo verò eccleſia nunquam planè deſinit eſſe viſibilis. Quamvis enim aliquando vix uſquam appareat eccleſia tam pura, ut ad illam quis confugere poſſit in communione ejuſdem cultus per omnia; eccleſia tamen aliquo modo viſibilis exiſtit, in illa ipſa impuritate cultus, & profeſſionis.

CAP.

CAP. XXXII.

De Eccleſia inſtituta.

1. ECcleſia, quæ in terris agit quamvis non ſit tota ſimul viſibilis, in ſuis tamen partibus eſt viſibilis, tum diviſum in membris ejus ſingularibus, tum etiam conjunctim in cœtibus aut congregationibus.

2. Prior viſibilitas eſt per profeſſionem hominum perſonalem, quæ non efficit eccleſiam ſimpliciter viſibilem, ſed in membris quibuſdam, vel membra eccleſiæ viſibilia, quamvis ipſa eccleſia in ſe, vel ſtatu ſuo integrali non ſit in eodem loco viſibilis. *Act.* 19. 1. *Paulus venit Epheſum, ubi diſcipulos quoſdam invenit.*

3. Viſibilitas illa quæ eſt in cœtibus vel congregationibus diſtinctis, non eccleſiam ſolum viſibilem facit, ſed quoad externam formam, tot Eccleſias viſibiles conſtituit, quot ſunt congregationes diſtinctæ, *Apoc.* 1. 4. *Septem Eccleſiæ.* 2. Cor. 8. 1, 19. *Eccleſiæ Macedonum. Omnes Eccleſiæ.*

4. Iſtæ enim congregationes ſunt quaſi partes ſimilares eccleqæ catholicæ, atque adeo & nomen, & naturam ejus participant.

5. Eccleſia igitur particularis, reſpectu communis illius naturæ, quæ in omnibus particularibus Eccleſijs reperitur, eſt ſpecies Eccleſiæ in genere, ſed reſpectu Eccleſiæ Catholicæ, quæ habet rationem integri, eſt membrum ex aggregatione variorum membrorum ſingularium compoſitum, atque adeo reſpectu ipſorum eſt

etiam integrum.

6. Congregatio vel Ecclesia hujusmodi particularis, est societas fidelium speciali vinculo inter se conjunctorum, ad communionem sanctorum constanter inter sese exercendam.

7. *Est societas fidelium*; quia idem illud in professione constituit Ecclesiam visibilem, quod interna & reali sua natura constituit Ecclesiam mysticam, id est, fides.

8. Quia autem fides vera conjunctam habet sanctitatem, quam efficaciter operatur, *Actor.* 15. 9. atque adeo professio veræ fidei non potest disjungi à professione sanctitatis, idcirco promiscuè, & eodem sensu dicitur Ecclesia societas fidelium, & sanctorum, *Ephes.* 1. 1. *Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu*, 1. *Cor.* 1. 2. collato cum, 2. *Corinth.* 1. 1. *Rom.* 1. 7. *Coloss.* 1. 2.

9. Hinc Ecclesiæ etiam visibiles & particulares, ratione hujus fidei quam profitentur, rectè dicuntur esse in Deo Patre, & in Domino Iesu Christo, 1. *Thes.* 1. 1. 2. *Thes.* 1. 1.

10. Maximè etiam probabile est, nullam dari Ecclesiam ejusmodi particularem, in qua veræ fidei professio viget, quin in eadem etiam reperiantur nonnulli verè fideles.

11. Illi autem, qui professione tantum sunt fideles, dum remanent in illa societate, sunt membra illius Ecclesiæ, sicut etiam Ecclesiæ catholicæ, quoad statum externum tantum, non quoad statum internum aut essentialem, 1. *Ioh.* 2. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.*

12. Fidelibus sunt annumerandi tanquam Ecclesiæ membra fidelium eorum liberi, qui sunt

in Ecclesia. 1. *Cor.* 7. 14. *Liberi vestri sancti sunt*: participes enim sunt ejusdem fœderis, & ejusdem professionis cum suis parentibus.

13. Infantes tamen non adeo perfecta sunt membra Ecclesiæ, ut possint actus communionis exercere, aut admitti ad omnia ejus privilegia participanda, nisi prius incrementum fidei appareat: ab ijs verò, quæ pertinent ad initium fidei & ingressum in Ecclesiam, non sunt excludendi.

14. Fideles non constituunt Ecclesiam particularem, quamvis simul forsan plures in eodem loco conveniant aut vivant, nisi speciali vinculo inter sese conjungantur: sic enim una aliqua Ecclesia solveretur sæpè in plures, & plures etiam confunderentur in unam.

15. Vinculum hoc est fœdus, vel expressum, vel implicitum, quo obligant sese fideles particulatim ad omnia illa officia præstanda, & erga Deum, & erga se mutuo, quæ spectant ad Ecclesiæ rationem & ædificationem.

16. Hinc est, quod in Veteri Testamento toties ferè legimus de renovatione fœderis, quoties refertur solennis aliqua Ecclesiæ reformatio.

17. Hinc nemo ritè in Ecclesiam admittitur, nisi per fidei confessionem, & stipulationem obedientiæ.

18. Fœderata ista conjunctio eatenus tantum constituit Ecclesiam, quatenus spectat ad communionem sanctorum exercendam: ijdem enim homines fideles possunt semetipsos fœdere conjungere ad civitatem aut civilem aliquam societatem constituendam, qua immediatè spectans

ſpectant bonum commune civile, ſed Eccleſiam non conſtituunt, niſi qua in conſtitutione ſua ſpectant ſanctam communionem cum Deo inter ſeſe.

19. Hinc ijdem homines poſſunt conſtituere civitatem aut ſocietatem politicam, & non Eccleſiam, aut Eccleſiam, & non civitatem. aut & Eccleſiam & civitatem.

20. Hinc eſt, quod conventus formaliter eccleſiaſtici haberi dicuntur in nomine Domini. *Math.*18.20. 1.*Cor.*5.4.

21. Neque tamen ſufficit ſubitanea aliqua conjunctio, & ſanctæ communionis exercitium ad Eccleſiam conſtituendam, niſi etiam conſtantia illa accedat quoad intentionem ſaltem, quæ ſtatum adfert corporis: & membrorum in ſpirituali quadam politia.

22. Eccleſia hæc eſt inſtituta à Deo, & Chriſto. *Hebr.* 3.3,4. *Qui conſtruxit domum. Omnis enim domus apparatur à quopiam*, atque hac ratione differt ab Eccleſia myſtica, cujus aggregatio in unum non præſcribitur hominibus, ſed operatione divina immediatè perficitur; aggregatio autem in Eccleſiam inſtitutam à Deo perficitur, ut ejus mandatum, & hominis officium ac opera intercedant, *Heb.*13.25. *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam.*

23. Inſtituitur autem à Deo, & Chriſto ſolo, quia homines neque ex ſeſe poteſtatem habent inſtituendi, aut formandi Eccleſiam Chriſto, neque ex voluntate Dei revelata talem aliquam authoritatem habent ſibi commiſſam: maximus eorum honor eſt, quod ſint famuli in domo Dei. *Heb.*3.5.

24. Non

24. Non est igitur penes hominem, vel tollere quicquam eorum, quæ Christus Ecclesiæ suæ concessit, vel alia ejusdem generis ijs adjicere: quamvis possit ac debeat omni ratione legitima curari, ut illa, quæ Christus instituit, promoveri possint ac confirmari.

25. Christus vero sic instituit ecclesiam, ut à sese semper pendeat tanquam à capite, ita ut si distinctè consideretur absque Christo, non sit corpus completum.

26. Hinc ecclesia ipsa non potest propriè novas leges sibimetipsi ferre de rebus instituendis novis, sed illud tantum curare debet, ut voluntatem Christi probè acquirat, & ipsius instituta ordine ac decenter observet, cum maximo fructu ædificationis.

27. Quia verò instituta Christi conjunctam semper habent benedictionem Dei, idcirco promissiones Dei variæ factæ sunt Ecclesiæ de præsentia Christi, *Matth.*18.20.1.*Cor.*5.4. ita ut singulari modo dicatur versari ac ambulare in Ecclesijs. *Apoc.*2.1. *Esa.*31.9. & de præsentia Spiritus Sancti, *Esa.*59.21. ita ut amplior & certior benedictio Dei possit expectari in Ecclesia Dei instituta, quam in vita solitaria quacunque.

28. Illi igitur, qui occasionem habent adjungendi sese Ecclesiæ, & eam negligunt, gravissimè peccant, non tantum in Deum ratione institutionis, sed etiam in suas proprias animas, ratione benedictionis adjunctæ. Et si obstinatè persistant in ipsa incuria, quicquid alias profitentur, vix possunt haberi pro fidelibus regnum Dei verè quærentibus.

29. Professio veræ fidei est maximæ essentialis

tialis Ecclesiæ nota.

30. Professio ista in cœtu aliquo potest antecedere solennem Verbi prædictionem, & Sacramentorum administrationem.

CAP. XXXIII.

De Extraordinarijs Ecclesiæ Ministris.

1. HActenus de applicationis subjecto, sequitur ejus modus.

2. Modus applicandi in ijs consistit, quæ sunt media spiritus applicantis nobis Christum cum ejus beneficijs ad salutem.

3. Qui autem spiritus ipse internè, & maximè intimè, atque adeo suo modo immediatè, omnia salutaria nobis applicat, neque, externum ullum medium capax est propriè istius virtutis, qua gratia realiter nobis communicetur: Idcirco ista quamvis moraliter concurrant & operentur in præparatione hominis ad gratiam istam recipiendam, gratiam tamen ipsam non propriè conferunt per se, sed Spiritus qui una cũ ipsis operatur. 1. *Cor.* 3. 7. *Neq; is qui plantat, est aliquid, neq; is qui rigat: sed Deus, qui dat crescendi vim.*

4. Media hujusmodi duo præcipuè, sunt ministerium & sacra signa: quibus tamen adjungitur necessario Ecclesiastica aliqua disciplina.

5. Ministeriũ est functio ecclesiastica, qua homo selectus ex jure speciali res sacras dispensat. 2. *Cor.* 4. 1. *Ministerium hoc habemus, prout misericordiam consequuti sumus.* 1. Cor. 4. 1, 2. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, & dispensatoribus*

ſcriptis mysteriorum Dei.

6. *Miniſterium* appellatur, quia poteſtas illa quæ hominibus eccleſiaſticis committitur, eſt poteſtas tantum agendi ex imperio Chriſti, & mero erga ipſum obſequio. *1 Cor.* 4. 1, 2.

7. Spiritualis poteſtas imperij vel regalis, qua agit quis ex libertate & arbitrio proprio, non eſt hominum, ſed Chriſti ſolius.

8. Hinc miniſter Eccleſiæ per ſemetipſum ſuum officium exequi tenetur, ut qui non habet poteſtatem vicarium aliquem ſuo loco delegandi, hoc enim non eſſet obſequij, ſed imperij.

9. Miniſter igitur perpetuus vicarium ecclesiarum per vicarios neceſſario curandarum non eſt ex Dei inſtituto, ſed ex ambitione & præſumptione humana.

10. *Poteſtas* non eſt abſoluta ſed relativa, id eſt, non conſiſtit in abſoluta facultate aliquid agendi, ſed in jure, quo quis poteſtatem habet ritè & legitimè agendi quod antea non potuit ſic agere, atque ideo dicitur poteſtas juris.

11. *Eſt autem ſpecialis juris*; quia ſpecialia quædam officia reſpicit alijs illicita, & quædam officia communia ſpeciali quodam modo induit.

12. Ius miniſterij pendet ex vocatione, *Hebr.* 5. 4. *Neque ſibi ipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.*

13. Vocatio eſt actio qua cum authoritate miniſtrandi munus alicui demandatur.

14. Sunt igitur illi planè ridiculi, qui vocationem miniſtrorum ſic inſtituunt, ut prædicandi verbi poteſtatem ipſis non tribuant, niſi ex nova aliqua conceſſione.

15. Vocationis adjunctum neceſſarium eſt aptitudo ad miniſterium. 16. Hinc

16. Hinc illi qui sunt prorsus inepti ad ministerium implendum, si ab hominibus eo vocentur, sunt ministri hominum, non Dei *Hos.* 4. 6. *Quia scientiam sprevisti, spernam quoque te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

17. Aptitudo hæc oritur ex donorum idonea mensura, & voluntate prompta munus illud capessendi & exequendi.

18. Ex ministerio oritur tertius Ecclesiæ status. Sicut enim per fidem habet suum statum essentialem, & per combinationem, integralem; sic etiam per ministerium habet organicum quendam statum: quoniam apta jam redditur ad omnes illas operationes exercendas, quæ pertinent ad bonum totius.

19. Operationum harum ratio & directio est politia ecclesiastica.

20. Politiæ hujus forma est planè monarchica respectu Christi capitis ac regis; sed quoad visibilem, & vicariam administrationem, est mixtæ naturæ, partim quasi aristocratica, & partim quasi democratica.

21. Hinc in ministerio Ecclesiæ legitimo nullum locum habet hierarchia, sed potius, hierodulia.

22. Ministrorum igitur unus, non subjicitur, in sua dispensatione, potestati alterius: sed omnes immediatè pendent à Christo: sicut angeli illi qui munere sunt alijs inferiores, immediatè subjiciuntur Deo, non alijs angelis.

23. Ministerium hoc vel extraordinarium vel ordinarium.

24. Extraordinarium ministerium est, quod habet altiorem quandam & perfectiorem

directio-

directionem, quam ordinarijs medijs possit haberi.

25. Hinc ministri hujusmodi semper habent dona & assistentiam extraordinariam, ita ut sine errore ministrent.

26. Extraordinarij ministri jus neque ab homine, neque per hominem propriè confertur, sed à solo Deo per Iesum Christum & Spiritum Sanctum. *Gal.* 1. 1.

27. Hinc vocatio ad tale ministerium est immediata.

28. Omnis tamen extraordinaria vocatio non est ita immediata, ut excludat omne ministerium hominum; sicut appareat in Elisæi & Matthiæ vocatione: sed illud tantum ministerium excludit, quod infallibili directione destituitur.

29. Extraordinarium hoc ministerium necessarium planè fuit Ecclesiæ, quia voluntas illa Dei quæ pertinet ad benè Deo vivendum, non potuit humana industria & ordinarijs medijs indagari, ut cæteræ omnes artes ac scientiæ, sed requirebat homines à Deo excitatos, ac missos, quibus ille voluntatem suam patefecit, ut essent nobis vice ipsius Dei. *Exod.* 4. 15, 16. *Tu vero sis ei vice Dei.*

30. Extraordinarijs istis ministris voluntatem suam revelavit Deus. 1. Viva voce, *Apoc.* 1. 10. Cui sæpè accedebat apparitio & allocutio Angeli, aut Christi ipsius, tanquam Angeli fœderis. 2. Per visionem, qua simul cum verbo species rerum indicandarum vigilantium oculis fuerunt repræsentatæ. 3. Per somnium, quo similia proposita fuerunt dormientium animis. 4. Nonnunquam etiam singulari quadam familia-

familiaritate quasi ore, ad os, sine ænigmatis. *Num.* 12 6,7,8. *Si est Propheta ex vobis, per visionem meipsum Iehovam notum faciam ei, aut per somnium alloquor eum: Non sic servus meus Moses, in os alloquor eum, adeo ut speciem similitudinemque Iehovæ intueatur, ac non per ænigmata.*

31. Revelationis hujus modus fuit adeo potens, ut rapuerit homines sæpè in ecstasin, quasi correpti fuerunt supra semetipsos, ut nihil perceperint præter illud quod fuit propositum, neque illud ipsum totum secundum omnes ejus circumstantias. 2 *Cor.* 13.3,4.

32. Est tamen adeo certus, ut divina ejus veritas confirmetur semper, & singulari quadam ratione obsignetur ijs, quibus revelatur: ita ut non indigeat alia confirmatione, *Gal.* 1.17. & 2. 6. *Neque redij ad eos qui ante me fuerunt Apostoli. Qui sunt in pretio, nihil mecum contulerunt*, quamvis aliquando etiam ex abundanti adjiciantur miracula. *Jud.* 6.36,37,38.

33. Extraordinarium hoc ministerium est, vel ad Ecclesiæ primam institutionem, vel ad institutæ singularem & extraordinariam conservationem, vel denique ad collapsæ restitutionem extraordinariam.

34. Ministerium institutionis conjunctim semper habet miraculorum testimonium. *Hebr.* 2.3,4. *Quæ quum primum enarrari cepit, & e. Testimonium illis præbente Deo, & signis, & prodigijs, variisque virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus pro sua voluntate.*

35. Miracula tamen non ita doctrinæ alicujus attestantur, ut statim ipsi fidem faciant. Illa enim doctrina quæ non consentit cum nota Dei

volun-

volentate, non debet admitti, quamvis miraculis videatur confirmari. *Deut.* 13. 1, 2, 3. *Quamvis eveniat signum illud aut prodigium, quod prædixerat tibi, dicendo, Sequamur Deos alienos: ne auscultato verbis prophetæ.* *Gal.* 1. 8. *Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto.*

36. Ministerium conservationis & restaurationis, quamvis sit extraordinarium & sæpè miraculis confirmetur, non tamen semper, aut necessario, requirit miraculorum testimonium: sicut apparet in multis V. T. & in Iohanne Baptista.

37. Extraordinarij ministri fuerunt Prophetæ, Apostoli, & Evangelistæ.

38. Wiclephus, Lutherus, Zwinglius & similes Euangelij restauratores primi, non fuerunt propriè loquendo extraordinarij ministri.

39. Extraordinarij tamen non malè à quibusdam appellantur. 1. Quia aliquid præstiterunt simile eorum, quæ ab extraordinarijs ministris præstita fuerunt olim. 2. Quia quoad gradum, singularia quædam dona acceperunt à Deo, prout res ipsa postulabat: quod etiam affirmari potest de multis inter martyres illustrioribus. 3. Quia ordine tum temporis perturbato, & collapso, necesse habuerunt nonnulla tentare præter ordinem communem.

40. Ridiculum est igitur, ab istis hominibus postulare miracula, ad confirmationem illius doctrinæ quam proposuerunt, cum talis attestatione in extraordinarijs quidem omnibus fuit necessaria.

CAP.

CAP. XXXIIII.

De Scriptura Sacra.

1. EXtraordinarij miniſtri à Deo fuerunt excitati, ad eccleſiam inſtituendam, non tantum viva voce, ſed etiam ſcriptis divinis, ut perpetuus eſſet uſus & fructus hujus miniſterij in eccleſia, etiam cum tales miniſtri non ſupereſſent.

2. Illi enim ſoli potuerunt regulam fidei ac morum ſcriptis mandare, qui propter immediatam & infallibilem directionem, quam habuerunt à Deo, immunes ferunt, in illo negotio ab omni errore.

3. Scribendi mandatum acciperunt à Deo, partim externè & generaliter, cum docere jubebatur, & ſpecialiter aliquando, cum ipſa ſcriptio imperabatur. *Deut.* 31. 19. *Apoc.* 1. 19. *Scribite vobis canticum hoc. Scribe quæ vidiſti.* & partim interno Spiritus inſtinctu. 2. *Pet.* 1. 21. *Non enim libitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à ſpiritu ſancti loquuti ſunt ſancti Dei homines.* 2. Tim. 2. 16. *Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata.*

4. Scripſerunt etiam afflatu & ductu Spiritus Sancti, ita ut homines ipſi fuerint, quaſi organa Spiritus. Ibidem. *Ier.* 1. 9. *Ecce, indo verba mea ori Tuo.* Act. 28. 25. *Benè ſanè Spiritus Sanctus loquutus eſt per Eſaiam Prophetam.*

5. Inſpiratio verò divina ſcribentibus illis adfuit cum aliqua verietate. Quædam enim ſcribenda incognita prorſus antea fuerunt ſcriptori,

ori, ſicut in hiſtoria creaturis præteritæ, & in prædictionibus futurorum ſatis liquet: quædam autem prius nota erant ſcriptori, ut in hiſtoria Chriſti per Apoſtolos conſcripta patet: & horum alia naturali cognitione tenebant, alia ſupernaturali. In occultis & ignotis inſpiratio divina omnia præſtabat per ſe: in ijs quæ nota fuerunt, aut quorum notitia ordinarijs mediis acquiri potuit, accedebat etiam religioſum ſtudium ſcriptorum, Deo ita adſiſtente, ut in ſcribendo non errarent.

6. In ijs omnibus quæ per ſupernaturalem revelationem innotuerunt, (ſive in jure, ſive in facto verſentur) non ſolum res ipſas inſpiravit, ſed etiam ſingula verba quibus ſcriberentur dictavit atque ſuggeſſit: quod tamen factum eſt cum ſuavi illa attemperatione, ut unuſquiſque ſcriptor ijs uteretur modis loquendi; qui maximè conveniebant ejus perſonæ & conditioni.

7. Hinc Scriptura ſæpè tribuitur Spiritui Sancto, tanquam auctori, nulla mentione facta amanuenſium, *Heb.* 10. 15. *Teſtatur nobis & ipſe Spiritus ſanctus.*

8. Hinc etiam, quamvis in ſcriptionibus ſacrorum librorum indicetur maxima ex parte, quorum opera ſcripti fuerunt, nonnunquam tamen hac de re altum habetur ſilentium, idque ſine ullo hujuſmodi librorum detrimento, vel authoritatis eorum imminutione.

9. Neque tamen ſufficit ad ſcripturæ ſacræ partem conſtituendam, ſi liber aliquis per extraordinarium aliquem Dei ſervum ſcribatur, & ex certa ſpiritus directione: niſi etiam authoritate divina, publicè eccleſiæ ſit datus, & ſanctificatus,

ctificatus, ut sit canon sive regula ipsius.

10. Res ipsa quam scriptis mandarunt, quoad summam rei & præcipuum finem, nihil aliud est, quam voluntas illa Dei revelata, quæ est regula fidei ac morum.

11. Hinc omnia illa, quæ in disputatione prima dicta fuerunt de doctrina vitæ à Deo revelata, conveniunt propriè Scripturæ sacræ. Scriptura enim nihil aliud est, quam illa doctrina cum scriptionis modo adjuncto, qui modus non fuit ibi, sed hoc in loco tractandus.

12. Hinc Scriptura quoad rem & sententiam subjectam, id est, quatenus fuit doctrina divinitus revelata, fuit prior ecclesia; sed quoad modum, cujus respectu dicitur propriè Scriptura, posterior est ecclesia prima.

13. Partim ratione materiæ subjectæ & objectæ, quæ vera ac salutaris Dei voluntas dicitur, & partim ratione directionis illius qua fuit illa scriptis mandata, dicitur *Scriptura sacra*, & κατ' ἐξοχὴν *Scriptura* & scriptores etiam ipsi vocantur *sancti*, *Rom.* 1.2. *Eph.* 3.5. 2. *Pet.* 1.21. & 2. 22. & 3.2. *Apoc.* 18.20.

14. Quamvis autem ex occasione aliqua singulari, variæ Scripturæ partes fuerint exaratæ, & ad certos quosdam homines aut cœtus directæ: æquè tamen ex intentione Dei pertinent, ad institutionem singulorum fidelium per omnia secula, ac si ad ipsos singulariter fuissent directæ, undè *ad Hebr.* 12.5. *adhortatio Salomonis, quæ in Proverbijs habetur, loqui dicitur Hebræis, qui Apostolicis temporibus vivebant, tanquam filijs*, & 2. Pet. 3.15. *Paulus dicitur omnibus fidelibus scripsisse, quod scripsit Romanis*, Heb. 13.5. *Quod dictum*

dictũ fuit Ioſuæ, dici perhibetur omnibus fidelibus.

15. Scripturis continentur omnia illa quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: atque etiam omnia illa quæ neceſſario requiruntur ad inſtitutionem & ædificationem eccleſiæ. 2. *Tim.* 3. 15, 16, 17. *Sacræ literæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem. Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

16. Hinc Scriptura non eſt partialis, ſed perfecta regula fidei ac morum: neque quicquam eſt obſervatu neceſſarium in eccleſia Dei, conſtanter & ubique, quod pendet vel ex traditione aliqua, vel ex authoritate quacunque, & non continetur in Scripturis.

17. Omnia tamen non ſimul & ſemel, ſcriptis tradita fuerunt: quoniam eccleſiæ ſtatus & ſapientia Dei aliud poſtulabat: ſed à prima ſcriptione, illa fuerunt ſucceſſivè literis mandata, quæ ſeculis illis fuerunt neceſſaria.

18. Neque idcirco creverunt articuli fidei ſecundum temporum ſucceſſionem, quoad eſſentiam, ſed tantum quoad explicationem.

19. Quoad modum tradendi, Scriptura non explicat voluntatem Dei regulis catholicis & ſcientificis, ſed narrationibus, exemplis, præceptis, exhortationibus, admonitionibus, & promiſſionibus: quia iſte modus maximè facit ad uſum communem omnis generis hominum, & maximè etiam ad voluntatem afficiendam, & pios motus excitandos, qui præcipuus eſt ſcopus theologiæ.

20. Eo modo etiam voluntas Dei revelatur in ſcripturis, ut quamvis res ipſæ ſint plerumque difficiles captu, modus tamen eas tradendi,

& explicandi, in ijs præsertim quæ sunt necessaria, clarus sit & perspicuus.

21. Hinc non indigent scripturæ, præsertim in necessarijs explicatione ulla tali, qua ipsis lux inferatur aliundè: sed sibimet lucem ipsæ præbent, quæ ab hominibus studiosè debet elici, & pro vocationis ratione cum alijs communicari.

22. Hinc etiam unius loci Scripturæ unicus est sensus: quia alius Scripturæ sensus non tantum non esset perspicuus & certus, sed nullus omnino: quod enim non unum significat, nihil significat certo.

23. Ad controversias Theologicas dijudicandas non est constituta visibilis aliqua potestas in ecclesia, quasi regia seu prætoria: sed hominibus imponitur officium inquirendi: communicatur donum discernendi, tam publicè, quam privatim: & indicitur studium promovendi veritatis cognitæ scientiam & praxin, pro vocationis eorum ratione: quibus etiam adjungitur promissio directionis, & benedictionis divinæ.

24. Quia verò Scripturæ datæ sunt ad ecclesiæ usum & ædificationem, idcirco ijs linguis conscriptæ fuerunt, quæ maximè communes & vulgatæ fuerunt in ecclesia tum temporis cum conscriberentur.

25. Hinc omnes illi libri qui conscripti fuerunt ante adventum Christi, Hebraicè scribebantur: Iudæis enim *credita fuerunt eloquia Dei*, Rom. 3. 2. & 9. 4. & pari ratione qui postea conscripti fuerunt, Græcè tradebantur, quia illa lingua maximè communis fuit in illis partibus ubi ecclesia prima vigebat.

26. Hinc

26. Hinc ad accuratam Scripturæ intelligentiam, neceſſaria eſt aliqua ſaltem cognitio harum linguarum: Scripturæ enim iiſdem mediis intelliguntur, quibus alia ſcripta humana, peritia nempè & uſu Logicæ, Rethoricæ, Grammaticæ & linguarum illarum quibus exprimuntur: niſi quod in Scripturis ſingulare Spiritus lumen ſit pijs ſemper quærendum.

27 Linguis tamen iſtis primis non adeo affixa eſt Scriptura, quin & poſſit, & debeat etiam in alias linguas transferri, ad communem uſum eccleſiæ.

28. Inter interpretes autem, neque ſeptuaginta illi, qui Græcè vertebant, neque Hieronymus, neque ſimilis quiſquam, functus eſt munere Prophetico, ita ut immunis fuerit ab erroribus in interpretando.

29. Hinc nullæ verſiones ſunt abſolutè authenticæ, ſed eatenus tantum quatenus exprimunt fontes, ad quos etiam ſunt exigendæ.

30. Neque ulla eſt authoritas in terris, quæ verſio aliqua reddi poſſit ſimpliciter authentica.

31. Hinc illuſtris ſemper fuit & adoranda Dei Providentia in conſervandis fontibus, non tantum nè planè perirent, ſed etiam ne mutilarentur alicujus libri jactura, aut gravi aliquo vitio deformarentur, cum interim ex verſionibus vetuſtioribus nulla una integra ſit relicta.

32. Ex verſionibus iſtis humanis nihilominus percipi poſſunt illa omnia, quæ ſunt abſolutè neceſſaria, ſi modo conveniant cum fontibus in eſſentialibus partibus, ut ſolent omnes verſiones in eccleſijs receptæ, quamvis diſſentiant ac deficiant in minutioribus non paucis.

33. Neque ideo tamen in qualibet versione recepta, perpetuo est acquiescendum: sed cum omni religione curandum, ut purissima & emendatissima interpretatio ponatur ecclesiæ.

34. Ex istis libris omnibus divinitus traditis, & in ecclesiæ quasi arca collocatis, conficitur canon integer fidei ac morum, unde nomen etiam habent Scripturæ canonicæ.

35. Canonem Veteris Testamenti constituerunt Prophetæ, & Christus ipse suo testimonio comprobavit. Canonem N. T. una cum veteri comprobavit & obsignavit Apostolus Iohannes authoritate divina instructus. *Apocaly.* 22. 18, 19. *Enimvero una testor cuivis audienti verba Prophetiæ libri hujus: siquis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: & siquis abstulerit aliquid ex libris Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ.*

36. Libri illi qui vulgo apud nos *A*pocryphi vocantur, non pertinent ad canonem divinum, neque rectè satis ab hominibus fuerunt olim libris canonicis adjuncti, tanquam secundarius quidam canon. Nam primo, in quibusdam eorum manifestæ fabulæ narrantur & affirmantur pro veris historijs, ut de Tobia, Iudith, Zusanna, Bele Dracone & similia multa. Secundo, quia & S. Scripturæ & sibi ipsis sæpè contra dicunt. Tertio, non fuerunt Hebraicè scripti, neque Iudaicæ ecclesiæ traditi aut ab eadem recepti, cui tamen Deus oracula sua omnia commisit ante aduentum Christi, *Rom.* 9. 4. Quarto, non fuerunt à Christo approbati, quia non erant inter illos libros quos ipse designavit, cum jussit suos scrutari Scripturas. Quinto, neque ab Apostolis, neque

que in prima Ecclesia Christiana fuerant nunquam recepti, ut pars canonis divini.

CAP. XXXV.

De Ministris ordinarijs, & eorum officio in concionando.

1. MInisterium ordinarium est, quod totam suam directionem habet à voluntate Dei in scripturis revelata, & ab illis medijs, quæ Deus in ecclesia constituit ad ipsius perpetuam ædificationem.

2. Atque hinc dicuntur ordinarij: quia ex ordine à Deo constituto possunt ac solent ad ministrandum vocari.

3. Quia vero in administratione sua regulam habent sibi fixam, voluntatem illam Dei, quæ revelata prius fuit per extraordinarios ministros, idcirco nihil proponere aut agere debent in ecclesia, quod in scripturis non habent præscriptum.

4. Idcirco etiam pendent ab extraordinarijs ministris, & sunt ipsorũ quasi successores: quamvis enim quoad modum & gradum extraordinarij ministri nullos habent successores, quoad ipsam tamen essentiam administrationis, eodem officio funguntur ministri ordinarij versus ecclesiam, quo extraordinarij olim fungebantur.

5. Hujus ministerij jus per homines communicari solet, atque illa ratione vocatio ordinarij ministri est mediata.

6. Hoc autem sic est intelligendum, ut authoritas administrandi res divinas à Deo immediatè

diatè communicetur ministris omnibus legitimis, & designatio personarum, in quas conferatur, fiat per ecclesiam.

7. Quia vero ecclesia, neque dona huic ministerio necessaria potest conferre, neq; Deo præscribere, in quem ab ipso conferantur, idcireo eos tantum eligere potest, quos antea vidit aptos. Non enim sicut extraordinarij ministri, sic etiam ordinarij per ipsam vocationem redduntur apti, cum antea fuerunt inepti.

8. Hinc in ordinaria vocatione illud necessario requiritur, ut probatio legitima antecedat ipsam vocationem, 1. *Tim.* 3. 10. *Explorentur prius, deinde ministrent, si sunt inculpati.*

9. Ministerium ordinarium est ad ecclesiam ordinarijs medijs conservandam, propagandam & restaurandam.

10. Ministerij hujus duæ sunt partes. 1. Vt nomine Dei agat ap ud populum, quæ sunt agenda. 2. Vt nomine pop uli agat apud Deum, quæ sunt apud ipsum agenda.

11. In istis autem maximè excellit, atq; adeo perpetui semper usus fuit in ecclesia prædicatio verbi.

12. Concionatoris ordinarij officium est Dei voluntatem ex verbo proponere ad ædificationem auditorum. 1. *Tim.* 1. 5. *Finis verò præceptionis annunciationis est charitas ex mundo corde, & conscientia bona, & fide minimè simulata.*

13. Quia autem imprimis requiritur serium studium ecclesiæ *ædificandæ*, idcirco non potest ille concionator idoneus esse, qui non *comparavit animum suum ad quærendum legem Jehovæ, & adpræstandum eam, & ad docendum Israelem statuta*

ſtatuta ac judicia, Ezech. 7.10. Debet enim qui alium docet, ſemetipſum antea & ſimul etiam docere. *Rom.*2.21. alias non eſt paratus ad eccleſiam ædificandam.

14. Officium iſtud faciendum eſt, non tantum univerſaliter reſpectu omnium auditorum in communi, ſed etiam ſpecialiter reſpectu ordinis & ætatis cujuſcunque, ut ſenum, adoleſcentum, ſervorum, *Tit* 2. & 3. doctorum, 2. *Pet.*1.12. *&c.* imo ſingulorum, 1 *Theſſ.* 2.11. *unumquemque veſtrum hortabamur, & conſolabamur, & obteſtabamur*, non publicè tantum, ſed etiam privatim, *Act.* 20.20. *Publicè & domatim.*

15. Iſtum ædificandi ſcopum ita ſemper habere debet ob oculos, ut ſedulo caveat, ne ab eo *divertat ad vaniloquentiam.* 1. Tim 1.6. *ad litigationem de verbis*, 2. Tim. 2.14. *ad controverſias inutiles, aut ſpeculationes falſo nominatæ ſcientiæ*, 1. Tim. 6.20. *ſed præbeat ſe tenacem ſermonis fidelis, qui ad doctrinam facit*, Tit. 1.9. *quiq; damnari non poſſit.* Tit. 2.8.

16. Quia vero in iſtum finem voluntas Dei *ex ejus verbo* eſt proponenda, idcirco non eſt ille ad hoc miniſterium aptus, qui non habet ſenſus ſuos in ſacris literis exercitatos, etiam ſupra vulgus fidelium, ita ut cum Apollo dici poſſit *potens in ſcripturis*, Act. 18.24. Poſtillis & commentarijs non eſt fidendum.

17. Vt voluntas Dei cum ædificationis fructu proponatur, duo hæc ſunt neceſſaria factu. 1. Vt declaratio fiat eorum, quæ in textu continentur. 2. Vt eorundem applicatio inſtituatur ad auditorum conſcientias, prout illorum conditio poſtulare videtur, 1. Timoth. 6.17. *Jis qui divites ſunt in hoc ſeculo denuncia, ne efferantur animo*

neque finem ponant in dinitijs incertis, &c.

18. Imponunt auditoribus, & ſuimet planè obliviſcuntur illi, qui textum certum initio proponunt tanquam principium concionis habendæ, & poſtea multa dicunt circa textum, aut ex occaſione textus, ſed nihil ferè ex ipſo textu deducunt.

19. In declaratione, quid veri ſit in textu, prius debet explicari, & tum poſtea, quid boni ex eo ſequatur. Illa pars in doctrinis vel documentis verſatur, hæc in uſu vel utilitatis ex doctrinis illis derivatione, 2 *Tim.* 3. 16. *Tota Scriptura vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionē, and correctionē, & diſciplinam in juſtitia.*

20. Qui iſtas partes invertunt & confundunt, auditorum memoriæ non conſulunt, ac ædificationem ipſorum non parum impediunt: quia præcipua capita concionis non poſſunt memoriæ mandare, ut poſtea repetant in familijs ſuis privatim, ſine quo exercitio perit maxima pars illius fructus, qui ex concionibus redundaret in eccleſiam Dei.

21. Doctrina eſt axioma theologicum, vel in ſcripturæ verbis poſitum expreſsè, vel ex illis per immediatam conſequentiam fluens.

22. Doctrina rectè primo debet inveſtigari, & tum poſtea tractari.

23. Inveſtigatio fit per analyſin Logicam, cui inſervit etiam Rhetorica & Grammatica.

24. Analyſis pendet præcipuè ex obſervatione ſcopi vel propoſiti, & mediorum, quibus attingitur ſecundum artem Logicam.

25. Huic ad confirmationem ſubjungi debet interpretatio eorum, quæ dubia ſunt in analyſi: manifeſta

manifesta vero & per se perspicua nec postulant, nec admittunt supervacaneam interpretationem.

26. Tractatio partim in probatione consistit, si in quæstionem venire possit apud Aud. (ineptum est enim illud sollicitè confirmare quod omnes agnoscunt) & partim in illustratione rei satis probatæ.

27. Probatio peti debet ex clarioribus Scripturæ testimonijs, rationibus etiam adjunctis; ubi rei natura patietur. Hic autem servandus est modus ille, quem auditorum commodum dictabit.

28. Illustratio ex omnibus ferè inuentionis locis depromi potest, sed præcipuum hic locum habent dissentanea, & comparata.

29. Doctrina quæque satis jam explicata debet statim ad usum transferri, qua etiam in parte, nisi ratio aliqua singularis aliud postulat, magis est insistendum: quippè alterius finem ac bonum continet, & cum concionis præcipuo scopo, auditorum sc. ædificatione, magis est conjuncta.

30. Peccant igitur, qui inhærent nudæ veritatis indagationi & explicationi, & neglecto usu ac praxi, in qua religio atque adeo beatitudo consistit, conscientiam parum aut nihil ædificant.

31. Neque tamen vel omnes doctrinæ, quæ possunt ex textu erui, semper sunt proponendæ, neque omnes usus inculcandi, sed illi sunt eligendi, quos circumstantiæ loci, temporis, ac personarum maximè necessarios esse docebunt; & ex illis præcipuè hi, qui maximè faciunt

ad religionis vigorem vel excitandum, vel confirmandum.

32. Peccant igitur, qui susque deque habent, quid dicant, dummodo multa videantur observasse & dixisse: imo non raro hoc agunt, ut multa textui extorqueant, quamvis ei non insint, & sæpè aliundè ad illum rapiunt, quidlibet ex quolibet proferentes: ex quo quidem auditorum, præsertim imperitorum magis sequitur subversio quam ædificatio.

33. Cum doctrina tum usus, quantum fieri potest, ita formari debent, ut connexionem aliquâ inter se habeant, & eam etiam præ se ferant. Neque enim sine incommodo rapitur animus ab uno ad aliud: neque est quod magis memoriam juvat, quam ordo deductionis.

34. Usus est axioma Theologicum ex doctrina deductum, utilitatem, bonitatem vell finem ejus ostendens.

35. Deductionis ratio est explicanda, si sit minus aperta; cui etiam probatio vell illustratio debet subjungi, prout necessitas auditorum, & prudentia dicentis monebunt.

36. Utilitas hæc vel ad judicium pertinet, vel ad praxin, 2 Tim. 3. 16.

37. In judicio est mentis informatio, & reformatio.

38. Informatio est veritatis alicujus probatio.

39. Reformatio est falsitatis alicujus refutatio.

40. Quamvis autem omnis veritas possit ex occasione doceri, omnis tamen error non est ubique refutandus. Veteres enim hæreses quæ jam sunt sepultæ, non sunt refodiendæ ut refutentur, neque blasphemiæ nefandæ facilè repetendæ:

tendæ: turbat hoc & offendit, præsertim cum solenniter nominantur, explicantur, ac refutantur.

41. In praxi vitæ est directio, quæ constat ex institutione & correctione.

42. Institutio est vitæ sequendæ demonstratio.

43. Correctio est vitæ fugiendæ damnatio.

44. Post declarationem sequi debet applicatio, quæ tamen cum utilitatum derivatione tantam habet cognationem, ut sæpe cum illa permisceri possit.

45. Applicare doctrinam ad usum ejus, est speciali accommodatione sic veritatem aliquam generalem acuere, & ingerere, ut penetrare possit in animos præsentium cum piorum affectuum commotione.

46 Pungendi sunt ad vivum, ut sentiatur in singulis illud Apostoli, verbum Domini nempè gladium ancipitem esse, qui intima usque cogitationum & affectuum configat, & ad ipsam usque ossium & medullarum compaginem pervadat. Prædicatio igitur non debet esse mortua, sed viva & efficax adeo, ut infideli ingregiente cœtum fidelium, affici illum oporteat, & quasi transfodi ipsa Verbi auditione, ut det gloriam Deo 1. *Cor.* 14. 25. *Et ita quæ occulta sunt in ejus corde, manifesta fiant: atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, annuncians Deum vere in nobis esse.*

47. Hæc autem respicit vel animum oppressum, ut consolatio: vel deficiẽtem in prosecutione boni, ut exhortatio; vel in vitatione mali, ut admonitio.

48. Consolatio est argumenti alicujus applicatio,

catio, vel ad tollendum, vel ad mitigandum dolorem ac metum opprimentem.

49. In consolatione notæ utiliter adjunguntur, ex quibus conscientia hominis certa reddi possit, quod ad ipsum pertineat hujusmodi beneficium, cujus consideratione minister fidelium conscientias consolatur, adjectis occupationibus & refutatis, quas pia & anxia mens in contrarium afferre & cogitare possit.

50. Exhortatio est argumenti applicatio, vel ad internam aliquam virtutem ingenerandam, vegetandam & excitandam, vel ad exercitium ejus promovendum.

51. In exhortatione ad virtutem, multum juvat ostendere media, quæ ad virtutem illam in nobis generandam faciunt, singula vero ex Scripturæ locis, & exemplis probentur, aut rationibus quæ firmum in Scriptura fundamentum habent.

52. Admonitio est argumenti alicujus applicatio ad pravitatem aliquam corrigendam.

53. In admonitione, seu dehortatione à vitijs, remedia adjungi possunt, ex ijs locis, quæ adversus illa vitia maximè sunt valitura.

54. Modus agendi in hisce omnibus talis esse debet, ut nullam ostentationem habeat humanæ sapientiæ, aut intermixtionem affectuum carnalium, sed spiritus demonstrationem ubiquè manifestatum. 1 *Cor.* 1. 17. *& cap.* 2. 1. 4. 13. *Non cum dicendi peritia, ne inanis reddatur crux Christi. Non eminentia orationis, aut sapientiæ. Neque in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spirituali & potente. Non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiri-*

tus

tus sanctus. Est enim verbum Spiritus, verbum vitæ, quod prædicatur ad ædificationem Dei, quæ est per fidem: quibus si quid congruenter non dicatur, aut fiat, æquè inane est ac fœtum, & stipula, 1. *Cor.* 3. 12.

55. Neque igitur testimonia humana, qualiacunque sint, neq; historiæ doctis tantum notæ, intermisceri debent, nisi rarius, (causa etiam significat, quæ cogit ita facere) cum urgens necessitas, aut certa spes fructus tale quid postulare videtur: nedum verba aut sententiæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, quas populus non intelligit.

56. Læditur puritas, perfectio, & majestas verbi Dei, dum verborum humanorum permixtionem desiderare perhibetur, & scandalum simul præbetur auditoribus, qui assuefacti hujusmodi flosculis humanis, aurium pruritum sæpè contrahentes, simplicitatem Euangelij incipiunt fastidire, & sanam doctrinam *nolunt sufferre*, 2. *Tim.* 4. 3.

57. Pauli exemplum (qui paucula quædam & breuia citat poetarum Gentilium dicta, authoribus non nominatis, ad gentiles, quibus nota & probata fuerunt, convincendos; idque rarissimè & obiter) hoc, inquam, exemplum nihil juvat illam necessitatem, aut etiam utilitatem, quam urgent illi, qui frequenter & studio, laudatis authoribus, eadem fere solennitate, qua solent prophetarum nomina citare, apud Christianos, qui solum Christum audire cupiunt, obtrudunt humana testimonia, ad eruditionem aliquam ostentandam.

58. Neque etiam procemia non necessaria, & longè petita, aut persuasoria oratorum verba sunt

sunt consectanda: nec digressionibus aut excursionibus est indulgendum. Sapiunt ista spiritum humanum, tempus conterunt, & excludunt alia quæ magis ædificarent.

59. Si verò aliquod exordium adhibetur ad rem præsentem spectans, illud locum proprium habet, vel in textus declaratione, vel in ejus applicatione ad usum.

60. Sermo, & actio tota debet esse spiritualis ex intimo corde fluens, hominem indicans & in pietatis exercitijs multum versatum: qui etiam illa quæ alijs suadere conatur, sibimet ante persuasit & conscientiæ suæ penitus infixit: cui denique adest Zelus, charitas, lenitas, libertas, humilitas, cum authoritate gravi.

61. Sermonis pronunciatio debet esse cum naturalis, popularis, clara & distincta, ut commodè possit intelligi: tum rebus congrua, ut etiam affectus movere possit, *Gal.4.20. Velim autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam: quoniam hæsito in vobis.*

62. Inter alias duæ hic maximè peccant: altera lenta, tarda, cantillans, somnolenta, in qua non tantum verba in eadem commatis distinctione cum paula separantur, sed & in eadem voce syllabæ, cum magno rerum intellectus impedimento.

63. Altera vox, quæ hic maximè peccat, est præceps ac velox, quæ celeritate nimia aures obruit, ut nulla fiat distincta rerum perceptio.

64. Sermo, pronunciatio, & actio quæ in senatu, in judicijs, in foro esset ridicula, illa in concione magis est fugienda.

65. Dilucidius apparet Spiritus Sancti efficacia in

in nuda verborum simplicitate, quàm in elegantia & nitore: hinc Paulus dicit se ἰδιώτην λόγῳ, 2. *Cor.* 11.6. Si tamen polleat aliquis vi quadam dicendi externa, cum genuina simplicitate debet illam usurpare.

66. Quantum affectationis apparet, tantum perit efficaciæ & authoritatis.

67. Summa est, nihil admittendum esse, quod non facit ad spiritualem populi ædificationem, neque omittendum quicquam, quo ad illum finem certa ratione pervenire possimus.

68. Concionis appendix est oratio, tam præcedens quam consequens.

69. In præcedenti generalia illa debent proponi, quibus verbi & prædicationis finis & usus, nostraque indigentia, indignitas, & officium, una cum gratiosis Dei promissis, ita commemorentur, ut excitari possint animi omnium ad voluntatem Dei humiliter quærendam, & fideliter observandam.

70. In oratione consequenti gratiarum actio semper est adhibenda, & præcipua concionis capita in petitiones debent converti.

Cap. XXXVI.

De Sacramentis.

Haælenus de modo applicationis quoad primam partem, scilicet in ministerio.

1. Applicationis modus quoad alteram partem est insignis.

2. Signum est res sensibilis, quæ præter illam speciem

ſpeciem quam ſenſibus immediatè infert, aliud etiam ſimul facit incogitationem venire: atque hoc ſenſu ſigni ratio tam latè patet atque argumenti logici.

3. Signum aliud eſt naturale, aliud per inſtitutionem.

4. Inter hæc duo tamen tantum eſt diſcrimen, ut ſine turpi errore non poſſint confundi.

5. Eſt etiam ſignum aliud ordinarium & perpetuum, aliud extraordinarium & temporarium.

6. Reſpectu rei ſignificatæ eſt, vel rerum præteritarum, & dicitur ἀναμνηστικὸν ſeu *rememorativum*; vel rerum præſentium, & dicitur ἐνδεικτικὸν vel *demonſtrativum*; vel rerum futurarum, & dicitur προγνωστικὸν, ſeu *prænunciativum*, vel denique ex omnibus iſtis conflatum, ita ut præſentia, præterita, & futura deſignet.

7 Reſpectu finis & uſus, vel inſervit intellectui, & diſcitur *notificans*; vel memoriæ, & dicitur *commonefaciens*; vel etiam fidei, & dicitur *obſignans*, vel denique iſtis omnibus ſimul.

8. Hinc ſignum ſacrum eſt vel nudum ſignum, vel etiam ſigillum.

9. Nudum ſignum eſt, quod tantum repræſentat: ſigillum eſt, quod non tantum repræſentat, ſed etiam exhibet obſignando.

10. *Sigillum fœdus Dei obſignans dicitur ſacramentum*, Rom. 4. 11.

11. Eſt enim ſignum rememorans, demonſtrans, prænuncians, notificans, commonefaciens & obſignans.

12. Sacramentum igitur fœderis novi eſt inſtitutio divina, qua per ſenſibilia ſigna benedictiones

dictiones fœderis novi repræſentantur, exhibentur, & applicantur.

13. Hinc ſacramentum iſtiuſmodi habet rationem teſtimonij divini ſecundarij, quo teſtimonium illud primarium, quod in ipſo fœdere continetur, reſpectu noſtri ſpecialiter confirmatur.

14 Hinc illa ſpecialis applicatio favoris & gratiæ Dei, quæ oritur ex vera fide, per ſacramenta plurimum confirmatur & promovetur.

15. In ſacramento igitur eſt res ſenſibilis, & ſpiritualis.

16. Res ſenſibilis eſt ſignum, vel repræſentans, vel applicans: res ſpiritualis eſt illud quod repræſentatur & applicatur.

17. Sacramenti nomine tamen & uſitatè, & maximè propriè, res ipſa externa & ſenſibilis denotari ſolet.

18. Signum ſacramentale neque inhærentem, neque adhærentem, phyſicè habet rem illam ſpiritualem ad quam refertur; ſic enim ſimul eſſet ſignum & res ſignificata.

19. Neque tamen ſunt nuda ſigna indicantia & repræſentantia, ſed rem ipſam communicantia, teſtificantia, & magis communicandam exhibentia.

20. Hinc nullius eſt inſtituere ſignum iſtiuſmodi ſacrum, præterquam Dei ſolius: quia nulla creatura poteſt communicare rem ſignificatam, aut communicationem ejus certam nobis reddere, aut denique virtutem illam iſtiuſmodi ſignis adjicere, qua apta reddantur ad fidem & fiduciam confirmandam, aut gratiam ullam ſpiritualem in nobis excitandam, magis quam res alia quælibet.

21. Res

21. Res ipsa, quæ seligitur & separatur ad usum hujusmodi sacrum, dicitur propriè *signum representans*, ut panis & vinum in cœna: sed usus harum rerum dicitur *signum applicans*; ut distributio, receptio, comestio, potatio.

22. Hinc sacramenta non existunt propriè extra suum usum, id est, neque antea, neque postea quam applicantur ad usum suum, revera sunt sacramenta.

23. Res spiritualis, quæ significatur sacramentis novi fœderis, est fœdus ipsum novum, i. Christus cum omnibus illis benedictionibus, quæ in ipso fidelibus præparantur.

24. Quædam tamen sacramenta magis expressè modum aut respectum aliquem hujus fœderis repræsentant quam alia, quæ alium aliquem modum magis etiam designant.

25. Sed omnia hoc habent commune, quod integrum fœdus gratiæ fidelibus obsignant; neque istum usum habent eo solummodo tempore dum administrantur, sed ad finem usque vitæ.

26. Forma sacramenti est unio illa, quæ est inter signum & res significatas.

27. Vnio hæc non est corporalis, neq; tamen est imaginaria, sed est relatio spiritualis, cujus vi res significatæ realiter communicantur illis, qui rectè utuntur signis.

28. Neque enim omnes illi participant rem ipsam spiritualem, qui participes fiunt signorum, neque modus aut medium idem est utrag; participandi.

29. Ex hac unione sequitur communicatio prædicationis, qua 1. Signum prædicatur de re

signi-

significata, ut cum sanctificatio cordis dicitur circúcisio. 2. Res significata de signo, ut cum circumcisio dicitur fœdus, & panis corpus. 3. Effectum significati prædicatur de signo, ut cum baptismus dicitur regenerare. 4. Proprietas signi de re significata, ut cu n fractio, quæ cõvenit pani, tribuitur Christo. 5. Proprietas rei significatæ tribuitur signo, ut cum esca & potus sacramentalis dicitur spiritualis.

30. Relationis hujus fundamentum. 1. Originem sitam habuit à similitudine vel proportione signi ad rem significatam: talis enim similitudo quamvis non constituat sacramentum, prærequi.itur tamen ad ea quæ cõstituit, ijsque substernitur quasi fundamentum. 2. Ab institutionis verbo, quod constat mandato & promissione. Mandatum imponit nobis officium creaturis utendi ad finem istum sacrum. Promissio fidem nobis facit quod non frustra sic utemur. Hoc autem verbum institutionis distinctè applicatum cum precibus accommodatis, dicitur verbũ *consecrationis, benedictionis, sanctificationis, & separationis.* Perficitur observatione & usu ipso præscripto, cujus tanta vis est, ut ejus defectu, huic, aut illi, corpore præsenti, aut recipienti, illud non sit sacramentum, quod alijs est maximè efficax.

31. Finis sacramenti primarius est obsignare fœdus, idque non ex Dei parte tantum, sed & consequenter etiam ex nostra, id est, non Dei gratia tantum & promissiones nobis obsignantur, sed & nostra etiam gratitudo, & obedientia erga Deum.

32. Mystica igitur signa rerum sacrarum, non

PALACE LIBRARY

non possunt ab hominibus institui, sine præjudicio & violatione sacramentorum, quamvis hominis officium tantum designent.

33. Quamvis enim talia signa non sint propriè sacramenta, sunt tamen signa sacramentalia, id est, participant naturam sacramentorum, atque adeo ab hominibus non possunt institui.

34. Finis secundarius est professio fidei & charitatis: repræsentantur enim in usu sacramentorum, & unio illa quam habemus cum Deo in Christo, & communio illa quam colimus cum omnibus ijs, qui sunt ejusdem unionis consortes, præcipuè cum ijs, qui sunt ejusdem ecclesiæ membra.

CAP. XXXVII.

De Ecclesiastica disciplina.

Verbi & Sacramentorum adjunctum est disciplina: quæ quoad summam rei fuit semper una, atque adeo hoc uno in loco commodè tradi potest.

1. Disciplina sacra, est personalis applicatio voluntatis Dei per censuras, ad scandala vel cavenda, vel tollenda ex ecclesia Dei.

2. In prædicatione namque verbi, voluntas Dei proponitur, & realiter applicatur ad fidem & obedientiam gignendam & augendam. In sacramentorum administratione, voluntas Dei personaliter etiam applicatur sigillis, ad fidem & obedientiam confirmandam. In exercitio disciplinæ, voluntas Dei personaliter etiam applicatur censuris, ad illa vitia removenda, quæ cum

cum vera fide & obedientia pugnant.

3. Hinc est quod disciplina cum verbo & sacramentis conjungi solet ab optimis theologis in ecclesia Dei notanda, quamvis enim non sit nota simpliciter essentialis & reciproca (sicut neque reliquæ duæ) ad completum tamen ecclesiæ statum necessario debet adesse.

4. Instituta est hæc disciplina & præscripta ab ipso Christo. *Math.* 16. 19. & 18. 15, 16, 17. Atque adeo est juris planè divini: neque ab hominibus pro suo arbitrio tolli, minui, vel commutari potest.

5. Imo peccat in Christum authorem ac institutorẽ, quisquis non facit quod in se est, ad hanc disciplinam in ecclesijs Dei constituendam & promovendam.

6. Personæ circa quas exerceri debet, sunt membra ecclesiarum visibilium institutarum, sine ulla exceptione. *Math.* 18 15. 1 *Cor.* 5. 11. & non alij. Ibid. *vers.* 12. Ad illos enim omnes ac solos pertinet, quorum est sacramenta participare.

7. Ad istas personas applicat voluntatem Dei, id est, spiritualis illa reformationis media, qualia tantum Christus ecclesijs suis dedit. 2 *Cor.* 10. 4. Pœnæ igitur & vexationes corpore aut bursa luendæ, nullum omnino locum habent in ecclesiastica disciplina.

8. Peccata & scandala respicit in istis personis: est enim salutaris medela vulnerum ac morborum quibus oves Christi sunt obnoxiæ. 1 *Cor.* 5. 5.

9. Scandala illa prohibet ac tollit: quia Christi voluntatem efficaciter & personaliter applicat ad eorum impugnationem & abolitionem.

10. Quia

10. Quia verò tam efficaciter urget obedientiam erga Christum, idcirco non sine ratione singulari magna pars regni Christi prout visibiliter ecclesiam regit, ab optimis theologis in ista disciplina collocatur.

11. Atque hæc ipsa vera est ratio cur in tam paucis ecclesijs, Christi disciplina, una cum doctrina, solide constituatur & exerceatur, quia totum Christi regnum recipere, eique se penitus tradere detrectant etiam plerique eorum, qui videri volunt Christum cognoscere, & in ipsum sperare.

12. Sicut autem est pars regni Christi, sic etiam eadem ratione est pars evangelij; est enim sanctus modus euangelij promovendi, in ipso evangelio institutus. Neque igitur totum Christi regnum, neque totum evangelium recipiunt, qui rejiciunt disciplinam.

13. Quoniam verò & omnis pars regni Christi nobis est suo modo necessaria, & illa in primis quæ efficaciter peccatum reprimit, idcirco in ecclesijs disciplina carentibus non satis tuto acquiescitur, nisi publicus ille defectus priuata cura & in vigilatione mutua resartiatur.

14. Partes hujus disciplinæ sunt correctio fraterna, & excommunicatio.

15. Non enim consistit vel tantum, vel præcipuè in excommunicationum & anathematum fulmine, sed potissimum in Christiana correctione.

16. Neque proprius finis correctionis est, ut aditus indè fiat ad excommunicationem (quamvis per accidens illud nonnunquam sequatur) sed ut excommunicandi necessitas, si fieri possit, ante-

antevertatur, & peccator per maturam resipiscentiam in ecclesia retinetur.

17. Correctio, increpatio, vel admonitio adhiberi debet in omni peccato, cui disciplinæ modela convenit: sed vario tamen modo, pro varietate occulti, & noti peccati. In occultis enim tres illi gradus sunt observandi quos Christus ordine præscripsit, *Matth.* 18. 15, 16, 17. In publicis verò talis gradatio non est necessaria, 1. *Tim.* 5. 20.

18. Admonitiones istæ semper peti debent ex verbo Dei, non ex placitis humanis: ad conscientiam aliàs non penetrabunt.

19. Excommunicatio plenaria non est adhibenda, nisi ad peccatum accedat contumacia. *Matth.* 18. 17. peccator enim ritè admonitus vel pœnitens vel contumax appareat necesse est: pœnitens autem non est excommunicandus: solus ergo contumax.

20. In atrocioribus tamen flagitijs, nec necessaria, nec utilis est tanta patientia & mora, ad pœnitentiam exspectandam aut contumaciam discernendam, atque in magis usitatis delictis.

21. Quando res ipsa pati potest moram, scripturæ ac rationi consentaneum est, ut primo inchoetur excommunicatio per suspensionem vel abstensionem à cœna, & similibus ecclesiæ privilegijs, quæ dici solet *excommunicatio minor.*

22. In isto tamen gradu non est subsistendum, sed resipiscentia hoc pacto & spacio urgenda, & illa desperata, progrediendum tandem ad segregationem completam à communione fidelium, quæ dici solet *excommunicatio major.*

23. Quia

23. Quia autem peccator contumax non potest à fidelibus separari, nisi fideles etiam ab ipso separentur, & hoc etiam facit ad eorum salutarem pudorem. 2. *Thess.* 3. 14. idcireo illi qui legitimè excommunicantur, sunt à communicantibus omnibus vitandi, non quoad officia simpliciter moralia, aut alias necessaria, sed quoad illas conversationis partes quæ approbationem & interiorem familiaritatem comitari solent. *Os, orare, vale, conviva, mensa negatur.*

24. Ab excommunicationis vinculo nemo non pœnitens debet solvi, neque cuiquam pœnitenti debet negari. Sufficiens autem pœnitentia non est, si quis dicat *Pœnitet me, non faciam amplius*, & alias veram pœnitentiam non demonstrat: sed talia judicia debent apperere feriæ pœnitentiæ, ut ecclesia teneatur in ipsis acquiescere: alias hypocrisis aliter, & illuditur ecclesiæ, ipsique Christo.

25. In quibusdam tamen peccatis pœnitentia magis languida (modo vera appareat) potest admitti, quam in alijs.

26. Potestas hujus disciplinæ quoad jus ipsum, pertinet ad ecclesiam illam in communi, cujus membrum est peccator, ad illos enim pertinet ejicere, ad quos pertinet primo admittere: & corporis totius interest ex æquo membrorum conservatio vel amputatio: cum ecclesiæ idcirco consensu (eoque non permittente tantum sed & approbante & constituente) est executioni mandanda.

27. Præsbyterorum tamen partes in actu & exercitio sunt præcipuæ, idque non tantum in publica actione dirigenda, & sententia, nunciandæ,

nuncianda, ſed etiam in admonitionibus præcedaneis, in quibus ſarcire debent illud quod à privatis vident neglectum.

28. Pontificum, pontificalium epiſcoporum, & officialium eorum uſitatæ ſenſuræ, merentur ipſæ cenſuram gravem: ſunt enim nominis divini prophanationes, iniquæ dominationis fulcra, & alienæ pecuniæ aucupia, non ſpiritualia remedia talium peccatorum.

29. Indulgentiæ, commutationes, & tranſactiones humanæ in ijs ad quæ Chriſtus eccleſiæ diſciplinam inſtituit, ſunt mercedes magnæ meretricis.

CAP. XXXVIII.

De Adminiſtratione Fœderis gratuiti ante Chriſti adventum.

1. QVamvis gratuitum & ſalutiferum Dei fœdus unicum fuerit ab initio, modus tamen applicationis Chriſti, vel fœderis hujus novi adminiſtrandi, non ſemper vnus & idem fuit, ſed varius pro ratione ſeculorum, in quibus Eccleſia fuit collecta.

2. In iſta varietate progreſſus ſemper fuit ab imperfectiore ad magis perfectum.

3. Primo igitur generaliter & obſcurius, deindè verò ſpecialius & clarius manifeſtatum fuit Evangelij myſterium.

4. Modus hic adminiſtrandi duplex eſt: unus Chriſti exhibendi, & alter Chriſti exhibiti.

5. Ad iſta enim duo capita primaria vetus & novum teſtamentum revocantur: vetus promittit

mittit Christum venturum, novum testatur venisse.

6. Dum Christus adhuc fuit exhibendus, omnia fuerunt magis externa & carnalia, postea magis interna & spiritualia. *Joh. 1. 17. Lex illa per Mosen tradita est: gratia & veritas per Jesum Christum praestita est.*

7. Duplex tamen fuit tum temporis Ecclesiæ consideratio: 1. quâ hæres, & 2. quâ infans erat. *Gal. 4. 1. & seq. Quamdiu hæres infans est, nihil differt à servo, quamvis sit Dominus omnium.*

8. Quâ hæres fuit libera: quâ infans, modo quodam servilis, *ibid.*

9. Quâ hæres fuit spiritualis: quâ infans, carnalis & terrena. *Heb. 9. 10. Rom. 9. 7.*

10. Quâ hæres spiritum habuit adoptionis: quâ infans spiritum timoris ac servitutis, *Rom. 8. 15. Non enim accepistis Spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepistis Spiritum adoptionis.*

11. Modus administrationis qui respicit Christũ exhibendum, alius fuit ante Mosem, & alius à Mose ad Christum.

12. Ante Mosen politia ecclesiæ fuit rudis & laxa, tanquam in infantia: tot ecclesiæ visibiles fuerunt, quot familiæ piorum: ministerium fuit perpetuo ferè extraordinarium, per Prophetas: Patres familias & primogeniti jus habuerunt sacra quædam administrandi, ut ordinarij ministri, secundum illam directionem quam accipiebant à Prophetis.

13. Aliqua tamen differentia dispensationis fuit ab Adamo ad Abrahamum, ab illa quæ post Abrahamum fuit usque ad Mosen.

14. Ab Adamo ad Abrahamum primo ad-

demptio per Christum, & ejusdem applicatio promissa fuit in genere, per semen mulieris præstanda, ad opera Diaboli, id est, peccata, & mortem solvenda. *Genes.*3.15. *Rom.*16.20. 1.*Ioh.* 3.8. *Semen mulieris conteret caput Serpentis. Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros cito. Manifestus factus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

15. 2. Vocatio exercebatur in illa distinctione, quæ fuit inter semen mulieris & semen Diaboli, inter filios Dei & filios hominum. *Genes.* 6.2,3. Iustificationis ratio designabatur per sacrificia expiatoria pro peccatis oblata & acceptata. *Ephes.*5.2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.*

16. 4. Adoptionem indicabat, & filiorum titulus omnium fidelium tum temporis communis, & Enochi translatio inhæreditatem cœlestem. *Gen.*5.24. *Heb.*11.5.

17. 5. Sanctificatio, & expresse fuit à Prophetis inculcata, & typicè etiam per oblationes & sacrificiorum ritus adumbrata. *Iud.* 14. *Rom.* 12.1.

18. 6. Glorificatio & Enochi exemplo & Noachi cum familia ipsius à Diluvio conseruatione publicè fuit obsignata. 1.*Pet.*3.20,21.

19. Hac temporum periodo, Sacramentum extraordinarium fuit arcæ structura & conservatio in Diluvio. *Heb. cap.* 11.*v.*7. 1. *Pet. cap.* 3. *verf.*20. *&* 21. Sacramentum ordinarium nullum fuit: nisi quod in Sacrificijs multis aliquid fuerit quod Sacramenti rationem habuit: quod enim in convivio sacro, in loco sancto, sacrificantes

plerumque participes facti fuerint suorum Sacrificiorum cum lætitia coram Deo, *Exod.* 18. 12. hoc obsignabat ipsis aliquo modo gratiam illam fœderis, quæ in Sacramentis exhibetur.

20. A tempore Abrahami, ecclesia præcipuè constitit in familia & posteris ejus.

21. In illa temporis periodo, omnia novi fœderis beneficia magis clarè & distinctè testata fuerunt quam antea.

22. 1. Electio repræsentata fuit in personis Isaaci & Iacobi dilectis præ Ismaele & Esavo. *Rom* 9. 11, 12, 13.

23. 2. Redemptio una cum ejus applicatione augustissimè fuit exhibita in persona & benedictione Melchisedechi, in promissione etiam & fœdere de benedictione ad omnes gentes per semen Abrahami perventura.

24. 3. Vocatio fuit exercita per deductionem Abrahami ex Vr Chaldæorum ad patriam novam & cœlestem quandam. *Heb.* 11. 8, 9, 10.

25. 4. Iustificatio illustrata fuit per expressum Dei testimonium, quod fides Abrahamo tanquam Patri & exemplari omnium credituro-rum imputata fuit ad justitiam, & per circumcisionis sacramentum, quod fuit ejusdem justitiæ sigillum.

26. 5. Adoptio illustris facta est per invocationem nominis Dei super Abrahamum, & omnes filios promissionum, & per assignationem hæreditatis filijs promissionum, genitis ex matre libera, per gratiam, *Gal.* 4. 26, 28, 31.

27. 6. Sanctificatio figurata fuit per circumcisionem, quæ corruptionis peccati & veteris hominis

hominis ablationem, & abolitionem notabat, ut nova creatura in ejus loco ſtatuatur. *Col.* 2. 11. *Deut.* 30. 6.

28. 7. Glorificatio fuit indicata in benedictione promiſſa & in terra Chanaan, quæ typus fuit patriæ cœleſtis.

29. A tempore Moſis ad Chriſtum hæc eadem omnia inſuper fuerunt adumbrata medijs tum extraordinarijs tum etiam ordinarijs.

30. Extraordinariè ſignificata fuit redemptio & ejuſdem applicatio. 1. Per liberationem ex Aegypto miniſterio Moſis tanquam typi Chriſti. *Matth.* 2. 15. & per introductionem in terram Chanaan miniſterio Ioſuæ tanquam alterius Chriſti typi. 2. Per æneum ſerpentem, cujus intuitu homines moribundi reſtituti fuerunt ſanitati. *Joh.* 3. 14, 12, 32. 3. Per nubem qua ab omnibus tum hoſtium tum cœli injurijs tegebantur Iſraelitæ, & præterea lucem ſimul cum refectione virium habuerunt ſubminiſtratam interdiu & nocte. 1. *Cor.* 10. 2. *Eſa.* 4. 4. 4. Per tranſitum maris rubri, quo vitam ſtratam habuerunt ad terram promiſſionis, obrutis & perditis eorum hoſtibus, 1. *Cor.* 10. 2. 5. Per mannam de cœlo & aquam è rupe, undè continuum acceperunt nutrimentum quaſi è manu Dei. 1. *Cor.* 10. 3. & 4. *Iah.* 6 32. & 33.

31. Ordinariè Chriſtus & Redemptio per ipſum adumbrata fuit per Sacerdotem ſummum, altaria, & ſacrificia pro peccatis.

32. Iuſtificatio oſtendebatur ſacrificijs multis, ablutionibus, & ſacramento Paſchatis.

33. Adoptio in primogenitis, qui Deo fuerunt ſacri.

34. Sanctificatio in omnibus oblationibus ac donis, necnon in obseruationibus illis, quæ munditiem aliquam præ se ferebant.

35. Glorificatio per hæreditatem terræ promissæ, & per communionem illam, quam habuerunt cum Deo in Sancto Sanctorum.

36. Ecclesia Iudaica per Mosen instituta fuit, quoad aggregationem externã unica, quia sola illa communio solennis quæ fuit tum temporis præscripta, ab uno templo pendebat, & ibi fuit publica professione, & certis ritibus exercenda.

37. Synagogæ non fuerũt ecclesiæ completæ: quia totus Dei cultus, & integra communio sacra tum temporis præscripta, non potuit in illis exerceri.

38. Ecclesia igitur Iudaica fuit nationalis, & aliqua ratione catholica, vel vniuersalis, quatenus fideles proselytæ ex omni natione sub cœlo, tenebantur adjungere sese illi uni ecclesiæ. *Act.* 2.5,6,8,9,10,11. & 8.27.

39. Ministri primarij fuerunt sacerdotes, ex familia Aharonis, perpetua successionis linea, quibus adiuncti fuerunt reliqui Levitæ. *Num.* 3 6,7,8,9,10.

40. Non tamen admissi fuerunt ad ministrandum vel Sacerdotes vel Levitæ, nisi probatione aliqua antecedente, idque prout corpore, ætate & animi donis valebant.

41. Disciplina tum temporis merè ecclesiastica, fuit magna ex parte cæremonialis; ita tamen ut sacra omnegenus pura fuerint conservanda.

Cap.

CAP. XXXIX.

De Administratione Fœderis à Christo exhibito ad finem usque mundi.

1. MOdus administrationis Christo jam exhibito duplex est, unus ad finem usque mundi, & alter in ipso fine.

2. A Christo ad mundi finem uniusmodi administratio, eaque planè nova; undè etiam dicitur Test. Novum.

3. *Uniusmodi* est sine fine aut alteratione, quia est perfecta, ita ut non sit exspectanda alia, cui locum cederet tanquam perfectiori concessit.

4. *Novum est Testamentum* respectu illius, quod fuit à tempore Mosis; & respectu promissionis Patribus factæ: non quoad essentiam, sed quoad modum, quoniam in illis, quoad modum administrandi, aliqua repræsentatio fuit fœderis operum, à quo hoc Testamentum essentialiter differt; atque adeo cum integra differentia fœderis novi à veteri non apparuerit, nisi in administratione, quæ est post Christum exhibitum, idcirco hæc administratio maximè propriè vocatur Fœdus ac Testamentum Novum.

5. Differt autem ab administratione priori, qualitate & quantitate.

6. Qualitate differens, qua pollet, est vel claritas, vel libertas.

7. Claritas in eo consistit, primo, quod doctrina gratiæ ac salutis per Christum, & fidem in ipsum una cum ejus annexis, magis est distin-

distincta & expressa, quam antea fuit secundo, quod non typis & umbraculis sed ratione manifestissima declaratur.

8. Utroque hoc respectu Christus antea propositus dicitur quasi sub velo, sed jam facie aperta & revelata dicitur offerri. 2. *Cor*. 3. 12. *Multa in loquendo evidentia utimur. Nec sumus sicut Moses, qui imponebat velamen faciei suæ, ne oculos defigerent filij Israelis ad finem ejus quod nunc ut inutile tollitur.*

9. Libertas in eo consistit, primo, quod œconomica legis aut fœderis operum contemperatio, quæ in servitute quadam veterem populum detinebat, jam est sublata: undè etiam Spiritus adoptionis, quamvis non planè denegatus fuit unquam fidelibus, maximè propriè tamen communicari dicitur sub isto N.T. in quo status fidelium perfectissimus maximè elucet. *Gal*. 4. 5. *Postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum, —— ut adoptionem acciperemus, &c.* Consistit, secundo, in eo, quod ceremonialis Legis jugum, qua fuit Chirographum adversus peccatores, qua rerum sua natura mediarum usum prohibebat, qua onerosas multas earundem observationes imperabat; & qua multiplicibus & carnalibus ceremonijs veritatem ipsam obvelabat, jam est planè sublatum, *Coloss*. 2. 14, 17. *Quæ sunt umbræ rerum futurarum, at corpus est Christi.*

10. Peccant igitur adversus libertatem nobis à Christo partam, qui vel ceremonias Iudaicas, vel alias ipsis homogeneas, religiosas, & mysticas, Ecclesijs Christianis obtrudunt. Divinæ enim ceremoniæ non sunt sublatæ, ut humanæ

humanæ in earum locum succederent; neque verisimile est, Christum istiusmodi mysteria arbitrio hominum relicturum fuisse post suum adventum, cum nihil tale permisit veteri populo, præsertim cum tam facili negotio potuisset etiã in isto genere prospicere nobis, si religiosas ac mysticas ullas ceremonias necessarias aut utiles judicasset suis, præter pauculas illas, quas nominatim præscripsit: aut saltem certis tabulis ostendere quibus authoritatem hujusmodi concessit, quod nusquam fecit. *Gal.* 5.1. *In libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate, & ne regredientes implicamini servitutis jugo.*

11. Quantitate administratio hæc differt à priori, & intensiuè, & extensiuè.

12. Intensivè, primo, quod efficacior est applicatio per Spiritum, & Spiritus dona sunt perfectoria, quàm ordinariè fuerunt sub. V.T. undè comparativè vetus administratio dicitur litera, & nova Spiritus, 2. *Cor.* 3. 6. Secundo, quod vitam procreat magis spiritualem, *ibid. vers.* 18.

13. Extensivè, primo, quoad locum, quia non contrahitur ad unum aliquem populum, sicut antea, sed per mundum totum est diffusa. Secundo, quoad tempus, quod nullum habet durationis terminum ante totius mysticæ Ecclesiæ consummationem. 2. *Cor.* 3. 11. *Eph.* 4. 13. *Id quod manet. Donec perveniamus nos omnes in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi.*

14. Quia autem administratio ista nova est adeo perfecta, idcirco consentaneum est etiam, ut communio sanctorum in Ecclesia sub N.T. instituta sit etiam perfectissima.

15. In omni igitur Ecclesia N.T. totus Dei cultus solennis & ordinarius, & omnia ejus instituta sacra possunt ac debent observari, ita ut omnia illius Ecclesiæ membra ordinariè simul possint communionem suam in illis exercere.

16. Non enim nunc est, ut in Ecclesia Iudaica fuit à Deo institutum, ut solenniores quædam cultus divini partes in uno loco exercentur, & aliæ in alijs, sed una particularis Ecclesia instituitur, in qua omnia sacra munera sunt obeunda.

17. Hinc omnes Ecclesiæ Christianæ sunt unius planè ac ejusdem juris, ut una non magis pendeat ab altera, quam altera ab illa.

18. Hinc etiam maximè conveniens est, ut una particularis Ecclesia non constet ex pluribus membris, quam quæ possint in unum convenire ad verbum Dei audiendum, Sacramenta celebranda, preces offerendas, & disciplinam exercendam, aliaque divinæ politiæ munera obeunda, tanquam unum corpus.

19. Est enim aberratio quædam, non expers omnis confusionis, quod in majoribus quibusdam Vrbibus, quamvis plures sint fideles, quam ut simul possint communionem illam exercere, non distribuuntur tamen in varias Ecclesias, sed unam efficiunt ita redundare, ut singulorum ædificatio non possit ritè curari ac promoveri.

20. Ecclesia igitur post Christum exhibitum instituta non est una Catholica, ita ut omnes fideles per totum orbem uno & eodem externo vinculo inter sese conjungerentur, & ab uno & eodem visibili pastore, aut cœtu Pastorum pen-

penderent, sed tot sunt Ecclesiæ, quot sunt cœtus aut congregationes particulares fidem professionum, qui singulari vinculo inter se conjunguntur ad communionem sanctorum constanter exercendam.

21. Quamvis enim Ecclesia mystica, prout est in suis membris, non alia ratione distribuitur, quam in adjuncta, & subjecta, qua ratione Ecclesiam dicimus Belgicam, Britannicã, Gallicam, sicut mare ipsum, secundum ora squas alluit, dicimus Belgicum, Britannicum, Gallicum, quamvis unum & idem sit mare; Ecclesiæ tamen institutæ sunt variæ species specialissimæ, aut individua eandem communem naturam participantia, sicut fontes varij, variæ Scholæ, variæ familiæ: quamvis multæ, aut omnes appellari forsan possint ecclesia una, ratione unius alicujus affectionis quam habent communem, sicut familiæ multæ illustris alicujus stemmatis, unius familiæ nomine sæpè designantur, ut familia Nassovica, &c.

22. Neque est Ecclesia hæc à Deo instituta propriè Nationalis, Provincialis, aut Diœcesana, quæ formæ fuerunt ab hominibus introductæ ad exemplar civilis regiminis, præsertim Romani, sed Parochialis, vel unius congregationis, cujus membra inter se combinantur, & ordinariè conueniunt uno in loco ad publicum religionis exercitium.

23. Istiusmodi enim cœtus, & non amplior propriè significatur per vocem ἐκκλησία, neque latiorem habet significationem in toto N. T. cum refertur ad cœtum aliquem visibilem & designatum, neque etiam apud prophanos

authores, qui ſunt vetuſtiores.

24. Hinc variæ congregationes fixæ, ejuſdem Regionis, ac Provinciæ, plurali numero ſemper appellantur Eccleſiæ, non una Eccleſia, etiam in Iudæa, quæ tota fuit antea una Eccleſia Nationalis, 1. *Theſ.* 2. 14. *Act.* 14. 23. & 15. 41 *Rom.* 16. 4, 5, 16. 1. *Cor.* 16. 1, 19. 2. *Cor.* 8. 8, 19. *Gal.* 1. 2, 22.

25. Eccleſiæ etiam illæ particulares, quæ in N. T. commemorantur, convenire ſolebant εἰς τὸ αὐτό, *Act.* 2. 46. & 5. 12. & 14. 27. & 15, 25. & 21. 22. 1. *Cor.* 5. 4. & 14. 23, 26. & 11. 17, 33.

26. Neque in toto N. T. quicquam legitur de inſtitutione Eccleſiæ alicujus amplioris, à qua minores congregationes penderent, neque cultus aliquis aut inſtitutio ſacra præſcribitur, quæ non eſt in ſingulis congregationibus obſervanda, neque miniſter aliquis ordinarius conſtituitur, qui non datur uni alicui hujuſmodi cœtui.

27. Eccleſiæ tamen particulares, ut earum communio poſtulat, naturæ lumen, & æquitas regularum, & exemplorum ſcripturæ docent, poſſunt ac ſæpiſſimè etiam debent confœderationem aut conſociationem mutuam inter ſe inire in claſſibus, & ſynodis, ut communi conſenſu & ſubſidio mutuo utantur, quantum commodè fieri poteſt, in ijs præſertim, quæ ſunt majoris momenti: ſed iſta combinatio neque conſtituit novam Eccleſiæ formam, neque tollere aut minuere ullo modo debet libertatem ac poteſtatem illam, quam Chriſtus ſuis Eccleſijs reliquit, cui tantum dirigendæ ac promovendæ inſervit.

28. Miniſtri

28. Ministri ordinarij sequuntur Ecclesiæ Instituæ formam; atque adeo non sunt Oecumenici, Nationales, Provinciales, aut Diœcesani Episcopi, sed unius congregationis Presbyteri, qui eodem sensu in Scripturis etiam vocantur Episcopi.

29. Transcendentia illa Hierarchiæ membra fuerunt creaturæ merè humanæ, sine ullo præcepto aut exemplo divino in Ecclesiam introductæ: Pastorale officium in tam varias congregationes non possunt explere. Spoliant Ecclesias sua libertate, dum in ipsas Ecclesias & earum Pastores dominium exercent quasi regale, vel potius tyrannicum: introduxerunt secum tanquam caput Antichristum ipsum Romanum, & quasi caudam ejusdem farinæ Cancellarios, Suffraganeos, Archidiaconos, Officiales, & similia Hierarchiæ fulcra (quorum nomina ipsa sunt apocrypha, & Ecclesijs primis prorsus ignota) ad Ecclesias Dei penitus opprimendas.

30. Ministri ordinarij vocandi jus est in Ecclesia ipsa, cui debet inservire. *Act.* 14. 23.

31. Hic tamen opus est directione & auxilio Presbyterorum, & ejusdem Ecclesiæ, & sæpissimè etiam vicinarum.

32. Vocationis essentia est in electione Ecclesiæ, & acceptione electi.

33. Adjunctum ejus antecedens est, examen vel probatio.

34. Adjunctum consequens & consummans, est ordinatio, quæ nihil aliud est, quàm solennis quædam introductio ministri jam electi in ipsius functionis liberam executionem: undè factum

factum est, ut χειροτονία & χειροθεσία apud veteres idem sæpè sonent.

35. Episcopalis ordinatio ministri, sine titulo, id est, sine ecclesia, cui & in qua ordinaretur, est æquè ridicula, ac si quis maritus fingeretur esse absque uxore.

36. Minister ita vocatus ad uni ecclesiæ inserviendum, neque potest illam pro arbitrio suo deserere, aut ab illa rejici, sine justa causa: neque alius ecclesiæ curam similem suscipere, aut illam quam suscepit voluntaria non-residentia negligere, sine sacrilega fœderis violatione.

37. Ministri ordinarij sunt vel pastores, & doctores, vel presbyteri regentes, quibus adjunguntur pauperum curam gerentes, id est, diaconi, diaconissæ, vel viduæ.

38. Istis muneribus sufficienter prospexit Christus omnibus necessitatibus membrorum Ecclesiæ, ut scilicet instituantur præcipuè in cognitione veritatis per doctores, excitentur inprimis ad praxin pietatis per pastores, conserventur in illo vitæ cursu, & ad pœnitentiam pro peccatis revocentur, per ipsos, & rectores, & aduersus egestatem adjuventur per diaconos.

Cap. XL.

De Baptismo, & Cœna Domini.

1. NAturam testamenti novi sequuntur etiam ejusdem sacramenta; sunt enim numero pauca, paratu & observatu facilia, & significatione sua maximè perspicua.

2. Fue-

2. Fuerunt à Christo ipso sanctificata & institura: quamvis enim à Ioanne Baptista sacramentum alterum fuit primo usurpatum, in eo ipso tamen fuit Christi prænuntius, ut osténderet quid ipse Christus postea probaret, & instituere, neque ordinarij instituti rationem habuit ex ministerio Ioannis, sed ex institutione ipsius Christi.

3. Sacramentis ista sunt Baptismus, & Cœna Domini, neque enim vel alia sacramenta, vel sacramentalia signa fuerunt Ecclesiæ à Christo, aut ab ejus Apostolis tradita; neque possunt ab hominibus in Ecclesia constitui.

4. Ratione institutionis divinæ, maxima necessitas imponitur fidelibus sacramenta ista diligenter ac religiosè usurpandi. Tam absolutè tamen necessaria non sunt ad salutem, ut eorum absentia vel privatio mera privationem inferat hujus: neque debent eo nomine, vel à non ministris legitimis, vel extra ecclesiasticum cœtum celebrari.

5. Baptismus est sacramentum initiationis aut regenerationis.

6. Quamvis enim totum fœdus gratiæ simul obsignet fidelibus, singulari tamen appropriatione repræsentat & confirmat ipsam nostram insitionem in Christum, *Rom. 6.3. Baptizati sumus in Christum Iesum, &* vers. 5. *una plantati sumus cum eo, &* 1. Cor. 12.13. *in unum corpus baptizati sumus.*

7. Quia autem ex prima nostra insitione per fidem in Christum, immediatè sequitur nostræ justificationis & adoptionis relatio, idcirco Baptismus ut sacramentum ipsius insitionis, est ad remissionem

remiſſionem peccatorum. *Marc.* 1.3. & eſt etiam repræſentatio adoptionis, dum per illum conſecramur Patri, Filio, & Spiritui Sancto, & eorum nomina ſuper baptizatos vocantur.

8. Quia etiam ex Chriſto cui inſerimur, ſanctitas ſemper derivatur in omnes fideles, ideirco baptiſmus etiam eſt ſigillum ſanctificationis. *Tit.* 3.5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti.* Rom. 6.4,5,6.

9. Et quoniam à ſanctificatione vera non poteſt ſeparari glorificatio, idcirco ſimul etiam ſigillum eſt gloriæ æternæ, *Tit.* 3.7. *Ut hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Rom. 6 8. *Si commortui ſumus cum Chriſto, credimus fore ut etiam cum ipſo convivamus.*

10. Quia verò iſta beneficia obſignantur ſecundum modum initiationis in baptiſmo, hinc primo baptiſmus ſemel tantum adminiſtrandus, quia unicum eſt initium vitæ ſpiritualis per regenerationem, ſicut unicum eſt principium vitæ naturalis per generationem.

11. Hinc etiam ſecundo, ijs omnibus debet adminiſtrari baptiſmus, ad quos fœdus gratiæ pertinet; quia eſt prima obſignatio ipſius fœderis jam primo initi.

12. Quod autem fidelium infantes non ſint ab iſthoc ſacramento prohibendi, apparet. 1. Quia ſi ullius gratiæ ſunt participes, ſit illud vi fœderis gratiæ, atque adeo & fœdus, & primum fœderis ſigillum ad ipſos etiã pertinet. 2. Quod idem planè ſit fœdus quo fideles jam continentur, cum illo fœdere, quod pactum eſt cum Abrahamo. *Rom.* 4. 11. *Gal.* 3,7,8,9. illud autem expreſſè etiam extendebatur ad infantes.

3. Fœdus

3. Fœdus istud quod jam administratur fidelibus, ampliorem & pleniorem consolationem ipsis adfert, quam olim potuit ante Christi adventum. At verò si ad ipsos tantùm pertineret; & non etiam ad eorum infantes, tum magis angusta & contracta esset gratia Dei, & eorum consolatio, post Christum exhibitum, quam antea fuit. 4. Quia baptismus successit in locum circumcisionis. *Col.* 2. 11, 12. atque adeo pertinet æquè ad liberos fidelium, atque ipsa circumcisio. 5. Quia in ipso initio regenerationis, cujus sigillum est baptismus, homo se habet merè passivè; undè etiam hominis vel circumcidendi, vel baptizandi nulla actio externa requiritur, ut in alijs sacramentis, sed tantum receptio passiva: infantes igitur sunt æquè capaces hujus sacramenti, respectu præcipui ejus usus, atque adulti.

13. Fides & resipiscentia non magis jam constituunt fœdus Dei, quam tempore Abrahami (qui fuit pater fidelium,) defectus igitur istiusmodi actuum, non magis iam prohibere debent baptismum infantibus, quam prohibebant tum circumcisionem.

14. Signum in hoc sacramento est aqua, non simpliciter, sed qua purgat immundum, sive immersione, sive aspersione.

15. Idcirco autem aqua fuit electa, quia nihil est in usu communi quod aptius repræsentat ablutionem istam spiritualem, quæ fit per sanguinem vel mortem Christi, neque ulla re tam commodè exprimitur aspersio, vel applicatio sanguinis Christi, cum jam post Christi mortem sanguinis naturalis usus in sacris nullus esse debet.

16. Cœna

16. Cœna Domini est Sacramentum nutritionis & auctionis fidelium in Christo.

17. Hinc sæpius debet ijsdem administrari.

18. Hinc etiam solis ijs est administranda cœna, qui visibiliter capaces sunt nutritionis & auctionis in Ecclesia; atque adeo non infantibus, sed solis adultis.

19. Qua verò plenissimum & perfectissimum nutrimentum obsignatur in Christo, idcirco non hic unum aliquod & simplex signum nutritionis adhibetur, sed duplicis generis, prout corporis nutritio postulat, panis nempe & vinum.

20. Detrahunt igitur sapientiæ divinæ, institutionem Christi mutilant, & consolationem fidelium graviter minuunt aut tollunt, qui alterum horum signorum auferunt fidelibus in administratione cœnæ.

21. Idcirco autem panis & vinum adhibentur, quia post carnis comestionem, (quæ in sacris non habet locum Christi sacrificio jam peracto) & sanguinis potum, à quo non religio tantum, sed & natura humana abhorret, nihil convenienter magis exprimit arctissimam illam unionem, quam gradatim consequimur cum Christo, in corporis ejus immolatione, & sanguinis effusione fundatam.

22. Transubstantiationem, aut consubstantiationem aliquam fingere in isthoc sacramento magis quam in baptismo, est cæcæ cujusdam & stupidæ superstitionis.

23. Ad spiritualem enim nutritionem in isthoc sacramento non requiritur, ut panis & vinum mutentur in corpus, & sanguinem Christi,

neque

neque ut Chriſtus ſit corporaliter cum ipſis præſens, ſed ut relativè tantum mutentur, quoad applicationem & uſum, & Chriſtus ſit ſpiritualiter præſens ijs qui ex fide participant.

24. Pugnat hæc tranſubſtantiatio, & conſubſtantiatio, cum natura ſacramenti in genere, cum analogia alterius ſacramenti noſtri, vel baptiſmi, cum phraſibus uſitatiſſimis in V. T. cum humana natura Chriſti, cum ſtatu ejus glorificationis, & cum voluntate Dei revelata, qui dixit Chriſtum in cœlis manſurum uſque ad diem judicij.

25. Quod attinet ad verba Inſtitutionis, *hoc eſt corpus meum*, neceſſariò ſunt intelligenda, ſicut aliæ phraſes ſacramentales, quæ in Sacris Scripturis ubique occurrunt, quarum interpretem luculentum habemus Deum ipſum, *Gen.* 17. 10,11. *Hoc eſt fœdus meum. Vt ſit ſignum fœderis inter me & vos.*

26. Quoad modum explicandi verba hujus phraſis ſecundum artem, variant inter ſeſe viri docti. Plerique omnes noſtri volunt eſſe tropum in verbis, id eſt, metaphoram vel metonymiam.

27. Lutherani contendunt nullum hic tropum inveniri, ſed prædicationem tantum inuſitatam.

28. Non deſunt pauci quidam novi, qui negant, vel tropum aliquem proprium haberi, vel prædicationem inuſitatam, ſed impropriam & myſticam ſtatuunt prædicationem.

29. Sed nulla ſufficiens ratio adfertur, quare negemus eſſe tropum in verbis: quod ſic demonſtrari poteſt: Si ſit prædicatio inuſitata, vel

vel impropria, ut illi volunt, hæc inusitata, vel impropria ratio debet aliquo verbo ostendi; quod si fiat, tum necesse est, ut illud verbum transferatur aliquo modo à nativa sua significatione, & usu: id si fiat, tum verbum induit naturam, & definitionem tropi.

30. Tropus autem neque est in antecedente articulo, *hoc*, neque in copula propria, ut in verbo, *est*, sed in consequenti, id est, in verbo *corpus*, corpus enim ponitur pro signo corporis, non ut corpus verum & proprium excludatur ex ista sententia, sed includatur potius per relationem, quam habet signum ad rem signatam.

31. Tropus autem non unicus est, sed triplex in hoc verbo, primus est metaphora, qua unum simile pro altero ponitur, cui adhæret & commiscetur metonymia adjuncti. Panis enim non tantum similis est corporis Christi, sed etiam per institutionem Dei fit ejus adjunctum: secundus est synecdoche partis pro toto, qua corpus Christi ponitur pro toto Christo: tertius est metonymia subjecti pro adjunctis, quod Christus ponitur pro omnibus etiam beneficijs illis quæ à Christo in nos derivantur. In altera parte de *vino*, sunt etiam alij tropi satis manifesti.

CAP. XLI.

De Fine Mundi.

1. HActenus de administratione quæ est ante finem mundi: in ipso fine applicatio illa perficietur, quæ in ista hac vita tantum inchoatur.

2. Tum

2. Tum vocationis finis vocatis omnibus aderit: vocamur enim ad gloriam æternam Dei. 1. *Pet.* 5. 10. qua etiam fidei finis dicitur contineri, id eſt, *ſalus animarum*, 1. Pet. 1. 9.

3. Tum juſtificationis & redemptionis declaratio illa quæ eſt per effecta erit completa, cujus ratione dicuntur fideles in iſthac vita *exſpectare redemptionem. Luc.* 21. *verſ.* 18. *Rom.* 8. *verſ.* 23. *Eph.* 1. 14.

4. Tum adoptati omnes poſſeſſionem ipſam hæreditatis adibunt, quo ſenſu dicuntur fideles in iſthac vita *adoptionem ſuam exſpectare. Rom.* 8. *verſ.* 23.

5. Tum Dei Imago in ſanctificatis omnibus perficietur. *Eph.* 5. 27. *Vt ſiſteret eam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & inculpata.*

6. Tum denique gloria & beatitudo ſperata omnimoda plenitudine fulgebit, non tantum in anima, ſed etiam in ipſo corpore. *Phil.* 3. 21. *Transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme ſiat ejus corpori glorioſo.*

7. Quia autem eccleſiæ ſtatus tunc temporis erit ſtatus perfectionis, non ædificationis, idcirco miniſterium, ſacramenta, & diſciplina, una cum eccleſijs ipſis inſtitutis ceſſabunt, & eccleſia myſtica manebit in immediata communione cum Deo.

8. Hinc etiam finis iſte mundi ab omnibus fidelibus cum deſiderio debet exſpectari. *Phil.* 3. 20. *Tit.* 7. 13. *Servatorem exſpectamus Ieſum Chriſtum. Exſpectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei, & Servatoris noſtri.*

9. Finalis

9. Finalis hæc administrationis perfectio postulat adventum, & præsentiam personalem ipsius Christi. *Act.* 10. 42.

10. Adventus Christi secundus in eo simili erit priori, quod *realis, visibilis*, & apparens erit. *Act.* 1. 11. sed in eo dissimilis, quod erit. 1. Cum summa gloria & potentia, *Matth.* 24. 30. *Tit.* 2. 13. 2. Erit cum maximo terrore respectu improborum, & cum maximo gaudio omnium piorum. 2. *Thess.* 1. 7, 8, 9, 10.

11. Hinc ultimæ discretioni inter pios & impios duo actus inserviunt: *resurrectio, & judicium ultimum.* 2. *Cor.* 5. 10.

12. Resurrectio est ejus quod cecidit: quia verò homo cecidit à vita, per separationem animæ à corpore, idcirco ut resurgat, necesse est eandem animam reuniri denuo eidem corpori, ut ex utriusque unione redintegrata idem homo existat.

13. Istiusmodi resurrectionem esse Deo possibilem apparet: quoniam hujusmodi hominis reparatio non superat illam potentiam, quæ in ejus prima creatione fuit manifestata. *Phil.* 3. 21. *Pro vi illa efficace, qua potest sibi subjicere omnia.*

14. Quod autem hæc resurrectio sit actu futura, per rationem aliquam naturalem non potest certo demonstrari, neque à priore, neque à posteriore, sed est propriè de fide.

15. Neque animæ, neque corporis natura potest esse causa resurrectionis: reformatio enim & resuscitatio corporis ex pulvere est contra solitum naturæ cursum, quæ quum perfectè destruitur, non solet eadem reparari: & inseparabilis unio animæ cum corpore per quam homo redditur

redditur immortalis, est supra vires naturæ.

16. Resuscitatio igitur mortuorum convenit propriè Christo θεανθρώπῳ: principium ejus est divina Christi omnipotentia, qua facilè perfici potest, etiam in instanti.

17. Angelorum ministerium non erit propriè ad mortuos resuscitandos, sed ad collectionem partium resuscitandorum, & ad congregandos jam resuscitatos.

18. Quamvis autem resuscitabuntur omnes à Christo, non una tamen & eadem ratione; resurrectio enim fidelium est ad vitam, & perficitur virtute unionis illius quam habent cum Christo, ut, *vita sua*, *Col.* 3. 4. 1. *Thess.* 4. 14. & operatione Spiritus ejus vivificantis, qui habitat in ipsis. *Rom.* 8. 11. *Vivificabit etiam mortua corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Aliorum autem resurrectio est per potentiam illam Christi, qua justitiam vindicantem exequitur.

19. Resuscitatio igitur fidelium est à vita Christi, tanquam à principio, ad vitam ipsorum, tanquam fructum & effectum: atque idcirco vocatur *resurrectio vitæ*: & aliorum resuscitatio est à sententia mortis & condemnationis, ad ipsam mortem & condemnationem, ideoque vocatur *resurrectio condemnationis*. *John* 5. 28, 29.

20. *Judicium ultimum* exercetur à Christo, tanquam à rege: potestas enim judicandi est pars muneris regij.

21. Respectu fidelium provenit à gratia, & est functio regni gratiæ, Christo Mediatori essentialis; sed respectu infidelium, est potestatis tantum ac dominij à patre concessi, spectans quidem

quidem ad mediationis aliquam perfectionem, sed non essentialem.

22. Hinc fidelium peccata non prodibunt in judicium: quum enim in isthac vita per sententiam justificationis tecta sunt & ablata, & ultimum illud judicium confirmatio erit & manifestatio ejusdem sententiæ; non esset consentaneum, ut in lucem denuo cum temporis proferantur.

23. Locus hujus judicij erit in aëre, 1. *Thess.* 4.17.

24. Dies aut annus ejus non est in Scripturis revelatus, atque adeo non potest ab hominibus designari.

25. Sententia statim implenda feretur de vita, aut morte æterna, secundum opera prægressa.

26. Sententia autem vitæ, respectu electorum feretur secundum opera, non tanquam causas meritorias, sed tanquam effecta de veris causis testificantia.

27. Sed sententia mortis, respectu reproborum, feretur secundum opera eorum, tanquam veras causas.

28. Christus δεύτερος judex est quasi delegatus: ratione tamen authoritatis ac potestatis divinæ quam habet, & à qua pendet sententiæ robur, judex est principalis.

29. Fideles etiam cum Christo judicabunt, assistentes, non consulentes, sed approbantes, tam judicio & voluntate, quam suæ vitæ ac operum comparatione.

30. Iudicium feretur non tantum de hominibus impijs, sed etiam de angelis malis. Resuscitatio igitur & judicatio impiorum hominum per Christum

Chriſtum habenda, non magis arguit vniuerſalem redemptionem talium hominum, quam dæmonum.

31. Ignis purgando & innovando mundo deſtinatus, non antecedet judicium ſed ſequetur.

32. Purgatorium non magis eſt neceſſarium ante diem judicij, quam poſtea: cum igitur poſtea nullum erit, fatentibus ipſis pontificijs, neque antea jam exiſtit ullum.

33. Elementa non erunt ſublata, ſed mutata.

34. Chriſtus etiam poſt diem judicij, manebit Rex, & Mediator in æternum.

LIBER

LIBER SECVNDVS THEOLOGIÆ SACRÆ,

Cap. I.

De obſervantia in genere.

Hactenus de priori parte Theologiæ, vel de fide in Deum: ſequitur pars altera, quæ eſt obſervantia erga Deum.

1. Obſervantia eſt, qua Dei voluntas in ipſius gloriam cum ſubjectione præſtatur.

2. *Voluntatem Dei* reſpicit tanquam exemplar, & regulam, ut ex verbis illis Chriſti apparet, quibus & obſervantiam noſtram deſcribit: *fiat voluntas tua, ſicut in cœlis, ſic etiam in terris,* & ſuam etiam explicavit. *Matth.* 26.39. *Non ut ego volo, ſed ut tu,* & verſ. 42. *fiat voluntas tua.* Sic Pſal. 40. 9. *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: & lex tua eſt in viſceribus meis.*

3. Voluntatem autem Dei reſpicit, non qua eſt arcana, & potenter efficiens aut ordinans: ſic enim & cæteræ omnes creaturæ & homines impij, & ipſi etiam Diaboli obedientiali illa

virtute, quæ eſt omnium creaturarum communis, voluntatem Dei perficiunt: ſed reſpicit illam Dei voluntatem, quæ Officium noſtrum nobis præſcribit. *Deut.* 29. 29. *Quæ revelata ſunt, revelata ſunt ut faciamus.*

4. Reſpicit iſtam voluntatem *cum ſubjectione. Rom.* 8. 7. quia applicat voluntatem noſtram ad voluntatem Dei implendam, qua aliquid nobis præcipit pro authoritate ſua. *Rom.* 8. 7. *Legi Dei non ſubjicitur.*

5. Hinc *obedientia* dicitur; quia voluntatem promptam reddit ad Dei iuſſum auditum, aut aliquo modo perceptum, executioni mandandum.

6. Hinc etiam rationem aliquam ſervitutis erga Deum in ſe habet: undè fit ut *obedire Deo, & ipſi ſervire*, unum & idem ſonent. *Luc.* 1. 74. *Rom.* 6. 16. *& ſervire Deo*, idem planè ſit cum *ſervire obedientiæ & juſtitiæ*, ibid. *verſ.* 16, 18, 22. quia facere voluntatem Dei cum ſubjectione, eſt Deo ſervire. *Eph.* 6. 6. 7. *Ut ſervi Chriſti, facientes ex animo quæ vult Deus. Cum benevolentia ſervientes, ut Domino.*

7. Obedientia enim noſtra erga Deum, quamvis reſpectu promptitudinis animi, debeat eſſe filiorum obedientia: reſpectu tamen ſtrictæ obligationis ad ſubjectionem, eſt obedientia ſervorum.

8. Ex iſta ſubjectione ad voluntatem Dei, ſequitur neceſſario conformitas inter voluntatem Dei & noſtram. *Apoc.* 2. 6. *Hoc habes, quod odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Atque adeo, expreſſa quædam imago divinæ illius perfectionis, quam Deus revelavit & propoſuit

posuit nobis imitandam. 2. *Pet.* 1. 4. *Vt efficeremini diuinæ consortes naturæ.* Nam qui *dat operam veritati*, ejus opera fieri dicuntur *secundum Deum.* Ioh. 3. 21.

9. Hinc eadem observantia, quæ *obedientia* vocatur, quia respicit voluntatem Dei cum subjectione, & *justitia* quia subjectionem debitam præstat; appellatur etiam *sanctitas*, quia eandem voluntatem respicit cum conformatione, aut configuratione pura. 1. *Pet.* 1. 14. 15. *Vt filij obedientes,—sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoq; sancti in omni conversatione reddamini.*

10. Spectat observantia *ad gloriam Dei*, 1. *Cor.* 10. 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* quatenus summam ejus authoritatem ac potestatem in præcipiendo agnoscit. 1. *Cor.* 6. 20. *Empti estis pretio: glorificate igitur Deum, &c.* atque etiam qua perfectionem Dei aliqua ex parte refert & repræsentat. 1. *Pet.* 2. 9. *Vt virtutes prædicetis illius*; in quarum rerum manifestatione consistit illa gloria, quæ potest ipsi à nobis tribui.

11. In ista etiam subjectione, quatenus authoritas ac potestas Dei agnoscitur, reverentiæ ratio inest: unde etiam reverentia Iehovæ sæpè in Scripturis pro integra ponitur observantia. *Psal.* 34. 12. *Reverantiam Iehovæ docebo vos.*

12. Dicitur igitur esse erga Deum, & quatenus Deus est ejus norma, & quatenus est ejus objectum, & etiam quatenus est finis.

13. Causa ejus principaliter efficiens per modum principij interni & inhærentis, est mediatè fides, & immediatè gratia sanctificans.

14. Fides enim & aditum nobis para ad Deum,

Heb. 10.22. *Accedamus per certioratam fidem*: & virtutem adeundi. 2. *Cor.* 1.24. *fide ſtatis.* Vndè obſervantia vocatur *obedientia fidei*, *Rom.* 1.5. & fideles appellantur *filij obedientiæ.* 1. *Pet.* 1.14.

15. Fides autem triplici ratione parit obedientiam, 1. quatenus apprehendit Chriſtum, qui fons eſt vitæ, & ſcaturigo omnis poteſtatis benè agendi; & 2. qua recipit, & acquieſcit in ijs argumentis, quę Deus in Scriptura nobis proponit ad obedientiam perſuadendam, promiſſionibus nempe, & comminationibus. 3. qua vim habet omnem gratiam, atque adeo illam qua obedientia præſtatur, impetrandi.

16. Gratia autem ſanctificans eſt illa ipſa vis, qua elevamur ad voluntatem noſtram accommodandam voluntati diuinæ. Vnde etiam obedientia nova includitur ſemper & intelligitur in Scriptura, quando mentio fit *novi hominis & novæ creaturæ. Eph.* 2.4. *Gal.* 6.15.

17. Nihil enim ab homine præſtari poteſt poſt peccatum, ita ut Deo ſit gratum, qua ab ipſo provenit, vel ut opus vitæ ſpiritualis, niſi in Chriſto per fidē & ſanctificationis gratiam præſtetur. *Ioh.* 15.4,5. *Seorſim à me nihil poteſtis facere.*

18. Neque tamen idcirco omittenda ſunt iſta officia homini nondum credenti; quia in ſeſe bona ſunt, impediunt peccati incrementum, & pœnæ etiam peccatorum, imo beneficijs varijs à Deo ſæpe ſolent compenſari, quamvis non vi legis alicujus ſtatutæ, ſed ex abundanti & arcana quadam ejus benignitate.

19. Cauſa adjuvans impellendo eſt 1. Dignitas & majeſtas Dei in ſeſe obſervanda. *Deut.* 32.3.

Tribuite

Tribuite magnitudinem Deo noſtro. Pſal. 29 2. *Cedite Iehovæ gloriam nominis ejus.* II. Benignitas Dei erga nos, cujus ratione debemus ipſi quicquid eſt in nobis. 1. *Cor.* 6. 20. *An ignoratis vos non eſſe veſtri juris? — quæ ſunt Dei.* Rom. 12. *Per miſerationes Dei.* Vnde etiam eſt, quod obſervantia noſtra nihil aliud ſit quàm gratitudo Deo debita, atque eo nomine rectè à Theologis explicatur. III. Authoritas Dei præcipientis, quæ habet in nos univerſale & plenum dominium. *Iac.* 4. 22. *Vnus eſt legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* IV. Æquitas & utilitas rerum præceptarum, quæ & cum ratione maximè conſentiunt. *Rom.* 2. 15. *Una teſtimonium reddente ipſorum conſcientia:* & ſpectant etiam ad perfectionem & beatitudinem noſtram. *Deut.* 32 47. *Eſt vita veſtra.* V. Merces & promiſſiones, quibus obedientia ſuadetur. 2. *Cor.* 7. 1. *Has promiſſiones quum habeamus, ſanctificemus nos, &c.* VI. Miſeria, quæ incurritur à contra facientibus, *Deut.* 28. 16. *Hebr.* 12. 26. *Maledictus eris. Etenim Deus noſter conſumens ignis eſt.*

20. Materia obedientiæ eſt illud ipſum quod à Deo præcipitur, atque adeo ſummatim continetur in Decalogo: alias enim lex Dei non foret perfecta.

21. Lex igitur Dei, quamvis reſpectu fidelium ſit quaſi abrogata, & quoad vim juſtificandi quam habuit in ſtatu integritatis, & quoad vim condemnandi, quam habuit in ſtatu peccati; valet tamen ac viget quoad vim dirigendi, & aliquam etiam vim retinet condemnandi, quia peccatum arguit & condemnat in ipſis fidelibus, quamvis fideles ipſos qui non ſunt ſub lege,

ſed ſuâ gratia, non poſſit planè condemnare.

22. Forma obſervantiæ eſt conformitas noſtra ad Dei voluntatem idcirco patefactam, ut à nobis impleatur. *Mich.* 6.8. *Indicavit tibi, ô homo, quid ſit bonum.*

23. Neque enim arcana Dei voluntas eſt obſervantiæ noſtræ norma, neque omnis revelata; (Ieroboam enim peccavit regnum Iſraelis occupando) quamvis Deum hoc aliquo modo velle indicaverat ipſi propheta, 1. *Reg.* 11.31. cum 2. *Chron.* 13.5.6.7. Sed illa, quæ officium noſtrum præſcribens, ideo revelatur, ut à nobis impleatur.

24. Hæc autem voluntas Dei hac ipſa ratione dicitur *bona perfecta, ac Deo accepta.* Rom. 12.2. *bona*, quia complectitur in ſeſe omnem rationem honeſti: *perfecta*, quia nihil ultra quærendum eſt ad inſtitutionem vitæ: *Deo accepta*, quia obedientia huic voluntati præſtita, à Deo probatur, & coronatur.

25. Hujus voluntatis cognitio eſt ad obedientiam veram neceſſaria. *Prov.* 4 13. *Prehende eruditionem, ne deſiſtito; cuſtodi illam, quia eſt vita,* & verſ. 19. *Via improborum ſimilis eſt caligini, neſciũt in quid impacturi ſunt.* Studium igitur cognoſcendi voluntatem iſtam Dei, ſimul præcipitur nobis cum ipſa obedientia. *Prov.* 5.1.2. *Ad ſapientiam attende, ad intelligentiam inclina aurem.* Cujus etiam eſt pars magna, cùm ſpectat ad praxin, ſicut, ex adverſo, omnis ignoratio eorum, quæ ſcire, & facere tenemur, eſt peccatum. 2. *Theſſ.* 1.8. *Infligens ultionem iis qui Deum neſciunt, neque auſcultant Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

26. Cùm

26. Cum cognitione voluntatis Dei in iſthac vita conjungi debet timor aut metus eandem tranſgrediendi. *Prov.* 8. 12. 13. & 14 16. *Ego ſapientia præſentem habeo reverentiam Iehovæ Sapiens timet, ac recedit à malo.* Præcipuè quidem ratione offenſæ: ſed & ratione iræ, & pœnæ, maximè qua ſeparat à Deo. Neque debet talis metus appellari ſervilis, quando non reſpicit pœnam ſolam.

27. Finis præcipuus eſt Dei gloria: in eum enim tendimus per obſervantiam, in quem recumbimus per fidem: alias obſervantia non emanaret ex fide. Cum etiam fides ſit vita noſtra ſpiritualis, quatenus conjungit nos Deo in Chriſto, neceſſe eſt ut ejuſdem fidei actiones quæ obſervantia continentur, in Deum etiam, id eſt, in ejus gloriam ferantur.

28. Finis minus principalis eſt propria noſtra ſalus & beatitudo, *Rom.* 6. 22. *Servi facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctimoniam: finem autem, vitam æternam.* Heb. 12. 2. *Pro ſibi propoſito gaudio ſuſtinuit crucem*

29. Quamvis enim obedientia illa quę præſtatur ſolummodo pœnæ metu vel exſpectatione mercedis, rectè dicatur mercenaria; ut tamen ſecundario quis excitetur ad officium ſuum faciendum intuitu mercedis aut etiam pœnæ metu, hoc non eſt alienum à filijs Dei, neque filialem eorum obſervantiam ulla ex parte labefactat.

30. Eſt autem obſervantia noſtra non principalis aut meritoria cauſa vitæ æternæ. Nam & jus hujus vitæ, & vitam etiam ipſam recipimus ex gratia, ac dono Dei, propter Chriſtum fide apprehenſum. *Rom.* 6. 23 *Donum Dei eſt vita*

æterna in Christo Iesu Domino nostro. Sed obedientia nostra est causa aliquo modo administrans, adjuvans & promovens versus possessionem hujus vitæ, cujus jus antea habuimus; qua ratione dicitur via, quæ ambulatur ad cœlum. *Ephes.*2.10.

31. Promovet autem vitam nostram, & sua natura; quia gradus est aliquis ipsius vitæ, tendens semper ad perfectionem: atque etiam virtute promissionis Dei, qui vitam æternam promisit ijs qui ambulant in ejus præceptis. *Gal.*6.8. *Qui seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.*

32. Quamvis enim omnis obedientia nostra, dum isthic vivimus, sit imperfecta, & aliqua mixtione peccati contaminata. *Gal.*5.17 *Caro concupiscit adversus spiritum.* In Christo tamen est ita Deo grata, ut præmio maximo coronetur.

33. Promissiones igitur obedientiæ fidelium factæ non sunt legales, sed Evangelicæ, quamvis à quibusdam vocentur mixtæ. *Matth.*5.3.

34. Modus observantiæ est in subjectione vel humilitate latè sumpta, qua creatura submittit sese Deo ad ejus jussa capessenda & exequenda. Cui adjungi semper debet 1. synceritas, qua omnis alienæ intentionis & affectionis permixtio amovetur, ita ut totus homo ad istud officium applicetur. 1.*Thes.*5.23. 1.*Cor.*6.20. & 2. zelus, id est, puræ affectionis intensus gradus. *Gal.* 4.18. *Præclarum est autem vehementer amare,* ζηλοῦσθαι, *in re bona semper.*

35. Primarium subjectum observantiæ, sicut & fidei vivificantis, est voluntas, *Phil.*2.13. *Deus est*

eſt qui efficit in vobis & ipſum velle, & ipſum agere.

36. Quia verò ſynceritas voluntatis approbantis maximè apparet in promptitudine, alacritate vel hilaritate animi, idcirco alacritas iſta maximè pertinet ad eſſentiam ipſam obſervantiæ. 2. *Cor.* 9 7. *Deut.* 28.47. *Hilarem datorem diligit Deus. Propterea quod non ſervieris Deo tuo in lætitia, & in hilaritate cordis.* Ita ut Deo ſæpè grata ſit & accepta, quamvis opus ipſum propoſitum non perficiatur. 2. *Cor.* 8.12. *Etenim ſi prius adſit promptus animus, aliquis acceptus eſt pro eo quod habet.*

37. Et quia zelus voluntatis in amore & odio præcipuè conſiſtit, idcirco etiam ad obſervantiam Deo gratam neceſſario requiritur amor boni, & odium mali. *Pſal* 45.8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti improbitatem.*

38. Effectum & fructus eſt, non tantùm declaratio, ſed etiam confirmatio fidei, ac ſpei. 1. *Tim.* 1.19. *Retinens fidem & bonam conſcientiam: qua expulſa nonnulli naufragium fidei fecerunt.*

39. Adjunctum concomitans eſt conſcientia tranquilla, læta, glorians. *Heb* 13.18.2. *Cor.* 1.12. 1. *Ioh.* 3.19.21. *Confidimus enim nos bonam conſcientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus benè verſari. Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ. Per hoc ſecura reddemus corda noſtra.*

Cap. II.

De Virtute.

1. Observantiæ partes duæ sunt, virtus, & actio virtutis. 2. *Pet.* 1. 5. 1. *Adycite fidei vestræ virtutem, &c. Hæc enim si vobis adsint, & abundent, non inertes vos ne. infructuosos efficient in Domini nostri Iesu Christi agnitione.*

2. Distributio hæc est integri in membra; sua enim natura conjunguntur ista duo, & unam ac eandem constituunt observantiam.

3. Hinc eodem nomine, & virtutes & actiones earum denotantur, & eadem etiam definitione explicantur, quia sunt ejusdem planè naturæ: quemadmodum argumenta logica ejusdem sunt planè nominis & naturæ, sive sola & per se considerentur, sive in axiomatis & syllogismis.

4. *Virtus est habitus, quo voluntas inclinatur ad benè agendum.*

5. *Habitus* dicitur, non prout distinguitur à dispositione, & significat confirmatam & perfectam animi constitutionem: talis enim virtutis gradus vix conceditur hominibus dum hic vivunt: sed generaliter; ut & perfectum, atque etiam imperfectum virtutis gradum, ac animi statum complectatur.

6. Dicitur autem *habitus*, non tantum quia habetur, sed etiam quia facit subjectum cui inest certo modo se habere, id est, determinat facultatem ad bonum, quæ alias non est ita determinata, quo sensu vox ista reperitur. *Heb.* 5. 14. *Qui propter*

propter habitum, ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni ac mali.

7. Eſt in *voluntate*. I. quia voluntas eſt ſubjectum proprium Theologiæ, quatenus eſt proprium principium vitæ, & actionum moralium ac ſpiritualium. II. quia voluntas eſt illa facultas quæ propriè fertur in bonum honeſtum. *Rom.* 7. 19. 21. III. quia virtus eſt habitus προαιρετικὸς ſeu electivus, cujus operatio propria, & immediata, eſt electio voluntaria. IV. quia voluntas imperat cæteris facultatibus, atque adeo maximè convenit ipſi virtus, ut omnes rectè dirigantur. V. quia neque per ſe, neque à ratione eſt ſufficienter determinata ad actiones bonas, atque adeo opus habet ſua propria & interna, diſpoſitione ad rectè agendum. VI. quia cæteræ facultates poſſunt cogi, & per conſequens poſſet quis volens nolens amittere virtutem, ſi in ipſis propriam & fixam ſedem haberet. VII. quia voluntatis actionibus maximè propriè laus debætur, & cæterarum facultatum operationibus, quatenus à voluntate fluunt ac pendent: virtutis autem proprium eſſe, quod ſit laudabilis, non philoſophi tantum, ſed & Apoſtolus docet. *Phil.* 4. 8. *Si qua virtus, ſi qua laus.* VIII. quia neque intellectus poteſt eſſe ſubjectum virtutis: quoniam habitus intellectuales, quamvis ſint perfectiſſimi, non reddunt hominem bonum: neque ſenſitivus aliquis appetitus, quoniam in Angelis, & animis ſeparatis, qui hoc appetitu deſtituuntur, vera virtus reperitur: ſunt tamen ſæpè in facultate ſenſitiva diſpoſitiones nonnullæ, quæ faciunt ut facilius obtemperetur voluntati rectè imperanti, & eo reſpectu imagi-

imaginem quandam virtutis habent.

8. Virtus *inclinare* dicitur *ad bonum*. I. ut distingui possit ab habitu vitioso, quo inclinantur homines ad malum. *Rom.* 7.17.20.23. II. ut distinguatur etiam ab illis perfectionibus mentis, quæ lucem quidem adferunt; qua voluntas dirigere se possit: in benè agendo, sed non inclinant ad rectè agendum.

9. Hinc I. virtutes veræ & solidæ semper faciunt eum bonum, cui insunt: non quod ipsæ dispositiones nobis inhærentes sint gratia primo nos gratos faciens Deo, ut Scholastici loquuntur: illa.n. pertinet ad fidem? sed quia cum viro bono reciprocantur, & ab ipsis bonitas derivatur in actiones nostras.

10. Hinc etiam virtute nemo potest malè uti, tanquam principio actionis; quum tamen qualibet possessione mentis possint ac soleant homines abuti.

11. Virtutes ergo quę dici solent intellectuales, non habent accuratam rationem virtutis.

12 Dicitur deinde virtus inclinare non tantum ad bonum, sed etiam *ad benè agendum*: quia modus actionis præcipuè fluit à virtute.

13. Sicut autem benè agendi, sic etiam virtutis norma est voluntas Dei revelata, quæ sola vim habet regulæ certæ, in ijs quæ pertinent ad vitæ directionem.

14 Lesbia est illa virtutis regula, quam Aristoteles ponit in *judicio virorum prudentum*: neque enim tales prudentes uspiam existunt, quorum judicio semper stari possit: neque, si essent, dignosci vel consuli semper possent ab ijs qui exercent se in virtute.

15. Ratio

15. Ratio quæ dicitur recta, si obsoluta rectitudo spectetur, non alibi nobis est quærenda, quam ubi existit, id est, in scripturis: neque differt à voluntate Dei ad nostrę vitæ directionem revelata. *Psal.* 119. 66. *Præstantiam rationis & scientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.* Si vero imperfectæ illę notitiæ, circa honestum ac turpe, intelligantur, quæ in mente hominis, post lapsum, reperiuntur: cum imperfectæ sint & admodum obscuræ, virtutem accuratè non informare possunt: neque re ipsa differunt quidquam à lege Dei scripta, nisi imperfectione, & obscuritate sola.

16. Virtutum igitur disciplina, non alia potest esse, quam theologia, quę totam Dei volũtatem revelatam tradit, ad rationem, voluntatem & vitam nostram dirigendam.

17. Qui contra sentiunt, rationes nullas adferunt, quæ hominem intelligentem & integrum possint commovere. *Theologiæ* (inquiunt) *finis est bonum gratiæ: finis autem ethicæ est bonũ morale, seu civile.* Quasi morale nullum aut civile bonum, sit ulla ratione bonũ gratię & spirituale. Quasi proprium bonum, beatitudo, aut finis hominis esset multiplex, quasive hominis virtus esset, quæ non ducit hominem ad suum finem, & summum bonum. *Theologiam versari* (dicunt) *circa interiorem hominis affectum: ethicam vero circa mores externos.* Quasi verò, vel ethica (quam ipsimet definiunt, *prudentiam regendi voluntatem & appetitum*) non spectaret ad internum affectum: vel theologia non æquè externam atque internam obedientiam, doceret. *Ethicam concludi* (volunt) *terminis hujus vitæ*

vitæ præsentis: theologiam vero ad futuram extendi. Quasi vita beata non esset una; aut unius, & ejusdem vitæ, una esset regula, qua præsens est, & alia, qua futura. *Subjectum* (dicunt) *ethicæ est vir probus, bonus, ac honestus: theologiæ autem subjectum est vir pius ac religiosus.* Cum tamen Apostolus expressè doceat, theologiam nos erudire non tantum *piè* ac *religiosè*, sed etiam *temperanter* & *justè*, id est, *probè* ac *honestè* vivere. *Tit.* 2. 12. Istis adde, quod contrariæ sententiæ accerrimi defensores agnoscunt, & contendunt, *virtutes morales esse imaginem Dei in homine, atque adeo gradum virtutis theologicæ: neque aliter se habere moralem virtutem ad spiritualem, quam se habet tepor ad fervorem, & lux matutina ad meridianam.* Sicut igitur tepor ac fervor, lux matutina ac meridiana, in eadem arte docentur: sic etiam virtus moralis ac spiritualis.

18. Non pium igitur minus, quam prudens fuit illud maximi artium Magistri P. R. judicium & votum: *hujus philosophiæ doctrinam, si mihi fuerit optandum, quod assequi velim, malim pueris ex Evangelio per eruditum aliquem, probatisq; moribus theologum, quam ex Aristotele per philosophum tradi. Puer impietates multas ex Aristotele discet, quas verendum ne nimis sero dediscat: beatitudinis principium ex homine oriri: beatitudinis finem in homine terminari: virtutes omnes hominis facultate penitus contineri: eas ex hominis & natura, & arte, & industria comparari: Deum ad hæc opera quamvis magna et divina, tamen vel adjutorem, vel artificem nusquam adhiberi: divinam providentiam ex hoc humanæ vitæ theatro removeri:*

veri: de justitia divina verbum nullum fieri: beatitudinē hominis in hac caduca vita constitui, &c.

19. Idem autem habitus qui dicitur virtus qua inclinat hoc modo ad bonum, dicitur etiam *donum*, quatenus à Deo donatur, & à Spiritu Sancto inspiratur; & *gratia*, quatenus ex speciali Dei favore gratis nobis confertur: respectu etiam perfectionis, quam habet una cū utilitate & suavitate quæ ex illo percipitur, dicitur *fructus*, & ratione spei quam adfert vitæ æternæ, *beatitudo* à quibusdam appellatur.

20. Frustra ergo semetipsos fatigant, qui septem spiritus *dona* statuunt ex *Esa.* 11.2. *Super quo quiescet spiritus Iehovæ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consily & potentiæ, spiritus scientiæ & reverentia Iehovæ.* & eadem sollicitè distinguunt à virtutibus, ac singulorum proportionem ad aliquam virtutem satagunt demonstrare; Neque enim septem tantum sunt spiritus dona, quamvis non plura (imo non nisi sex) ibi numerentur: quia præcipua tantum & maximè regia dona ratione subjecti ibi commemorantur (agitur enim de Christo) cæteris per Synecd. sub intellectis; neque illa ipsa quorum ibi fit mentio, reipsa distinguuntur à virtutibus, sed metonymicè omnes virtutes designant per suas causas.

21. Quamvis etiam χαρίσματα illa quorum fit mentio. 1. *Cor.* 12 4 sint reipsa distincta à virtutibus; *gratia* tamen quum inhærentem nobis perfectionem notat, vel vnam aliquam virtutem designat, vel omnes conjunctim in sua quasi radice.

22. Frustra etiam duodenarius numerus fructuum

ctuum S. Sancti ſtatuitur ex *Gal.* 5. 22. *fructus Spiritus eſt Charitas, gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia*; una cum additione quæm vulgata verſione habetur: & cum virtutibus comparatur, ſicut ante dictum eſt de donis. Neque enim illi ſoli ſunt fructus S. Sancti qui ibi exprimuntur, ex occaſione præſenti, & ipſarum virtutum nominibus illo in loco explicantur: quia virtutes ſunt fructus, quales quæruntur, & exſpectantur ab Agricola, & congruunt ſeminis naturæ quod ille ſevit, atq; etiam utilitatem & ſuavitatem ſecum adferunt; quum percipiuntur, quæ omnia virtutibus & earum actionibus conveniunt aliquo modo reſpectu Dei: ſed utilitas maximè reſpectu noſtri. Vndè etiam fit, quod ſanctimonia cum omnibus virtutibus, non tantum dicatur fructus Spiritus Sancti, ſed etiam noſter. *Rom.* 6. 22. utilitas autem hæc una cum ſuavitate oſtenditur in illo loco ad Gal. ex eo quod gaudium & pax virtutibus annumerantur tanquam fructuum fructus.

23. Eodem etiam judicio utuntur illi, qui octo beatitudines inveniſſe ſe putant in concione Chriſti. *Matth.* 5. beatitudo enim eſt unica, ſed quum varia habeat ſigna, virtutes nempe ſolidas omnes, una cum operationibus earum, proponit Dominus ſingulares quaſdã virtutes, aut virtutum operationes, quæ maximè congruunt ipſius regno, & alienæ admodum ſunt à ſenſu humano, eáſq; partim ſuadet beatitudinis promiſſione, & partim etiam beatitudinem, aut beatos homines deſcribit, ex eorum ſtudio & poſſeſſione.

24. Vir-

24. Virtutis affectiones cõmunes ſunt quatuor illæ, quę ſolent appellari virtutes cardinales.

25. Non enim conſtituunt quatuor genera virtutum, ut plerique hactenus exiſtimarunt, qui & virtuti & ipſi rationi vim faciunt manifeſtam, dum ſingulares omnes virtutes ad iſta capita coactè referre volant: ſed quatuor ſunt cõditiones quæ neceſſario requiruntur in illa diſpoſitione quæ nomen virtutis meretur.

26. Harum prima dicitur *juſtitia*, ſenſu illo generali, qua denotat inclinationem ad rectè agendum, ſuum cuique tribuendo, & virtutis rectitudo poteſt appellari. In illa enim deſcriptione virtutis, quam Apoſtolus congerie quadã verborum proponit. *Phil* 4 8. *Quæcunque ſunt vera, quæcunque ſunt veneranda, quæcunq; juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunq; boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus eſt*, quamvis *veritas, juſtitia, puritas* unam & eandem virtutis naturam deſignent; *juſtitia* tamen maximè intimè eſſentiam ejus notat.

27. Secunda eſt *Prudentia*, qua omnes rationis vires adhibentur ad illud, quod rectum eſt, inveniendum, & omnia ejus media rectè dirigenda: eſt ergo ſola dijudicatio eorum, quæ pertinent ad rectè agendum: & continent in ſe intellectus, ſcientiæ & ſapientiæ vim: ita ut omnes illæ mentis perfectiones, quæ vocari ſolent *virtutes intellectuales*, hac ſola ratione pertineant ad virtutem, quatenus earum vi dirigitur voluntas in benè agendo.

28. Appellatur in ſcripturis ſpiritualis intelligentia, & ſapientia. *Col.* 1. 9. ubi *intelligentia* notare videtur generalem perſpicientiam boni & mali,

mali,& *ſapientia* eandem perſpectionem, prout accommodatur ad res ſingulares cum ſuis omnibus crircumſtantijs,quibus veſtiuntur, conſideratas; ita ut intelligentia conſiderans quaſi dicat, *licet*: ſapientia, *expedit*: ſecundum illam diſtinctionem, quæ habetur. 1.*Cor.*6.12.& 10. 23. Huic opponitur *ſtultitia*. Eph.5.17. *Propterea nè eſtote deſipientes,ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini*. Et *ignorantia*. Eph.4. 18. *Alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ eſt in ipſis*. Vocatur etiam *judicium*. 1.Cor 2.15. Et *diſcretio*. *Phil* 1.10. cui opponitur *vanitas mentis*. Eph. 4.17.& *mens omnis judicij expers*. Rom. 1.28.

29. Exerceri debet iſta Prudentia 1. cum circumſpectione, cautione & diligentia debita, quæ in Scriptura *vigilantiæ* nomine nobis ſæpè commendantur. *Marc.* 13.33. *Cavete,vigilate,& orate*. Cui opponitur ſomnolenta illa dormitatio,quæ fatuas virgines dicitur occupaſſe. *Mat.* 25.5.13. 2. cum electione, ex proportione debita: ita ut officia majora præferantur minoribus, & in ſingulis conveniens menſura ſervetur quo ad affectuum & virium intentionem. *Mat.* 6.33.1.*Cor.*12.31.& 14.1. *Quærite primo regnum Dei,& juſtitiam ejus. Affectate dona potiora. Magis tamen ac prophetetis.*

30. Tertia generalis affectio virtutis eſt *Fortitudo*, quæ eſt firma perſiſtentia in rectè agendo,omnes illas difficultates ferendo & ſuperando,quæ vel ex diuturnitate actus qui requiritur, vel ex impedimentis alijs quibuſcunque emergere poſſunt. Hinc eſt quod Hebraicè virtus deſignatur nomine *Chajil*, etiam quum tribuitur fœmi-

fœminis. *Prov.* 31. 10. Et *fortis corroboratio* requiritur in omni virtute. *Eph.* 3. 16. Continet ergo 1. confidentiam illam quæ laudatur. *Act.* 4. 29. cui opponitur metus. *Phil.* 1. 14. *Vt audeant sine metu sermonem loqui.* 2. perseverantiam & constantiam. *Apoc.* 2. 26. *Si quis vicerit, & observaverit ad finem usque opera mea.* Cui opponitur animi fractio & fatigatio benè agendi. 2. *Thess.* 3. 13. *Gal* 6. 9. *Heb.* 12. 3. 12 *Ne segnes simus. Ne segnescite. Ne animis fracti fatiscatis. Manus remissas, & genua soluta surrigite.* 3. Continet tolerantiam vel patientiam. *Iac.* 5 7. 8. *Heb.* 10. 36. *Patiente animo estote, & stabilite corda vestra. Nam tolerantia vobis est opus.*

31. Quarta est *Temperantia*, qua sedantur ac cohibentur cupiditates illæ omnes, quæ divertunt homines à rectè agendo: atque adeo facit virtutem in contaminatam. 2. *Tim.* 2, 4. *Nemo qui militat implicat sese.* 1. Pet. 13. *Succincti lumbis mentis vestræ, sobriy, &c.* Appellatur sæpè in script: *sobrietas*, quum vos illa generaliori sensu adhibetur, ut 1. *Pet.* 13. & 5. 8, & *puritas vel mundities cordis.* 1. *Tim.* 1. 5. 1. *Pet.* 2. 22. atque etiam *sinceritas*, quatenus omnis mixturæ pollutionem excludit. Hæc vis vocis ostenditur, 2. *Cor.* 1. 12. *Cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali.*

32. Ex quatuor istis conditionibus virtutis, prima virtutem ordinat & quasi constituit: secunda dirigit & liberam præstat ab errore: tertia confirmat adversus incommoda: quarta puram facit, & munit adversus omnia oblectamenta, quæ seducunt.

33. Istæ omnes affectiones simul & ferè nominatim

nuinatim præscribi videntur atque explicari. 2. *Pet.* 1. 4. & 6 *Adjicite fidei virtutem: id est, justitiam*, aut rectitudinem universalem: *virtuti cognitionem. i prudentiam*, vias vestras omnes rectè dirigentem: *prudentiæ cõtinentiam*, i. temperantiam illam, qua continere vosmetipsos possitis ab omnibus voluptatum blanditijs, quibus inescari solent homines, & abduci à via recta: *continentiæ tolerantiam*. 1. fortitudinem, qua justitiæ causa aspera quæ libet ferre possitis. Quæ autem ibidem sequuntur de pietate & charitate, continent virtutis distributionem, suo loco proponendam.

34. Quoniam tamen istarum affectionum singulæ in quibusdam virtutibus magis apparent quam in alijs, idcirco ab ijs speciales quædam virtutes & nomen accipiunt, & definitionem: quia enim accurata rectitudo maximè apparet in numero, mensura, pondere, valore eorum quæ mutuo ab hominibus accipiuntur & redduntur, idcirco *justitia* singulari quadam ratione in istiusmodi rebus solet collocari. Et quia incommoda illa habentur maximè terribilia, quæ in bello, & similibus periculis accidere solent, idcirco *fortitudinis* nomen ad talia solet restringi. Quia sensuum voluptates maximè solent titillare, idcirco in illis ferè solis ponitur *temperantia*; quamvis tria ista unà cum prudentia generali sensu accepta sint inter se colligata atque implicata: sicut ille etiam è Philosophis observavit, qui primus ferè proposuit ista quatuor virtutum capita.

35. Quod à multis statuitur forma ipsa virtutis in mediocritate quadam inter duo vitia extrema, id nulla ratione potest defendi. 1. Quia privatio

privatio non eſt forma habitus: mediocritas autem nihil aliud quam privatio defectus & exceſſus. 2. Quia forma virtutis quærenda eſt in conformitate quam habet ad ſuam regulam. Hæc autem conformitas neque ſolum, neque præcipuè, neque aliquando omnino conſiſtit in mediocritate. 3. Quia virtus in ſua ratione formali non poteſt nimis intendi, atque adeo non admittit exceſſum, niſi vel in materiali illo quod habet commune cum vitijs, vel in circumſtantijs operationum, ut quum quædam earum exercentur quando non debent, aut non exercentur quando debent.

36. Medium illud quòd in omnibus virtutibus reperitur, non aliud eſt, quam conformitas ad regulam aut menſuram earum: per hanc enim certos modos habent, ac limites, quibus earum natura quaſi continetur, ita ut neque in dextram neque in ſiniſtram declinet: ſed hac ratione mediocritas non magis eſt forma virtutum, quam cæterarum omnium rerum, quæ certis formis aut differentijs ab alijs rebus diſtinguntur.

37. Illæ autem virtutes quæ conſiſtunt in medio inter duos habitus vitioſos, non idcirco ſunt virtutes quia in medio conſiſtunt: ſed quia eo modo in medio conſiſtunt, quo earum norma præſcribit: in quo modo mediocritas, vel participationis, vel abnegationis, rei, vel rationis, locum habet materiæ potius ſubjectæ, quàm formæ perficientis.

38. In quibuſdam autem virtutibus manifeſtum eſt quod talis mediocritas nullum habet locum: amor enim Dei non eo nomine laudatur, quod

PALACE LIBRARY

quod nõ sit nimius, sed quod sit maximè ardens. Modus hic est sine modo.

39. Similis est ratio omnium virtutum, quoad propriam & specificam earum naturam. Qui largitur cum non debet, non est nimis liberalis: sed nimius est in largitione, ita ut illa in parte, desinat esse liberalis, & in eodem actu potest æquè deficere, non agendo quod debet.

40. Monet quidem sapiens. *Eccles.7.16. Ne simus justi nimium*, sed hoc neutiquam intelligitur de ipsa justitia in sua natura (sequitur enim *vers.20. Quod nemo homo sit justus in terra, qui faciat bonum & non peccet*) sed quatenus est in opinione, qua multi sibimet plus nimio vendicant ac tribui volunt justitiæ: in veris autem virtutibus eo semper niti debemus, ut magis magisque abundemus, sicut in S. Scripturis sæpe monemur.

41. Gradus in virtute unius & ejusdem speciei, si in sese considerentur quoad extensionem, nulli dantur. Non est enim virtus quæ dispositione saltem non extendit se ad omnia illa, quæ objecti sui ambitu continentur; Temperans non est qui in una cupiditate sibi moderatur, & alijs indulget: sed respectu subjecti, virtus aliqua est intentior in uno, quam est in alio, vel propter aptiorem naturæ dispositionem, vel propter majorem assuetudinẽ, vel propter perfectius judicij rationis, vel denique propter majus donum Dei.

42. Quod dici solet, assiduitate & exercitio virtutes augeri, id in solidis virtutibus, à gratia sanctificante provenientibus, sic intelligi debet, ut assidua exercitatio sit causa disponens, & virtute promissionis divinæ aliquo modo procurans,

rans, non principaliter, aut propriè efficiens talem virtutis accretionem.

43. Minuntur autem virtutes ab actibus oppositis vitiosis, & ratione dispositionis quam adferunt, & ratione meriti quod ipsis inest.

44. Quo intensiores, frequentiores, & magis continui sunt actus virtutum, aut vitiorum contrariorum, eo magis valent vel ad augmentum, vel ad diminutionem virtutum.

45. Hinc illa distinctio virtutis in humanam & heroicam in purgatorias, purgatas & exemplares: & eorum, qui virtute præditi sunt, *in infantes & viros adultos Heb.* 5. 13 14.

46. Communio virtutum est, in earum inter sese, & connexione, & subordinatione.

47. Connexio enim est, qua virtutes omnes, quæ sunt simpliciter necessariæ, inter se cohærent. 1. quoad principium à quo fluunt: *Omnis enim donatio bona, & omne integrum donum descendit à Patre luminum per spiritum gratiæ. Iac.* 1. 17. 1. *Cor* 12 11. 2. quoad finem & intentionem, quæ est in eodem genere, omnes enim virtutes ita Deum spectant, ut si ejus authoritas violetur in una, virtualiter simul in omnibus violetur. *Iac.* 2. 10. 3. quoad auxiliarem illam operam, quam mutuo sibi invicem præstant: una enim virtus disponit ad actum alterius; & eandem etiam, simul cum actu, tuetur atque confirmat.

48. Virtutes tamen non sunt adeo essentialiter & intrinsecè connexæ, ut quælibet una sit de essentia alterius, aut necessario pendeat ab illa ut à causa procreante.

49. Subordinatio virtutum est, qua actus

unius

unius virtutis ordinatur ad actum & objectum alterius; vel sicut medium ad finem, quod est superioris in inferiorum imperium, ut religio imperat justitiæ, temperantiæ & similibus, quum earum actus ad cultum & gloriam Dei promovendam refert; vel sicut causa ad effectum, quod est cujuslibet ad quamlibet: sic enim ipsa religio ordinatur ad justitiam procreandam & conservandam.

50. Quotiescunque actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, hujusmodi ordinatio quamvis quoad directionem, à prudentia pendeat, quoad efficacem tamen vim, & authoritatem, pendet à virtute superiori.

Cap. III.

De Bonis Operibus.

1. Actio virtutis est operatio fluens à dispositione virtutis. *Matth.* 12. 35. *Bonus homo ex bono thesauro cordis profert bona.*

2. Eodem sensu appellatur actio vel opus bonum, rectum, laudabile, & Deo placens.

3. Ad talem actionem requiritur, primo efficiens vel principium bonum, id est, voluntas benè disposita, & ex vera virtute agens; fructus enim boni non nisi ex arbore bona nascuntur, *Matth.* 12. 33. Secundo, materia vel objectum bonum, id est, aliquid à Deo præceptum. *Matth.* 15. 6. *Frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum.* Tertio, finis bonus, id est, gloria Dei, & ea, quæ tendunt ad ejus gloriam. 1. *Cor.* 10. 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.*

4. Finis

4. Finis autem & objectum tam in bonis, quam in malis actionibus, sæpe coincidunt, præsertim in voluntatis intentione & electione, ubi finis ipse est proprium objectum. Actus enim isti vel in fine ipso, vt in materia vel objecto versatur, ut actus appetendi, volendi, optandi, amandi, fruendi; vel in ijs quæ tendunt ad finem, quà talia sunt, ita ut bonitas vel deformitas ex fine propriè derivetur.

5. Quamvis enim intentio illa bona, vel benè agendi, quæ generalis est & confusa, particularem actionem non constituat bonam, si cæteræ conditiones desint; neque specialis intentio boni sufficit eo, si media sint mala: ut si quis intendens aliquid in pauperes aut pios usus erogare, in illum finem raperet sibi aliena bona: mala tamen intentio semper constituit actionem malam, & cum alijs conditionibus intentio bona plurimum facit ad actionem bonam constituendam.

6. Requiritur autem ad opus verè bonum, ut virtualiter saltem referatur in Deum, tanquam in ultimum finem.

7. Forma etiam quarto in loco, vel modus bonus requiritur, qui ponitur in actionis convenientia ad voluntatem Dei revelatam.

8 Voluntas porro ista Dei, actionem hominis informat, quatenus à ratione apprehenditur. Hinc ipsa conscientia hominis est moralium actionum subordinata norma; ita vt omnis actio rectæ conscientiæ congruere debeat, & conscientia errans vel dubia ante sit deponenda, quam contra facere liceat; quamvis levior conscientiæ scrupulus, aut hæsitatio, actionem

alias probatam non debet ulla modo retardare.

9. Hæc autem forma vel modus, ut sit bonus, circumstantias omnes postulat bonas. Actio enim singularis circumstantijs suis semper est vestita, ex quibus bonitas aut pravitas ejus pendet non minima ex parte.

10. Istæ vero circumstantiæ ad actum voluntatis relatæ, transeunt in objecti naturam. Voluntas enim dum vult opus aliquod, vult totum illud quod est in eo, atque adeo omnes ejus circumstantias notas, vel expressè, vel implicitè; & mutata circumstantia nota, mutatur sæpe actus voluntatis.

11. Sed eædem circumstantiæ relatæ ad actum alterius cujuscunque facultatis, præterquam voluntatis, sunt adjuncta tantum.

12. Sic finis ipse, quamvis non respectu voluntatis, respectu tamen facultatum & actuum aliorum, circumstantijs rectè annumeratur.

13. Ratione harum circumstantiarum fit, ut quamvis multi actus in genere vel sua natura sint indifferentes, nullus tamen singularis actus moralis & deliberatus existat, quin sit vel bonus, vel malus.

14. Actus in suo genere indifferens est, quando ejus objectum nihil includit quod pertinet ad voluntatem Dei, vel præcipientem, vel prohibentem. Hujusmodi tamen actus in exercitio singulariter considerati, si modo sint propriè humani, ex deliberata ratione procedentes, vel ad finem debitum diriguntur, & conformitatem habent ad voluntatem Dei, atque adeo

sunt

sunt boni: vel non rectè diriguntur, sed dissentiunt à voluntate Dei, atque illa ratione sunt mali.

15. Præter actus bonos, malos ac indifferentes, observant quidam actus nonnullos esse, *qui sonant in malum*, id est, absolutè considerati inordinationem aliquam important, sed circumstantijs quibusdam accedentibus efficiuntur aliquando boni, ut *hominem occidere*, & similia. Sed & isti actus referri debent ad indifferentes; videntur enim tantum aliquid mali in se habere: sicut etiam liberare hominem à mortis periculo, videtur aliquid boni in se habere, qua specie etiam falluntur multi non mali: vera autem bonitas, aut pravitas harum actionum pendet ab objecto, & alijs circumstantijs: innocentem occidere, aut nocentem liberare malum est: nocentem justè occidere, aut innocentem justa ratione liberare, bonum.

16. Causarum & conditionum harum omnium bonitas collectiuè requiritur ad actionem absolutè bonam, sed unius alicujus defectus efficit actionem catenus malam

17. Hinc bona nostra opera, dum isthic vivimus, sunt imperfecta & impura in sese.

18 Hinc non acceptantur coram Deo nisi in Christo.

19. Hinc in operibus renatorum meriti illa ratio, qua præmij aliquid à justitia impetratur, non habetur.

20. Merces tamen illa quæ non ex debito, sed ex gratia imputatur. *Rom.* 4. 4. imperfectis istis conatibus nonnunquam assignatur.

Matth. 5.12. quia quamvis beatitudo omnis noſtra ſit merum donum Dei, *Rom.* 6.23. fructus tamen gratiæ in nobis exuberantes, in rationes illas referuntur, quibus doni illius certitudo nobis comparatur. *Phil.* 4. 17. *Requiro fructum illum exuberantem, qui in veſtras rationes referatur.*

21. Actio virtutis eſt vel interna, vel externa. 2 *Cor.* 8.10.11. *Velle, facere, perficere.*

22. Actio interna propriè eſt ipſius voluntatis.

23. Actio externa eſt alterius facultatis à voluntate diſtinctæ; ſive ſit intellectus, ſive appetitus ſenſitivi, quæ vulgo dicitur interna; ſive potentiæ executivæ, quæ uſitatè vocatur externa.

24. Interna actio voluntatis bonitatem vel pravitatem habet tam intrinſecam, ut non poſſit idem actus manere in genere naturæ, quin idem etiam ſit in genere moris; ſed actus exterior poteſt idem in genere naturæ manere, & tamen alius fieri in genere moris, ex bono nempè malus, vel ex malo bonus; Vt ſi quis incipiens ambulare ex honeſto propoſito, perſiſtat in itinere ob malum finem.

25. Actus interni & externi ab eo imperati, una & eadem eſt bonitas aut pravitas; idem enim eſt actus in genere moris. Nam *velle Deum colere, & ex illa voluntate Deum colere*, non ſunt duo actus obedientiæ, ſed duo gradus unius & ejuſdem actus, ita ut bonitas unius perficiat in altero. 2. *Cor.* 8.11. *Illud ipſum facere abſolvite: ut ſicut adfuit promptum illud velle, ita etiam adſit ipſum perficere.*

26. Actus externus ſine interno non eſt propriè

priè bonus aut malus; sed internus est bonus aut malus sine externo, quia bonitas alicujus actionis pendet primo & præcipuè ex voluntate, quæ Deo sæpè est accepta, quamvis opus ipsum externum absit. 2. *Cor.* 8. 13. *Si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet.*

27. Sicut autem virtus sua natura tendit in actum (est enim dispositio ad benè agẽdum, neque est otiosa) sic etiam actus ejus internus tendit ad externum, eumque producit, atque in eo ad finem suum perducitur. *Iac.* 2. 22. *Vides fidem administrasse operum ipsius, & ex operibus fidem ad finem perductam fuisse.*

28. Actus tamen externus interno conjunctus, non propriè & per se auget bonitatem aut pravitatem ejus quoad intensionem solam; per accidens autem auget, quatenus continuat vel auget ipsius voluntatis actum.

29 Bonitas & pravitas alicujus actus, quæ pendet ex objecto & circumstantijs actus, prius ratione naturæ suæ est in actu externo, quam est in interno, quamvis ordine existentiæ sit prius in interno. Ideirco enim bonum est, *velle suum cuique tribuere*, quia ipsum *tribuere* bonum est; bonitas tamen prius existit in actu volendi quam in actu tribuendi; Sic *velle furari* est malum, quia *furari* est malum. Ratio est, quia actus exterior est causa exterioris ordine intentionis, & actus interior est causa exterioris ordine executionis.

30 Illa autem bonitas aut pravitas, quæ pendet ex fine, prius inest interiori actui & postea exteriori, quia intentio ipsa finis est internus actus voluntatis; sic *mundum deserere propter ju-*

ſtitiam eſt bonũ, quia *velle iuſtitiam* eſt bonum, & *dare Eleemoſyna ob inanem gloriam* eſt malum, quia malum eſt *inanem gloriam velle*.

31. Obſeruantia apparens in externis actionibus ſine internis eſt hypocriſis, atque adeo non eſt revera obſervantia, ſed quędam ejus umbra.

32. Obſervantia tamen interna ſine externa, quamvis ſit incompleta, eſt tamen vera; & ſi efficax voluntas adſit, ita ut opportunitas vel facultas exequendi tantum deſit, non minus eſt Deo grata; quam ſi externum actum haberet coniunctum. 2. *Cor* 8. 12.

33 Ex eventu igitur non eſt iudicium ferendũ de actionibus bonis aut malis. Quamvis enim æquum ſit, & Deus ipſe voluerit, vt in mitiorem partem inclinet, qui judex eſt criminum inter homines, ſi modo eventus ipſe faveat. *Exod* 21. 21. & deinceps; coram Dei tamen tribunali æquè grave eſt peccatum internum, cæteris paribus cum neque eventus, neque externus actus ſequitur, ac ſi ſequeretur uterque. *Matth.* 5. 28. *Quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, iam adulteravit eam in corde ſuo.*

34. Obedientia tamen interna non eſt per ſe ſufficiens: quia totus homo debet ſubjicere ſeſe Deo: corpora noſtra ſunt Deo offerenda *Rom.* 12. 1. in corporibus noſtris eſt glorificandus. 1. *Cor* 6. 20. neque eſt illa vera obedientia interna, quæ non inclinat ad externam.

35. Opera quæ vocantur ſupererogationis quibus Pontificij jactant quoſdam ex ſuis, præſtantiora opera præſtare, quam quæ in lege

Dei

Dei præcipiuntur, ex obſeruatione conſiliorum quorundam, quæ no imperare, ſed ſuadere tantum ſingularem perfectionem fingunt, ſunt ocioſorum hominum delitamenta, qui neque legem neque euangelium norunt.

36. Optimis fidelium operibus imperfectio illa adhæret, cui opus eſt remiſſione: ipſa tamen opera non ſunt peccata.

CAP. VIII.

De Religione.

1. OBſeruantia eſt, vel Religio, vel Iuſtitia.

2 Diſtributio iſta, quoad rem ipſam, conſtituitur a Deo in partitione Decalogi, ſicut explicatur à Chriſto *Matth.* 22. 37. alijs etiam verbis ejuſdem diſtributionis ſenſus exprimitur. *Rom.* 1. 18. vbi omnis inobedientia hominis diſtribuitur in *impietatem* & *injuſtitiam*, quod conſiſtere non poſſet, niſi omnis etiam obedientia in pietate, & juſtitia verſaretur, quod magis etiam diſertè explicatur. *Tit.* 2. 12. ubi ex tribus illis propoſitis, *juſtitia* & *pietas* partes conſtituunt obedientiæ novæ, & *temperantia* modum, aut medium notat eandem præſtandi, negatis ſcilicet cupiditatibus mundanis.

3. Eodem etiam redit diſtributio illa vitæ Chriſtianæ, quæ, frequentius adhibetur, in *ſanctitatem*, & *juſtitiam*. *Luc.* 1. 75. *Eph.* 4. 24. & eadem eſt mens illius diſtributionis, quæ eſt *Charitatis in Deum, & Charitatis in proximum.*

4. Nos tamen religionis, & juſtitiæ voces adhibemus, quia Religio vox eſt maximè generalis,

continens omnia illa officia, quæ Deo debentur, & maximè en phatica, quia propriam, & distinctam illam rationem exprimit, qua Deo debentur, *Act.* 26.5 *Iac.* 1.26.27. & sępius in *Epist. ad Heb.*

5. *Religio est observantia, qua illa præstamus, quæ directè ad Deo honorem deferendum spectant. Ro.* 1.21. *Quum Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt.*

6 Non malè igitur à religando dicitur à quibusdam nomen istud derivari, quia in isthac observantiæ parte, directè, & immediatè tendimus in Deum, ut ipsi possimus adhærere, & quasi religari.

7. Primum locum habet in Observantia. 1. quia obedientia ęrga Deum necessario incipere debet ab ipso Deo, & ab affectibus, & actibus illis, quibus in ipsum ferimur. 2. *Cor.* 8.5. *Semetipsos dediderunt primò Domino, deinde & nobis per Dei voluntacem.* 2 quia justitia erga homines, vi ac virtute Religionis debet præstari, ut sit vera observantia erga Deum, non esset enim observantia erga Deum, nisi Deo deferret honorem: neque Deo honorem deferre posset nisi à Religioso affectu proficisceretur. 1. *Corinth.* 10. 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* Quo spectat etiam illa phrasis, *in Domino, in nomine Domini. Col.* 3.17. *Et tanquam Domino, non hominibus Ibid. vers.* 23.3. Quia Religio imperium habet in actus sustitiæ, & est eorum causa non tantum virtualiter efficiens, sed etiam dirigens, & ordinans, *Iac.* 1.26. *Siquis videtur religiosus esse inter vos, non frænans linguam suam, sed suum ipsius cor seducens, hujus vanus est cultus religiosus.*

4 Quia

4. Quia Religio eſt aliquo modo finis omnium actuum iuſtitię, quatenus diſponunt ad actum Religionis, tanquam majus quid.

8. Hinc ipſa iuſtitia nonnunquam Religio vocatur in Scripturis. *Ibid. verſ.* 27. *Religioſus autem cultus, mundus, & incontaminatus apud Deum, & Patrem, hic eſt, inviſere orphanos, &c.* Non ſolum, quia ſignum eſt, quod non ſeparatur à vera Religione, ſed etiam, quia Religionis imperio debet exerceri, & ab illa ſuum ortum habere.

9. Hinc Religionis officia ſunt prima, ac præcipua. *Matth* 6 33. & 22.37. *Primo quærite regnum Dei. Primum & magnum mandatum.*

10. Prima ſunt ordine, ita ut primo in loco debeant curari. *Ibid.*

11. Huc pertinet phraſis illa, quæ ubique occurrit de Pſalmis de quærendo Domino *primo mane.*

12. Præcipua etiam ſunt dignitate, atq; adeo præcipuè curanda. *Mat.* 10.37. *Qui amat patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus.*

13. Hinc magis etiam viribus intentis, & incitatis debent Religionis officia præſtari, quam juſtitiæ, ad illa enim, non ad iſta, propriè pertinet illa regula, *toto corde, tota anima, tota cogitatione diligere. Mat.* 22. 37.

14. Quod tamen non ita debet intelligi, quaſi omnes vires non etiam requirerentur in officijs ſecundæ tabulæ præſtandis & implendis, ſed 1. quia principaliter hoc poſtulatur in officio Religionis. 2. Quia in cęteris non requiritur ratione proximi, in quę immediatè feruntur, ſed ratione Dei, & virtute Religionis. 3. Quia

poteſt quis cum nimia intenſione proximum ſuum diligere, quoad materialem ipſum actum diligendi, quamvis hoc non poſſit fieri ſub ratione virtutis aut charitatis, ſed Deum nullo modo poſſumus cum nimia intenſione amare.

15. Hinc, ſi pietatis, & juſtitiæ officia quædam non poſſint ſimul præſtari, æqua & prudenti comparatione adhibita, pietatis officia ſunt præferenda. *Matth.* 12. 46, 47, 48. *Luc.* 2. 49. *Ecce mater mea, & fratres mei. Quid eſt quod quærebatis me? an neſciebatis oportere me in his eſſe quæ Patris mei ſunt?*

16. Æqua autem eſt comparatio, cum juſta proportio obſervatur maximi ad maximum, & minoris ad minus.

17. Quia vero Deus magis colitur interno affectu, quam opere externo, homines autem magis indigent opere externo; hinc externum religionis opus aliquando poteſt omitti, ut neceſſarium opus juſtitiæ, & miſericordiæ poſſit impleri. *Matth.* 12. *verſ.* 1. 3. 4. 7. 10. 12. *Miſericordiam volo & non ſacrificium, &c.*

18. Neque tamen Religio interim hoc pacto violatur, quia ipſa Religio jubet ſuum externum opus omittere, ut magis neceſſarium præſtetur.

19. Religionis immediatum objectum, cui defertur, eſt Deus: idque tam adæquatum, ut nec religionis officium aliquod, ad aliud objectum ſine graviſſima Dei injuria poſſit referri; huc ſpectat titulus ille Dei, quo dicitur *zelotes*, vel *zelotypus*.

20. Ratio autem, ſub qua religio Deum reſpicit,

ſpicit, eſt divina illa excellentia, quæ in ſufficientia, & efficientia eius elucet: non eſt unum aliquod attributum Dei, ſed perfectio ex omnibus attributis coaleſcens *Exod.* 34 6.7 8. *Iehova, Iehova, Deus fortis, miſericors & gratioſus, longanimis, & multus benignitate & fide, &c.* Singula igitur attributa Dei aliquam vim conferunt ad Religionem nobis ingenerandam, atque adeo in ſcripturis ratio eius ſingularis refertur, nunc ad miſericordiam. *Pſal.* 130.4. *Apud te eſt condonatio ut reverenter colaris.* Nunc ad juſtitiam. *Deut.* 4.24. *Heb.* 12.29. *Teneamus gratiam, per quam ita colamus Deum, ut ei grati ſimus, Cum verecundia & reverentia. Etenim Deus noſter conſumens ignis eſt.* Et ſic etiam ad cætera omnia attributa.

21. Hinc Religio immediatè fluit ex fide illa, qua in Deum credimus, ut in ſufficientem & efficientem cauſam vitæ.

22. Sic intelligendum eſt illud, quod dici ſolet, religionem Deum reſpicere, ut primum principium, ac ſupremum Dominum vitæ, Atque adeo futilis nimis eſt illa Pontificiorum diſtinctio, qua religionis actus illos, qui Deum reſpiciunt, tanquam primum principium vitæ, Deo ſoli præſtandos eſſe fatentur, ſed alios religionis actus creatoris etiam communicari poſſe contendunt. cum nullus ſit actus religionis, qui Deum non ſpectet, tanquam primum principium vitæ.

23. Religionis proprius actus eſt honorem deferre Deo, & dicitur *cultus. Exod.* 12. 25. 26. Et *adoratio Iob.* 23 23. Oportet enim, ut Deo bonum aliquo modo contineat, aliter non eſſet obſervantia erga ipſum, boni autem intrinſeci nihil

nihil adjici potest in Deo, extrinsecum autem bonum, est *honor*, id est, testificatio virtutis alterius, ad gloriam vel æstimationem ejus promovendam, atque hoc totum est, quod Deo potest creatura præstare.

24. Conveniens igitur vel digna æstimatio de Deo, & actus alijquibus æstimatio manifestatur, constituunt quasi materiam proximam religionis: et omnis actus humanus honestus, quatenus in Dei honorem aut gloriam referri potest, potest esse materia vel materiale objectum Religionis. Vnus etiam idemque actus qui ratione subjectionis ad præceptum, dicitur *obedientia*, ratione honoris quem Deo defert, *religio* & *cultus* vocatur.

25. Honoris vel cultus religiosi proprius modus est, animam ipsam & interiores voluntatis affectus, & actus alteri subijcere.

26. Quoad animam enim, & interiores eius actus directè, & per se, non subijcitur homo ulli creaturæ, quamuis, ut anima corpori, & actus interior exteriori colligatur, tanquam necessaria ejus conditio, subjectionem illam imperat, quæ creaturæ, ut superiori debetur.

27. Deo iste honor debetur, non tantum secundum convenientiam rei, quo sensu deberi illa dicimus, quæ ex liberalitate largimur, sed etiam secundum jus personæ, cui defertur, idque tam stricto jure, ut omnem justitiam, ratione debiti excedat, quamvis ratione æqualitatis, à justitia multum superetur.

28. Omnis igitur cultus, qui, vel ex natura, aut conditione sua, vel ex lege, & consuetudine communi, vel ex mente, & institutione deferentis,

ſerentis, religioſum honorem alij defert, præterquam Deo verò, ille Deum novum, ac falſum, eatenus ſaltem, ſibimetipſi fingit.

29. Qui hunc religioſum cultum Deo non defert, eſt *prophanus*, qui defert alij, præterquam Deo vero, eſt *idolatra*. *Act.* 10. *Apoc.* 19. 10. & 22. 8.

30. Quia autem in diuino cultu maxima cura debet adhiberi, idcirco apud Latinos *religionis* vox metaphoricè uſurpatur aliquando, ad quamlibet anxiam curam deſignandam, etiam in rebus non ſacris; ex quo apparet, ethnicos ipſos, naturæ lumine vidiſſe, religionis curam cæteris omnibus eſſe anteponendam.

31. Quia etiam conſcientiæ timor pertinet ad cultum religionis, idcirco etiam quilibet ſcrupulus conſcientiæ, *religio* ſolet vocari. Vnde etiam colligere licet naturam ipſam dictare, conſcientiam hominis primo & maximè propriè religionem ſpectare.

32. Generalis ſtatus Eccleſiæ, qua rectum modum colendi Deum profitetur, rectè dici ſolet *Religio Chriſtiana*, quia ex virtute & actu religionis, hujuſmodi relatio ſtatus aut profeſſionis exurgit.

33. Res illę quæ inſtitutione ſingulari, uſibus religioſis deſtinantur, tanquam religionis inſtrumenta, rectè etiam propter ſtatum, aut relationem fixam, quam habent, vocantur *Religioſæ*.

34. Peculiaris *ille* vivendi modus, quem monachi ſibimet elegerunt, ad fictam quandam perfectionem exercendam, ſine ulla ratione, nec ſine re. iquorum Chriſtianorum injuria, *Religio*

ſolet

nihil adjici poteſt in Deo, extrinſecum autem bonum, eſt *honor*, id eſt, teſtificatio virtutis alterius, ad gloriam vel æſtimationem ejus promovendam, atque hoc totum eſt, quod Deo poteſt creatura præſtare.

24. Conveniens igitur vel digna æſtimatio de Deo, & actus alijquibus æſtimatio manifeſtatur, conſtituunt quaſi materiam proximam religionis: et omnis actus humanus honeſtus, quatenus in Dei honorem aut gloriam referri poteſt, poteſt eſſe materia vel materiale objectum Religionis. Vnus etiam idemque actus qui ratione ſubjectionis ad præceptum, dicitur *obedientia*, ratione honoris quem Deo defert, *religio* & *cultus* vocatur.

25. Honoris vel cultus religioſi proprius modus eſt, animam ipſam & interiores voluntatis affectus, & actus alteri ſubijcere.

26. Quoad animam enim, & interiores eius actus directè, & per ſe, non ſubijcitur homo ulli creaturæ, quamuis, ut anima corpori, & actus interior exteriori colligatur, tanquam neceſſaria ejus conditio, ſubjectionem illam imperat, quæ creaturæ, ut ſuperiori debetur.

27. Deo iſte honor debetur, non tantum ſecundum conuenientiam rei, quo ſenſu deberi illa dicimus, quæ ex liberalitate largimur, ſed etiam ſecundum jus perſonæ, cui defertur, idque tam ſtricto jure, ut omnem juſtitiam, ratione debiti excedat, quamvis ratione æqualitatis, à juſtitia multum ſuperetur.

28. Omnis igitur cultus, qui, vel ex natura, aut conditione ſua, vel ex lege, & conſuetudine competit, vel ex mente, & inſtitutione deferentis,

ſerentis, religioſum honorem alij defert, præterquam Deo verò, ille Deum novum, ac falſum, eatenus ſaltem, ſibimetipſi fingit.

29. Qui hunc religioſum cultum Deo non defert, eſt *prophanus*, qui defert alij, præterquam Deo vero, eſt *idolatra*. *Act.* 10. *Apoc.* 19. 10. & 22. 8.

30. Quia autem in diuino cultu maxima cura debet adhiberi, idcirco apud Latinos *religionis* vox metaphoricè uſurpatur aliquando, ad quamlibet anxiam curam deſignandam, etiam in rebus non ſacris; ex quo apparet, ethnicos ipſos, naturæ lumine vidiſſe, religionis curam cæteris omnibus eſſe anteponendam.

31. Quia etiam conſcientiæ timor pertinet ad cultum religionis, idcirco etiam quilibet ſcrupulus conſcientiæ, *religio* ſolet vocari. Vnde etiam colligere licet naturam ipſam dictare, conſcientiam hominis primo & maximè propriè religionem ſpectare.

32. Generalis ſtatus Eccleſiæ, qua rectum modum colendi Deum profitetur, rectè dici ſolet *Religio Chriſtiana*, quia ex virtute & actu religionis, hujuſmodi relatio ſtatus aut profeſſionis exurgit.

33. Res illę quæ inſtitutione ſingulari, uſibus religioſis deſtinantur, tanquam religionis inſtrumenta, rectè etiam propter ſtatum, aut relationem ſixam, quam habent, vocantur *Religioſæ*.

34. Peculiaris ille vivendi modus, quem monachi ſibimet elegerunt, ad fictam quandam perfectionem exercendam, ſine ulla ratione, nec ſine re. iquorum Chriſtianorum injuria, *Religio*

ſolet

ſolet à pontificijs vocari, & tales monachi, *religioſi*.

35. Qui non eſt religioſus, non eſt Chriſtianus.

36. Religio vera eſt unica.

CAP. V.

De Fide.

1. REligionis partes duæ ſunt. Cultus *naturalis* & cultus *voluntarius*, vel *inſtitutus*.

2. Diſtinctio iſta innuitur, *Exod.* 20.6. Illis verbis ſecundi præcepti, *qui diligunt me, & obſervant mea præcepta*

3. Cultus *naturalis* eſt, qui ex ipſa natura Dei pendet, ita ut quamvis nullam legem haberemus divinitus revelatam, & præſcriptam, ſi tamen Dei naturam rectè haberemus perſpectam, ac notam, ex illius idonea contemplatione, omnia illa percipere poſſemus, Dei gratia auxiliante, quæ hac in parte ad officium noſtrum ſpectant.

4. Nemo enim eſt qui Dei naturam rectè intelligit, quin ſimul etiam neceſſario agnoſcat, in Deum eſſe credendum, & ſperandum, Deum eſſe amandum, invocandum, & in omnibus audiendum.

5. Hinc cultus iſte naturalis eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem. *Pſal.* 79.6. *Jerem.* 10.25. 2. *Theſſ.* 1.8. *Effunde æſtum tuum in eas gentes quæ non agnoſcunt te, & ſuper regna quæ nomen tuum non invocant.* Quamvis enim neque merito, neq; virtute aliqua obedientiæ alicujus noſtræ conſequamur vitam æternam; iſta tamen obedientiæ

entiæ pars adeo eſſentialem connexionem habet cum illa fide, qua in Chriſtum recumbimus ad vitam æternam, ut in exercitio ab illa non poſſit ſeparari.

6. Hinc etiam cultus iſte fuit, eſt atque erit unus & idem, vel immutabilis. 1. *Ioh. 2. verſ. 7. Vetus præceptum, quod habuiſtis iam inde à principio.*

7. Cultus naturalis primo mandato præcipitur, non tantum qua internus eſt, ſed etiam qua externus.

8. Nam 1. Omnis obſervantia eſt & internè & externè eadem: cultus igitur idem & internus & externus in eodem præcepto continetur. 2. In præceptis illis quæ pertinent ad ſecundam tabulam, interna & externa obedientia ſimul præcipitur in ſingulis, Chriſto ipſo interprete. *Matth. 5.* Multo magis igitur in primæ tabulæ præceptis, ac eorum primo & præcipuo. 3. Si illa diſtinctio eſſet legitima, ut primum præceptum internum cultum ſolum imperaret, & ſecundum ſolum externum, tum primum præceptum internum hominem & animam ſolùm obligaret ad obedientiam, & ſecundum tantum externum, & corpus, quod alienum eſt ab omni ratione.

9. *Cultus naturalis* vel tendit in Deum, ut *bonum noſtrum*, vel ut *bonum in ſe*.

10. Cultus qui tendit in Deum tanquam in *bonum noſtrum*, vel reſpicit eum prout in præſentia noſter eſt, ut *fides*; vel prout poſthac futurus eſt, ut *ſpes*.

11. Fides eſt virtus, qua Dei fidelitati adhærentes, nitimur ipſo, ut quod nobis proponit conſe-

solet à pontificijs vocari, & tales monachi, *religiosi*.

35. Qui non est religiosus, non est Christianus.

36. Religio vera est unica.

1. REligion
ralis &c

2. Distinct
verbis secundi
vant mea pr

3. Cultu
pendet, ita
divinitus
Dei natur
notam, ex illi
illa percip
quæ hac

4. Nemo
telligit, q
Deum esse
esse am
endum.

5. Hinc cu
necess

IRREGU

PAGINAT

2. *Thes.* 1. 8. *Effunde æstum tuum in eas gentes quæ non agnoscunt te, & super regna quæ nomen tuum non invocant.* Quamvis enim neque merito, neq; virtute aliqua obedientiæ alicujus nostræ consequamur vitam æternam; ista tamen obedientiæ

entiæ pars adeo essentialem connexionem habet cum illa fide, qua in Christum recumbimus ad vitam æternam, ut in exercitio ab illa non possit separari.

6. Hinc etiam cultus iste fuit, est atque erit unus & idem, vel immutabilis. 1. *Ioh.2.vers.7. Vetus præceptum, quod habuistis iam inde à prin-*

ræcipi-
m qua

ternè
inter-
netur.
ndam
simul
prete.
abulæ
3. Si
præ-
er, &
præ-
lùm
tum
omni

ut *bo-*

am in

bonum nostrum, vel respicit eum prout in præsentia noster est, ut *fides*; vel prout posthac futurus est, ut *spes*.

11. Fides est virtus, qua Dei fidelitati adhærentes, nitimur ipso, ut quod nobis proponit conse-

ſolet à pontificijs vocari, & tales monachi, *religioſi*.

35. Qui non eſt religioſus, non eſt Chriſtianus.

36. Religio vera eſt unica.

CAP. V.

De Fide.

1. REligionis partes duæ ſunt. Cultus *naturalis* & cultus *voluntarius*, vel *inſtitutus*.

2. Diſtinctio iſta innuitur, *Exod.* 20.6. Illis verbis ſecundi præcepti, *qui diligunt me, & obſervant mea præcepta*

3. Cultus *naturalis* eſt, qui ex ipſa natura Dei pendet, ita ut quamvis nullam legem haberemus divinitus revelatam, & præſcriptam, ſi tamen Dei naturam rectè haberemus perſpectam, ac notam, ex illius idonea contemplatione, omnia illa percipere poſſemus, Dei gratia auxiliante, quæ hac in parte ad officium noſtrum ſpectant.

4. Nemo enim eſt qui Dei naturam rectè intelligit, quin ſimul etiam neceſſario agnoſcat, in Deum eſſe credendum, & ſperandum, Deum eſſe amandum, invocandum, & in omnibus audiendum.

5. Hinc cultus iſte naturalis eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem. *Pſal.* 79.6. *Jerem.* 10.25. 2. *Theſſ.* 1.8. *Effunde æſtum tuum in eas gentes quæ non agnoſcunt te, & ſuper regna quæ nomen tuum non invocant.* Quamvis enim neque merito, neque virtute aliqua obedientiæ alicujus noſtræ conſequamur vitam æternam; iſta tamen obedientiæ

entiæ pars adeo eſſentialem connexionem habet cum illa fide, qua in Chriſtum recumbimus ad vitam æternam, ut in exercitio ab illa non poſſit ſeparari.

6. Hinc etiam cultus iſte fuit, eſt atque erit unus & idem, vel immutabilis. 1. *Ioh. 2. verſ. 7. Vetus præceptum, quod habuiſtis iam inde à principio.*

7. Cultus naturalis primo mandato præcipitur, non tantum qua internus eſt, ſed etiam qua externus.

8. Nam 1. Omnis obſervantia eſt & internè & externè eadem: cultus igitur idem & internus & externus in eodem præcepto continetur. 2. In præceptis illis quæ pertinent ad ſecundam tabulam, interna & externa obedientia ſimul præcipitur in ſingulis, Chriſto ipſo interprete. *Matth. 5.* Multo magis igitur in primæ tabulæ præceptis, ac eorum primo & præcipuo. 3. Si illa diſtinctio eſſet legitima, ut primum præceptum internum cultum ſolum imperaret, & ſecundum ſolum externum, tum primum præceptum internum hominem & animam ſolùm obligaret ad obedientiam, & ſecundum tantum externum, & corpus, quod alienum eſt ab omni ratione.

9. *Cultus naturalis* vel tendit in Deum, ut *bonum noſtrum*, vel ut *bonum in ſe*.

10. Cultus qui tendit in Deum tanquam in *bonum noſtrum*, vel reſpicit eum prout in præſentia noſter eſt, ut *fides*; vel prout poſthac futurus eſt, ut *ſpes*.

11. Fides eſt virtus, qua Dei fidelitati adhærentes, nitimur ipſo, ut quod nobis proponit conſe-

consequamur. *Qui recipit eius testimonium, is obsignavit Deum veracem esse.* Ioh. 1. 12. *Quotquot exceperunt eum: qui credunt in nomen ejus.*

12. Ad fidem divinam, quinque ista concurrunt. 1. Notitia rei à Deo testatæ. 2. Affectio pia erga Deum, quæ facit ut maximè valeat apud nos ipsius testimonium. 3. Assensus qui præbetur rei testatæ, propter hanc affectionem erga Deum, qui est eius testis. 4. Acquiescentia in Deum ad illud quod proponitur consequendum. 5. Electio vel apprehensio rei ipsius, quæ in testimonio nobis exhibetur.

13. Primum horum est intellectu: sed non constituit fidem, quia commune est illud nobis cum infidelibus, hæreticis, & apostatis, & diabolis, ipsis.

14. Secundum, quartum, & quintum sunt in voluntate, & constituunt fidem prout est virtus & actus religionis.

15. Tertium est in intellectu, sed prout movetur à voluntate, neque est propriè fidei virtus, sed effectum.

16. Perfectio autem fidei non est nisi in electione aut apprehensione, atque adeo per ipsam est definienda.

17. Hinc fidei natura optimè explicatur in Scripturis, cum fideles dicuntur *adhærere Deo. Ios.* 23. 6. *Act.* 11. 23. 1. *Cor* 6. 17. & *viam veritatis eligere*, ac *inhærere testimonijs Dei. Psal.* 119. 30, 31.

18. Per fidem enim primo adhæremus Deo, & tum postea, consequentur inhæremus ijs quæ à Deo nobis proponuntur, ita ut Deus ipse sit primum obiectum fidei, & illud quod proponi-

tur à Deo ſecundarium.

19. Quia autem fides, qua conjungit nos Deo, eſt vita noſtra, ſed qua eſt virtus & officium noſtrum erga Deum, eſt actus vitæ; idcirco in priore parte definivimus eam ſolummodo per reſpectum quẽ habet ad vitam ac ſalutem conſequendam; hic verò per generalem illum reſpectum quem habet ad omne illud quod Deus nobis proponit credendum. Hinc fides integrum ſuum actum non poteſt exercere circa comminationes Dei in ſeſe conſideratas: quia bonum à nobis recipiendum non proponunt, neque circa præcepta Dei ſimpliciter ſpectata: quia bonum indicant faciendum, non recipiendum: neque circa prædictiones meras, quia ſub illa ratione nihil boni nobis proponunt: ſed in promiſſionibus perficitur: quia in illis proponitur bonum amplectendum; undè etiam eſt quod Theologi noſtri, fidei objectum in promiſſionibus præcipuè ſolent collocare.

20. Qui fidem collocant in intellectu: neceſſariam tamen fatentur eſſe aliquam motionem voluntatis ad aſſenſum illum præbendum: quemadmodum in fide humana voluntarium eſſe dicitur, adhibere fidem alicui. Si verò à voluntate pendeat fides, neceſſe eſt ut primum principium fidei ſit in voluntate.

21. Fidei hujus objectum *quod vel materiale* eſt quicquid à Deo revelatur ac proponitur credendum, ſive id ſpiritu, ſive verbo, ſive publicè ſive privatim fiat. *Act* 24 14. *Vt credam omnibus quæ in lege & in Prophetis ſcripta ſunt.* Ioh. 3 33. *Qui recipit ejus teſtimonium.*

22. Hinc Eccleſiæ propoſitio non eſt abſolutè neceſſa-

neceſſaria, ne quoad nos quidem, ad fidei objectum conſtituendum, tunc enim *Abrahamus* & alij prophetæ fidei aſſenſum non præbuiſſent illis, quæ à Deo habuerunt ſibi revelata ſine ulla eccleſiæ opera intercedente, quod & ſcripturis manifeſtè adverſatur, & omni rationi ſanæ, & tamen admittitur neceſſario, atque defenditur à Doctiſſimis Pontificiorum, ut eccleſiæ larvatæ mentitam anthoritatem poſſint ab iſtiulmodi argumentis vindicare.

23. Hoc objectum eſt immediatè ſemper aliquod axioma vel enunciatio ſub ratione *veri*; ſed illud in quo principaliter terminatur fides, *de quo*, & *propter quod* aſſenſus præbetur illi axiomati per fidem, eſt ens incomplexum ſub ratione *boni*. Rom. 4. 21. *Plenè perſuaſum habens, eum quod promiſerat poſſe etiam efficere.* Heb. 11. 13. *Non adepti promiſſa, ſed eminus ea conſpicati poſtquam ipſis fuiſſent perſuaſa, & ea amplexi fuiſſent.*

24. Actus enim credentis non terminatur ad axioma, ſed ad rem, fatentibus Scholaſticorum clariſſimis. Ratio eſt; quia non formamus axiomata, niſi ut per ea de rebus cognitionem habeamus. Principalis igitur terminus, in quem tendit actus credentis, eſt res ipſa, quæ in axiomate præcipuè ſpectatur.

25. Fidei objectum formale *quo* eſt Dei veracitas, aut fidelitas. *Heb.* 11. 11. *Quod fidelem eſſe duxerit eum qui promiſerat.* Ratio enim formalis, & ut loquuntur, ſpecificativa fidei eſt veritas in dicendo, id eſt, Dei veracitas ſeu fidelitas revelantis aliquid certo, quia de ratione fidei in communi eſt, ut innitatur authoritati teſtantis (qua in re diſtinguitur fides ab opinione, ſcientia,

entia, experientia, ac visione aut sensu) authoritas autem Dei est ipsius veracitas aut fidelitas. *Tit.* 1. 2. *Promiserat Deus ille mentiri nescius.* Hinc illa propositio est verissima, *quicquid tenemur credere* (fide divina) *verum est.* Quia enim nihil ita debet credi, nisi cujus veritati Deus attestatur: Deus autem attestatur quatenus est verax: veracitas autem in teste omnisciente, non potest separari à testimonij veritate: necesse est igitur ut omne illud quod fide divina teneamur credere, sit verum. Tota hæc demonstratio manifestè confirmatur & usurpatur ab Apostolo Paulo. 1 *Cor.* 15. 14, 15. *Si Christus non est suscitatus, vanum est præconium nostrum: vana autem est etiam fides vestra; invenimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, eum suscitasse Christum.* Id est, si testimonium non sit verum, testis est falsus. Nisi hoc admittatur, *quicquid Deus testatur verũ est*, consequentia ista omnium firmissima, nihil omninò valeret, *Deus hoc testatur aut illud, ergo est verum.* Hinc fides divina non potest esse principium, vel causa, vel directè, vel indirectè, vel per se, vel per accidens, assentiendi falso, aut falsi assensus.

26. Hinc etiam fidei certitudo quoad objectum est maximè firma, & quo magis confirmatur in ipso subjecto, vel corde credentis, eo majorem tribuit gloriam Deo. *Rom.* 4. 20. *Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit incredulitate: sed corroboratus fuit fide, tributa gloria Deo, ac plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam efficere.* Quod autem in nobis aliquando vacillet fides; id non est ex natura fidei, sed ex imperfectione nostra.

27. Vti-

27. Vtriusque objecti, id est & eorum quæ sunt credenda, & rationis illius sub qua credi debent, sufficiens & certa repræsentatio proponitur nobis in scriptura. *Rom.* 16. 26. *Factam est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei, omnibus Gentibus notificatum.* 2. Tim. 3. 15. *Sacræ literæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.*

28. Quamvis enim in subjecto, id est, in cordibus nostris necessarium sit lumen ac testimonium Spiritus sancti, fidem in nobis excitantis; in ipso tamen objecto, quod est fide recipiendum, nihil omnino requiritur vel quoad res credendas, vel quoad causam & rationem credendi, quod non reperitur in Scriptura.

29. Fides igitur divina non potest reduci aut resolvi in authoritatem Ecclesiæ, aut in alia simplicia argumenta extrinseca, quæ dici solent motiva, persuadendo & inducendo præparantia ad fidem; sed in ipsam Scripturam, & authoritatem quam habet sibi impressam ab authore Deo, tanquam in primam ac propriam causam quæ facit rem credendam; & in operationem Spiritus Sancti, tanquam in propriam causam ipsius actus credendi.

30. Hinc illud principium à quo fides primo incipit, & in quod ultimo resolvitur, est, Scripturam esse divinitus revelatam ad nostram salutem tanquam sufficientem regulam fidei ac morum. 2 *Pet.* 1. 19, 20. *Si illud primum noveritis, nullam prophetiam Scripturæ esse ἰδίας ἐπιλύσεως.*

31. Fides est partim implicita, & partim explicita.

32. Fides

32. Fides implicita eſt, qua creduntur fidei veritates, non diſtinctè in ſemetipſis, ſed in communi earum principio.

33. Commune principium illud, quo continentur omnia hoc modo credenda, non eſt Eccleſia, ſed Scriptura, *Act.* 24.14. *Vt qui credam omnibus quæ in lege & in Prophetis ſcripta ſunt.*

34. Qui credit ſcripturam eſſe undequaque veram, ille credit implicitè omnia quæ in Scripturis continentur. *Pſal.* 119.86. comparato cum *verſ.* 28.33. *Omnia præcepta tua ſunt ipſa veritas. Retege oculos meos, ut intuear mirabilia in lege tua. Doce me viam ſtatuterum tuorum, quam cuſtodiam in finem uſque.* David credebat illa eſſe mirabilia, & ſanctè cuſtodienda, quæ nondum ſatis intelligebat.

35. Fides hæc implicita eſt bona & neceſſaria, ſed non eſt per ſe ſufficiens ad ſalutem; neque revera habet in ſe virtutis fidei veram rationem, ſi modo per ſe ſubſiſtat: fieri enim non poteſt, ut voluntas efficaciter afficiatur, & amplectatur ut bonum, illud quod nulla ex parte diſtinctè cognitum habet. *Rom.* 20.14. *Quomodo credent ei de quo non audierint?*

36. Fides explicita eſt, qua in particulari creduntur fidei veritates, & non in communi tantum.

37. Fides explicita neceſſario debet haberi de iis, quæ ſunt fidei noſtræ propoſita tanquam neceſſaria media ſalutis. *Hebr.* 6. 1. 2. *Cor.* 4.3. *fundamentum reſipiſcentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum. Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, iis qui pereunt opertum eſt.*

38. Fides magis explicita requiritur nunc poſt

post Christi adventum, quam antea, 2. *Cor.* 3. 18. Ab ijs, qui alijs in ecclesia præficiuntur, quàm à plebe, *Heb.* 5. 12. Ab ijs denique, quibus perfectioris institutionis occasio datur, quam ab alijs. *Luc.* 12. 48. *Cui, cunq; multum datum fuerit, multum repetetur ab eo.*

39. Fidei actus exterior est ejus confessio, professio, vel manifestatio, quæ & suo ordine & loco necessaria est ad salutem. *Rom.* 10. 9, 10. Nempè quoad præparationem & dispositionem animi semper. 2. *Pet.* 3. 15. & quoad actum ipsum, cum Dei gloria & ædificatio proximi postulaverit.

40. Persistentia in fidei confessione, cum vitæ temporalis detrimento, testimonium tribuit veritati, ac Deo ipsi maximè honorificum, atque adeo κατ' ἐξοχὴν dicitur μαρτύριον & qui sic faciunt, μάρτυρες vocantur, *Apoc.* 2. 13. Hoc autem suo loco est æquè necessarium atque confessio fidei, ita ut non possit detrectari sine abnegatione Christi. *Mat.* 10. 33. 39. & 16. 25.

41. Fidei opponuntur *infidelitas, dubitatio, error, hæresis & apostasia.*

42. Infidelitas est dissensio hominis à fide, in eo qui fidem veram nondum est professus. 1. *Cor.* 14. 22. 23.

43. *Dubitatio* in eo qui professionem fecit, vel minuit vel tollit assensum.

44. *Dubitatio* minuens tantum assensum consistere potest cum fide infirma. 1. *Cor.* 8. 10, 11. Sed non illa dubitatio quæ tollit assensum. *Jac.* 1. 6, 7, 8.

45. *Error* in fide opinionem aliquam fidei contrariam ponit. 1. *Cor.* 15.

46. *Hæresis*

46. *Hæresis* pertinaciam addit errori. *Tit.* 3.10, 11.

47. *Apostasia* addit hæresi universaliratem errorum fidei contrariorum. 1. *Tim.* 1.19, 20. 2. *Tim.* 2.15.

48. Opponuntur ista fidei, non tantum qua tollunt assensum illum intellectus, qui est ad fidem necessarius, sed etiam qua inferunt & includunt privationem illius electionis & apprehensionis fidei, quæ est in voluntate.

CAP. VI.

De Spe.

1. SPes est *virtus, qua inclinamur ad exspectationẽ eorũ, quæ Deus nobis promisit.* Rom. 8. 25.

2. Spes hæc respicit Deum. 1. Tanquam objectum quod exspectat, objectum enim spei principale est Deus ipse, & actus illi quibus nobis conjungitur: 1. *Pet.* 1. 21. *Vt fides & spes vestra in Deo esset.* minus principalia objecta sunt illa omnia, quibus tanquam gradibus & medijs ad Deum pervenitur. 1. *Pet.* 1. 13 *Sperate in eam quæ vobis defertur gratiam.* Hinc Deus ipse appellatur *Spes Israelis. Ier.* 14. 8. *& Rom.* 15. 13. *Deus spei*, non tam quia autor est & largitor spei, quam quia ille est in quem speramus. 2. Respicit Deum tanquam authorem & largitorem omnis boni quod exspectat. *Psal.* 37. 5. 6. *Devolve super Iehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet.* Sicut enim in Deum tendit ad bonum consequendum, sic etiam eum respicit ut gratia sua propria consequendum. *Jer.* 17. 7. *Benedictus vir*

ille

ille qui fiduciam habet in Iehova, & cujus confidentia eſt Iehova.

3. Propria autem ratio, quarè in creaturas non licet ſperare, eo modo quo in Deum ſperamus, eſt quia formale objectum ſpei non reperitur in creaturis. *Pſal.* 146. 3. *Ne fiduciam habeto ote in ingenuis, in ullo filio hominum, penes quem nulla eſt ſalus.* Quamvis enim virtus aliqua benè nobis faciendi & auxilium ferendi ſit à Deo in creaturis collocata, exercitium tamen hujus virtutis pendet ſemper à Deo. *Pſal.* 107. *Mittens verbum ſuum curaverit ipſos. Et* Pſal. 137. 1. *Niſi Iehova ædificet domum, fruſtra laborent ædificatores ejus de ea: niſi Jehova cuſtodiat civitatem, fruſtra ſedulus ſit cuſtos.*

4. Phraſis igitur illa, *ſpero hoc aut illud à tali homine*, vel ſignificat illud ſperare à Deo per illam creaturam, vel notat ſpem humanam, non divinam, vel denique non eſt Chriſtiana.

5. In Deo autem ſicut fides, ſic etiam ſpes reſpicit gratiam Dei, & Chriſtum, tantum tanquam cauſas boni communicandi. 1. *Pet.* 1. 13. *Col.* 1. 27. *Sperate in gratiam. Chriſtus ſpes illa gloriæ.*

6. In Deo tamen, & à Deo ſpes divina reſpicit non ſolum Deum & beatitudinem æternam, ſed omnia illa quæ fides in promiſſionibus Dei apprehendit, licet in ſua natura ſint temporalia. *Heb.* 11. 1. 2. *Cor.* 1. 10. Quamvis præcipuè ſpectet vitam æternam. Vndè etiam fit, quod per meton. adjuncti ſpes in Scriptura ſæpè ponatur pro ipſa ſalute aut vita æterna ſperata. *Gal.* 5. 5. *Rom.* 8 24. *Tit.* 2 13. Et ſalus etiam aliquando ponatur pro ſpe ſalutis, per meton. ſubjecti.

ſubjecti. *Eph.6.17.* comparato cum 1. *Theſſ.5.8. Galea ſalutis. Pro galea ſpe ſalutis.* Vſitatè etiam ſpei apponitur hoc ipſum objectum tanquam proprium, 1. *Theſſ.5.8. Tit. 3.7. ſpes vitæ æternæ. Rom.5.2. es gloriæ.*

7. Conditiones illæ quæ ad objectum ſpei ſolent requiri, ut ſit *bonum*, *futurum*, *difficile*, *probabile*, inueniuntur omnes in promiſſionibus Dei, qui promittit ſemper bona maxima, quæ fine ipſius ope non poſſunt haberi, ſed vi promiſſionis non probabiliter tantum, ſed certo futura.

8. Actus, quo verſatur circa ſuum objectum, dicitur *exſpectatio*: quia non eſt incertæ aut probabilis tantum conjecturæ, ut ſpes humana, ſed certiſſimæ expectationis. *Rom.8.25. Phil. 1.20. Si quod non cernimus, ſperamus: per tolerantiam exſpectamus. Secundum intentam expectationem & ſpem meam.* Et vbique in V. T. ubi vox *mikveh*, quæ verti ſolet *ſpes*, ſignificat propriè expectationem.

9. Certitudo iſta in ſpem derivatur ex fide: fides enim eſt ſpei fundamentum: neque ſperatur quicquam, quod non ante creditur fide. *Gal. 5.5. Nos enim Spiritu, ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.*

10. Cum enim fides apprehendit quod promittitur: & ſpes exſpectat quod promittitur; tota differentia inter fidem & ſpem, eſt ratio præſentis, & futuri.

11. Inanis igitur & futilis eſt illa diſtinctio Pontificiorum, qui concedentes fideles certos poſſe eſſe de ſua ſalute certitudine ſpei, negant tamen eos vnquam ordinarijs medijs ea de re

certo posse fieri certitudine fidei, cum fidei & spei una planè & eadem sit certitudo: qua etiam ratione fit, quod spes in Scriptura præsertim in V. T. sæpè ponitur pro fide.

12. Exspectatio igitur illa futurorum bonorum, quam habent Angeli & spiritus justorum in cœlis, non in eo differt à spe nostra, quod una sit certa & altera incerta, sed in istis. 1. Quod spes nostra nititur fide, quæ Deum intuetur in promissionibus tanquâ *per speculum & per ænigma*: 1. *Cor.* 13. 12. exspectatio autem eorum nititur aperta visione. 2. Quod nostra spes sit cum labore & contentione, eorum autem exspectatio absque omni difficultate. 3. Quod spes nostra sit exspectatio imperfecta, & exspectatio eorum spes perfecta.

13. Quamvis igitur spes unà cum fide dici soleat abolenda in vita futura, hoc tamen non sic est intelligendum, quasi desinerent esse quoad essentiam, sed tantum quoad modum & gradum imperfectionis. 1. *Cor.* 13. 10. ita ut imperfectio tantum propriè sit abolenda: fides autē & spes ipsa quoad essentiam suam sunt perficiendæ.

14. Hinc fiducia Christiana, qua respicit bonum futurum, nihil aliud est quam spes confirmata. Debet enim necessario referri ad unam aliquam earum virtutum Theologicarum, quæ ab Apostolo commemorantur, 1. *Cor.* 13. 13. id est, vel ad *fidem*, vel ad *charitatem*, vel ad *spem*: sed neque ad *fidem* potest, quia fides apprehendit rem ut jam præsentem, quam facit etiam subsistere, *Heb.* 11. 1. neque ad *charitatem*, quia charitas non respicit bonum nostrum, 1. *Cor.* 13. 5. ergo ad *spem*.

15. Hinc

15. Hinc ſpei fructus genuinus eſt gaudium & delectatio in Deo. *Heb.* 3. 6. *Spem illam de qua gloriamur.* 1. *Pet.* 1. 3, 6. *Spem vivam, qua in re exſultatis.* Quia ſcilicet bona maxima reſpicit, non tantum ut poſſibilia & probabilia, ſed etiam ut certo futura, atque adeo poſſeſſionem eorum modo quodam ſubſiſtere facit, dum certos nos reddit quod tandem reipſa ſubſiſtet. *Rom.* 8. 24. *Spe ſervati ſumus.*

16. Modus hujus actus pendet ex illa ratione objecti, qua dicitur *futurum & promiſſum*, ita ut in ſua formali ratione non ſit eorum quæ cernuntur. *Rom.* 8. 24. *Spes ſi cernatur, non eſt ſpes: quod enim quis cernit, cur ſperet?*

17. Hinc ſpei fructus & comes eſt patientia erga Deum, qua conſtanter ipſi adhæremus in beatitudine quærenda & exſpectanda, quamvis in vita præſenti cum variis malis conflictemur, etiam ſine conſolatione deſiderata. *Eſa.* 8. 17. *Præſtolanti Iehovam, qui abſcondit faciem ſuam, & exſpectanti ipſum.* Rom. 8. 25. *Si vero quod non cernimus ſperamus, per tolerantiam exſpectamus.* 2. *Theſſalo.* 3. 5. *Patientiam illam expectationem.*

18. Patientiæ hujus fructus eſt ſilentium, quo in Dei voluntate quieſcimus, & omnes illas carnales cogitationes reprimimus, quibus ad feſtinandum, aut ipſi obluctandum, inſtigamur. *Pſal.* 37. 7. *Sile Iehovæ, & indefinenter expecta eum.*

19. Spes corroboratur & augetur ijs omnibus argumentis, quibus certiores reddi poſſumus bonum ſperatum ad nos pertinere. *Rom.* 5. 4. *Experientia efficit ſpem.*

20. Inter hæc argumenta interna ſigna divinæ

gratiæ primarium locum habent. 1. *Joh.* 3. 14, 19. *Nos ſcimus nos eſſe tranſlatos à morte ad vitam, quia diligimus fratres.*

21. Quamvis ergo falſiſſimum ſit quod pontificij dicunt, ſpem noſtram niti partim gratia divina, & partim meritis noſtris proprijs; veriſſimè tamen affirmari poteſt, corroborari, augeri & erigi ſpem fide, reſipiſcentia, operibus & conſcientia bona. Ita ut ea iſtis quaſi antecedentibus argumentis, ſpes vera & viva exiſtat. *Heb.* 10 22, 23. 1. *Pet.* 3. 23.

22. Effectum ſpei eſt animæ confirmatio, quaſi *anchora tuta & firma. Heb.* 6. 19. *qua ipſas animas noſtras poſſidemus. Luc.* 21. 19.

23. Ex hac animi confirmatione ſequitur ſemper ſtudium ſanctitatis. 1. *Ioan.* 3. 3. *Quiſquis habet hanc ſpem in eo ſitam, caſtum ſe conſervat, ſicut & ille caſtus eſt.*

24. Spei opponitur per modum defectus. I. metus mali pœnæ. *Pſal.* 27. 3. ſicut enim ſpes eſt exſpectatio boni, ſic metus iſte eſt exſpectatio mali.

25. Metus autem iſte ſi ſit moderatus & fide temperatus, quamvis materialiter ſemper opponatur ſpei, in homine tamen peccatore non ita formaliter opponitur ſpei & virtuti, vt ſit ſimpliciter vitium, ſed potius virtutis rationem ac naturam induit. 2. *Chro.* 34. 27. *Quia mollitus eſt animus tuus, & depreſſiſti te à facie Dei, quum audiviſti verba ejus contra locum hunc, &c.* Ratio eſt, quia oppoſitio non eſt *ſecundum idem* & *ad idem*: ſpes enim reſpicit gratiam Dei, & metus reſpicit merita peccatorum noſtrorum.

26. Item ſpei etiam in defectu magis directè opponitur

opponitur desperatio, quæ est mera privatio spei, conjuncta cum sensu illius privationis, & apprehensione rei sperandæ, vel tanquam impossibilis, vel saltem tanquam futuræ, qualis fuit in Kaino. *Gen.* 5. 13, 14. & in *Iuda, Matth.* 27. 4, 5.

27. Desperatio ista semper est peccatum grave; quia non est privatio spei illius quam habere solent homines in semetipsis aut alijs creaturis, quæ solet esse laudabilis introductio ad spem divinam, sed est privatio spei divinæ ortum suum semper habens ab infidelitate, sicut spes habet à fide.

28. Desperatio tamen in diabolis, & damnatis, non habet rationem peccati, sed pœnæ. Desperatio enim vel privativè potest accipi cũ non sperat aliquis illud quod debet sperare & quando debet, vel negativè pro mera cessatione spei: priori sensu semper est peccatum, quia repugnat legi, sed posteriori non item.

29. Varia etiam potest esse ratio desperandi, vel quia Dei gratia non habetur sufficiens ad bonum illud nobis communicandum, vel quia non vult communicare. Desperatio qua nititur priori ratione, semper est peccatum, sed posteriori sensu non est peccatum, si modo de voluntate illa Dei alicui certo constet.

30. Quia autem raro aut nunquam ordinarijs medijs alicui constat ante hujus vitæ finem, quod Deus non velit ipsum participem facere gratiæ ac gloriæ, idcirco nulla est hominum desperatio in hac vita, quæ non est peccatum.

31. Spei per excessum opponitur præsumptio, qua temerè bonum aliquod expectamus.

Deut. 29. 19. *Ier.* 7. 4. 8, 9, 10. *Nesit, quum audiverit.*

32. Temeraria ista præsumptio aliquando in exspectatione boni nititur creaturis. *Ierem.* 17. 5. 1. *Tim.* 6. 17. aliquando etiam aliquo modo nititur Deo, sed perversè sine promissione ac fide, ut cum quis sperat veniam ac salutem, quamvis maneat impœnitens, aut retineat propositum in peccatis suis vivendi, aut aliquid aliud exspectet a Deo, quod non convenit ejus naturæ vel voluntati revelatæ.

33. Hac autem præsumptione non ideo peccatur ab aliquo, quia nimis sperat in Deum spe vera scilicet ac religiosa, hoc enim fieri nullo modo potest: sed quia nimis leviter ac temerè sperat sine ullo fundamento, aut illa etiam sperat, quæ non sunt speranda.

34. Spei etiam, quoad eventum, opponitur *pudor faciei*, vel *confusio. Psal.* 25. 2, 3.

Cap. VII.

De Charitate.

1. Charitas est virtus qua diligimus Deum, ut summum bonum. *Psal.* 106. 1. & 118. 2. & 136. 1. *Celebrate Iehovam, quia bonus est, quia in seculum est benignitas ejus.* Gaudium celebrationis, quod est effectum charitatis, idem primarium habet objectum cum sua propria causa, charitate. Charitatis igitur (ut celebrationis) proprium objectum est bonitas Dei, quæ singulariter elucet in effectis benignitatis.

2. Sequitur fidem ac spem ordine naturæ, ut effectum

effectum ſuas cauſas: idcirco enim Deum ex charitate amamus, quia per fidem & ſpem guſtamus aliquo modo, quàm bonus ſit Deus, & charitatem ejus diffuſam in cordibus noſtris. 1. Ioh. 4. 16, 19. *Nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus erga nos. Nos diligimus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos.*

3. Non igitur charitas, ſed fides eſt fundamentum primum ſpiritualis ædificij in homine: non ſolùm quia indè incipit ædificatio, ſed etiam quia ſuſtinet, & continet omnes ejus partes, ſicut etiam radicis naturam habet, qua virtutem confert fructificandi.

4. Fidem antecedit confuſa & remota inclinatio verſus Deum (cujus umbra quædam in omnibus creaturis aliquo modo reperitur.) *Act. 17. 27. Vt quærerent Dominum, ſi forte palpando eum inveniant.* Sed eſt inefficax potius, ut loquuntur, velleitas Deum amandi, quàm verus amor.

5. Diſtinctio illa ſcholaſticorum, inter dilectionem Dei naturalem & ſupernaturalem, i. qua alium ſtatuunt amorem Dei, ut eſt principium & finis naturæ, alium verò ut eſt principium & finis gratiæ, eſt otioſum figmentum. Neque revera poteſt homo poſt lapſum ex viribus naturæ, ſine fide, diligere Deum ſuper omnia ne dilectione quidem illa, quam naturalem appellant.

6. Charitatis amor eſt unionis, complacentiæ & benevolentiæ: iſtæ enim ſunt quaſi partes charitatis, & in illa ſemper continentur ſi vera ſit, deſiderium nempè unionis, acquieſcentia fruitionis; & affectio benevolentiæ.

7. Amor unionis eſt affectus ille, quo cum

Deo conjungi volumus. 2. *Cor.* 5. 8. *Gratum est nobis abesse è corpore, & adesse apud Dominum.*

8. Amor, etiam unionis in Deo est erga nos. *Ephes.* 24. 13. *Multa charitate dilexit nos. Vos qui olim eratis longinqui, propinqui facti estis.* Sed ejus amor est ex abundantia bonitatis, quia nullum è nobis commodum expectat; nos enim servi sumus inutiles Deo. *Luc.* 17. 10. *Iob.* 2. 22, 23. Nostra autem erga eum est ex indigentia bonitatis, quia Deo indigemus. 2. *Cor.* 5. 4. *Suspiramus gravati —— ut absorbeatur mortalitas à vita.*

9. Noster igitur amor, qua est unionis cum Deo, est ex parte amor ille qui dicitur concupiscentiæ, vel appetitionis: quoniam Deum propriè appetimus nobis, quia speramus ab eo commodum & beatitudinem nostram æternam.

10. Vltimus tamen finis hujus amoris debet esse Deus ipse.

11. Amor complacentiæ est affectus ille, quo omne illud, quod in Deo est, probamus, & acquiescimus in summa ipsius bonitate. *Apoc.* 7. 12. *Benedictio, & gloria, & sapientia, gratiarum actio, & honor, & potestas, & virtus Deo nostro, in seculo seculorum. Amen.*

12. Deus etiam amorem complacentiæ habet erga nos. *Hebr.* 13. 16. Sed ejus complacentia est in ijs bonis quæ ab ipso nobis communicantur: nostra autem in illa bonitate ac perfectione divina, quæ nullo modo pendent à nobis.

13. Amor benevolentiæ est affectus quo nos totos Deo tradimus, & volumus, atque connitur, ut omnia ipsi deferantur, quæ pertinent ad ejus gloriam. *Apocal.* 4. 10, 11. *Procidebant, & abjiciebant*

abjiciebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem. 1. *Corinth.* 10. 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.*

14. Deus benè nobis volendo bonos nos facit, bonum quod vult conferendo: nos autem non poſſumus in ipſum boni quicquam propriè conferre, ſed bonitatem quam habet, corde tantum agnoſcere, verbis prædicare, & factis aliquo modo declarare.

15. Charitas illa mutua, quæ eſt inter Deum & fideles, habet in ſe rationem aliquam amicitiæ. *Ioh.* 15. 15. *Vos dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

16. In hac amicitia quamvis non reperiatur paritas talis, qualis eſt inter homines amicos; illa tamen quæ poſſibilis eſt, apparet in interiori quadam communione, quæ inter Deum & fideles exercetur: cujus ratione dicitur Deus arcana ſua revelare fidelibus. *Pſal.* 25. 14. *Ioh* 15. 15. Et quaſi familiariter cum ipſis verſari. *Apoc.* 3. 36. *Siquis audierit vocem meam, & aperuerit oſtium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum.* *Ioh.* 14. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum obſervabit: Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.*

17. Charitas continet in ſeſe implicitè obſervationem & impletionem omnium Dei mandatorum. *Rom.* 13. 10. 1. *Ioh.* 2. 5. & 3. 18. Verè enim Deum amare non poteſt, qui non ſtudet ipſi per omnia placere, ipſique ſimilis eſſe. 1. *Ioh.* 4. 17. *Per hoc adimpletur charitas nobiſcum, — quod qualis ille eſt, tales & nos ſumus.*

18. Modus charitatis noſtræ erga Deum eſt, ut feratur in eum tanquam in bonum, & finem ſimpliciter vltimum; ita ut neque Deus, neque dilectio Dei ad aliud aliquid principaliter & vltimo referatur: quia talis amor eſſet mercenarius, *Ioh.* 6 26. *Quæritis me quia ediſtis panes illos, & ſaturati eſtis.*

19. Poſſumus tamen amare Deum ut mercedem noſtram. *Gen.* 15. 2. & intuitu aliorum bonorum tanquam mercedis. *Gen.* 17. 2.

20. Gradus charitatis erga Deum debet eſſe ſummus. 1. Quoad objectum, vel (ut loquuntur) objectivè, id eſt, majus bonum ipſi volendo quam cuiquam. 2. Quoad æſtimationem, vel (ut loquuntur quidam) appretiativè, id eſt, anteponendo ipſum, & ejus voluntatem, omnibus aliis rebus, vel noſtræ propriæ vitæ. *Math.* 10. 37. *Luc.* 14. 26. Ita ut potius mortem obire eligamus, quam tranſgredi vel minimum ejus mandatorum. 3. Intenſivè, id eſt, quoad vehementem conatum, in applicatione omnium facultatum ad dilectionem Dei. *Deut.* 6. 5. *Diliges Iehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis viribus tuis.*

21. Secundum iſtam deſcriptionem charitatis, rectè dicitur à Theologis quibuſdam, Deum ſolum eſſe diligendum: id eſt ſimpliciter per ſe & ſecundum omnes charitatis partes (affectione nempè benevolentiæ, deſiderio unionis, & acquieſcentia fruitionis & gradum ſummum;) quamvis etiam proximus diligendus ſit ſecundum quid, propter aliud, ex parte & gradu inferiori.

22. Charitati huic opponitur metus ille, qui cruciatum

cruciatum habet ex præsentia Dei, & formidine pœnæ ab ipso infligendæ. 1. *Ioh* 4. 18. *Integra charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet.*

23. Hinc charitas consummata foras ejicit metum; *ibid.* ratio est: quia metus ille est horror proveniens ex apprehensione mali, propter præsentiam Dei: atque adeo opponitur charitati, quæ fertur in Deum tanquam in absolutè bonum.

24. Eidem secundo opponitur abalienatio à Deo, quæ à quibusdam dicitur odium abominationis. *Psal.* 14. 3. *Ioh.* 3. 20. *Unusquisque recessit. Odit lucem.* Sicut enim charitas consistit in affectu unionis, sic abalienatio hæc est in disjunctione. Maximè autem adversatur charitati Dei odium, quod dicitur odium inimicitiæ. *Ioh.* 15. 23, 24, 25. *Oderunt tam me, tum Patrem meum.* Sicut enim charitatis amicitia est benevolentia; sic inimicitia ista erga Deum est in eo, quod impij malè ipsi cupiant, & vellent, si fieri posset, ut non esset, vel saltem non talis, qualis est.

25. Quamvis enim Deus sic ita apprehendatur prout est in semetipso, non possit esse odij objectum; quatenus tamen apprehenditur ut peccatorum vindex, eatenus ab impijs peccatoribus odio sæpè habetur: quia illo respectu est ipsis maximè adversus. *Ioh.* 3. 20. *Quisquis quæ mala sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.* Sicut enim amor Dei in pijs causa est, ut odio habebant impietatem Deo adversam; sic amor iniquitatis in impijs efficit, ut Deum oderint tanquam iniquitati suæ adversum.

26. Gradus

26. Gradus autem, quibus ad ſummam iſtam impietatem aſcenditur, tales ſunt. 1. Peccatores ſemetipſos inordinatè diligunt. 2. Volunt illud quod ſibi placet, quamvis contrarium ſit legi Dei. 3. Odio habent legem: quia repugnat huic deſiderio 4. Deum ipſum averſantur, qui talis legis lator eſt & author.

27. Opponitur etiam charitati erga Deum amor hujus mundi. 1. *Ioh.* 2. 15. quia hic mundus cum Deo & ejus voluntate non conſentit. *Ibid. ver.* 16. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam quicquid eſt in mundo, non eſt ex Patre.*

28. Sicut enim perfectio charitatis eſt in eo, quod animus acquieſcit in Deo; ita charitati neceſſario repugnat, ut acquieſcat animus in eo, quod eſt alienum à Deo.

29. Charitas aliarum virtutum non magis eſt forma, quam quælibet virtus imperans aut ordinans actus alterius, eſt ejus forma: ſed quia illi actus qui in ſua natura non reſpiciunt Deum, ad ipſum per charitatem referuntur, & in eo tales actus perficiuntur; idcirco per metaphoram non malè dicitur eorum forma, & virtutum etiam à quibus eliciuntur.

30. Fidei autem charitas non poteſt eſſe forma intrinſeca: quia natura ſua ſequitur fidem, ut effectus ſequitur cauſam, non antecedit ut cauſa effectum.

31. Neque fides extrinſecè à charitate dirigitur in Deum: ſed ex ſua propria & interna natura, Deum reſpicit ut objectum ſuum.

32. Iuſtificatio fidei, nullo modo pendet ex charitate

charitate (ut Pontificij volunt) ſed ex proprio fidei obiecto.

33. Quod fides dicitur per charitatem operari. *Gal. 5. 6.* Non eſt quia efficatia omnis fidei pendet ex charitate, tanquam ex cauſa: ſed quia efficatiam ſuam exerit & exercet fides in charitatis excitatione.

34. Particula illa *per* non indicat ibi cauſam formalem, ſed quaſi inſtrumentalem: ut quum Deus regenerare nos dicitur *per* verbum.

35. Fides illa quæſi ne charitatis operibus exiſtit, dicitur *mortua. Iacob. 2. 26.* Non quia fidei vita ab operibus fluit: ſed quia opera ſunt actus ſecundi ex fidei vita neceſſario fluentes.

36. Fides ex operibus dicitur perfici. *Iacob. 2. 22.* Non eſſentiali perfectione, ſicut effectum perficitur à cauſa, ſed complementali, ſicut cauſa perficitur, aut actu completa redditur, in productione effecti.

37. Quia charitatis obiectum, eſt ipſa bonitas Dei, prout in ſe eſt, fides autem & ſpes reſpiciunt Deum prout nobis proponitur apprehendendus; idcirco propenſio illa animi in Deum, quæ eſt charitatis, magis evidenter & conſtanter apparet in fidelibus infirmis, quam fidei aut ſpei ſpeciales actus: quoniam bonitas divina magis eſt manifeſta in ſeſe, quam ratio eam apprehendendi, quæ nobis in hac vita quaſi ænigmaticè repræſentatur.

Cap. VIII.

De Auditione Verbi.

1. EX istis virtutibus religionis, fide, spe, & charitate erga Deum duplex oritur actus religionis, qui spectat ad communionem illam spiritualem quæ inter Deum & nos exercetur, *Auditio verbi & oratio.*

2. Ratio vel fundamentum hujus distributionis est in eo; quod Deum religioso cultu afficimus, cum honorem debitum ipsi defer imus, sive hoc fiat recipiendo quod ipse nobis proponit, sive proponendo quod ad ipso secundum perfectionem ipsius recipiatur; utroque enim respectu illud agimus quod Deo est immediatè ac directè honorificum.

3. Primus igitur actus religionis est circa illa, quæ à Deo nobis communicantur: & alter est circa illa quæ à nobis Deo exhibentur.

4. Auditio verbi est religiosa receptio voluntatis Dei.

5. Auditio igitur hic appellatur quælibet perceptio sermonum Dei, sive prædicatione, sive lectione, sive alia quacunque ratione cõmunicentur, quia singulariter & ex instituto suo operari solet Deus ex prædicatione, & auditione verbi.

6. Non igitur tam præsso & strictè accipi debet vox ista, ut vel præcipuè vel necessario semper externum sensum audiendi includat; sed ut quamlibet perceptionem voluntatis Dei notet, & præcipuè internam receptionem & subjectionem designet.

7. Re-

7. Receptio autem verbi duabus partibus conſtat, attentione mentis, & intentione voluntatis.

8. Attentio eſt applicatio intellectus, ad percipiendam voluntatem Dei revelatam. *Act.* 16. 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.* Vocatur ſæpè in Scriptura, præſertim in Veteri Teſtamento, *inquiſitio* Voluntatis Dei, aut Dei ipſius, ut explicetur ſummum illud ſtudium, quo ferri debemus ad voluntatem Dei cognoſcendam, tanquam ad rem aliquem inveniendam, qua non poſſumus ullo modo carere. *Eſa.* 58. 2. *Vtut me quotidie requirant, & ſcientia viarum mearum deleſtentur; velut gens quæ juſtitiam facit, & jus Dei ſui non dereliquit, rogent me jura juſtitiæ, acceſſu Dei delectentur.*

9. In hac attentione illa opus eſt prudentia, qua diſcernere poſſimus, quid illud ſit quod Deus velit. *Rom.* 12. 2. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei, bona illa placens & perfecta.* Quod cum percipitur, non eſt ulterius deliberandum an bonum ſit, aut obſervandum nec ne: ipſa enim Dei voluntas eſt ultimus terminus inquiſitionis omnis religioſæ. *Gal.* 1. 15, 16. *Quando libuit Deo revelare filium ſuum in me, —— non contuli cum carne & ſanguine.*

10. Intentio eſt applicatio voluntatis noſtræ, ad voluntatis Dei jam perceptæ religioſam obſervationem. *Pſal.* 119. 106. *Juravi quod præſtabo, me obſervaturum jura juſtitiæ tuæ.*

11. Intentionis propoſitum tam fortè ac firmum eſſe debet, ut ſine ulla exceptione paratiſſimus obſervare quicquid Deus juſſerit. *Jer.* 42. 5, 6. *Sit Jehova nobis teſtis verus & fidus, niſi prorſus*

ſecundum

ſecundum verbum cujus cauſa miſcrit te Iehova ad nos, ita fecerimus Sive bonum, ſive malum fuerit, voci Iehovæ Dei noſtri auſcultabimus.

12. Ratione ejus intentionis, lex ipſa Dei dicitur eſſe in corde hominis fidelis. *Pſal.* 40.9. & 119.11. *Ier.* 31.33. *Heb.* 8.10.

13. Auditio hæc ut rectè ſe habeat, debet eſſe religioſæ obſervantiæ, ſubiectionem inferens interiorum actuum & inclinationum animi. *Rom.* 6. 17. *Ex corde auſcultaſtis ei formæ doctrinæ cui eſtis traditi.*

14. Vt ſit autem verè religioſa, requiritur in primis, ut oriatur ex fide, qua veritatis verbum eſſe credimus quod Deus nobis revelat, & congruenter etiam erga illud afficimur. *Hebr.* 4. 2. *Non profuit illis auditus ſermo, ut qui fide contemperatus non fuerit apud illos qui audierant.* Luc. 24. 32. *Nonne cor noſtrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis?*

15. Per iſtam fidem nos inhæremus verbo. *Pſal.* 119. 31. Et verbum ipſum inhæret atque inſeritur nobis ad ſalutem. *Iac.* 1.21. *Inſitum ille ſermo.*

16. *Secundo*, eadem auditio fluere debet ex ſpe illa, qua tanquam verbum vitæ amplectimur quod Deus promittit, ex eo etiam vitam exſpectantes. *Deut.* 32.47. *Ioh.* 5.39. *Eſt vita veſtra. Vos videmini vobis in iis vitam æternam habere.*

17. Hac ſpe efficitur, ut fructum proferant fideles cum patientia. *Luc.* 8.15.

18. Similiter & charitatem debet habere conjunctam, qua eidem verbo, vel Deo in illo verbo ſemetipſum nobis revelante, ut ſimpliciter bono adhæremus. *Pſal.* 119. 97. *Quam diligo legem tuam?*

tuam ? 2. Theſſ. 2, 10. Non receperunt amorem veritatis, ut ſalvi fierent.

19. Ratione hujus charitatis, verbum Dei copiosè habitat in fidelibus. *Col. 3. 16.* Ita ut transformentur etiam in ejus formam ac figuram. *Rom. 6. 17.*

20. Hujuſmodi auditio verbi Dei eſt verus ac proprius Dei cultus. 1. Quia immediatè ac directè Deo defert ſpiritualem honorem; quamvis enim auditionis actus maximè propriè dirigatur ad noſtram receptionem voluntatis divinæ, quia tamen in modo recipiendi conſcientias noſtras ſubjicimus Deo, idcirco deferimus ipſi honorem illum poteſtatis ac veracitatis divinæ, in cujus agnitione religioſus ejus cultus exercetur. 2. Quia directum & immediatum exercitium continet fidei, ſpei & charitatis, in quibus cultus Dei maximè eſſentialiter conſiſtit.

21. Hinc nullum verbum ac ſententia humana miſceri debet verbo divino, ac eodem modo cum illo proponi, ne iſthoc pacto colamus aliquo modo homines Dei loco.

22. Auditioni huic maximè formaliter opponitur ſuperbia illa, qua quis ſic propriam ſuam excellentiam affectat, ut non velit ſubjici Dei voluntati. Quamvis enim iſta ſuperbia repugnet humiliiati religionis, & obſervantiæ, vel obedientiæ in genere, illis tamen in iſthoc religionis actu maximè propriè videtur adverſari: quia homo ſuperbus, qua talis, adeo alienus eſt à ſemetipſo ſubjiciendo alterius voluntati, tanquam legi, ut ſuam propriam voluntatem velit eſſe loco legis. *Ierem. 13. 15. Audite & auribus percipite, ne exaltetis vos: nam Iehova loquitur.*

Ier.

Ier. 5. 5. *Fregerunt jugum, diruperunt vincula.*

23. Superbiæ hujus quasi proprius actus est contemptus ille, quo quis vel Deum vel Dei voluntatem & ejus observationem nihili faciti 2. *Sam.* 12. 9. *Quare sprevisti verbum Jehovæ, faciendo quod malum videtur in oculis ejus?*

24. Hinc duplici causa superbia dicitur causa omnium aliorum peccatorum. 1. Quia omnia alia peccata referuntur aliquo modo ad excellentiam illam, quæ in superbia spectatur, tanquam ad finem. 2. Quia superbia per contemptum abjicit à sese imperium verbi, cujus virtute sola cavetur peccatum.

25. Hinc in omni peccato aliqua ratio superbiæ invenitur, præcipuè vero in ijs quæ ex deliberato consilio committuntur.

26. Hinc etiam auditioni verbi opponitur consultatio omnis cum mundo, carne aut cartis prudentia, in ijs quæ pertinent ad religionem. *Rom.* 8. 7. *Gal.* 1. 16.

27. Sicut enim per superbiam recusant plànè homines subjicere sese Dei voluntati: Sic per istas consultationes eorum quæ sunt à Deo aliena, quærunt sibi quasi alios Deos, quibus possint sese subjicere.

28. Maximè execrabilis oppositio ad auditionem verbi Dei, est in consultatione diaboli. *Esai* 8. 19. *Deut.* 18. 11, 12, 13, 14, 15. Vbi fides & spes quædam religiosa Deo soli debita, vel explicitè vel implicitè in Dei hostem transfertur.

29. Hinc est quod fides imprimis postulari soleat in hujusmodi consultationibus, ab ijs qui talium artium sunt magistri.

30. Fidei hujus vi, fœdus quoddam si non aperte,

apertè, & expreſsè, tacitè ſaltem & implicitè, initur cum Diabolo, cum quadam religione.

31. Quamvis autem non habeat quis intentionem directam Diabolum conſulendi, ſi tamen id faciat, quod vel ex natura ſua, vel ex uſu & applicatione quam habet, compellationem infert diaboli, ad ejus auxilium vel conſilium recipiendum; particeps ille fit ejuſdem peccati.

32. Artes igitur omnes diaboli inſtinctu introductæ, ad arcana cognoſcenda, ſunt iſta ratione damnandæ.

33. Damnanda eſt igitur omnis divinatio, quæ nec nititur certa Dei revelatione, nec naturæ curſu in rebus creatis à Deo inſtituto.

34. Damnanda eſt omnis applicatio rerum aut verborum, vel ad prædicationes, vel operationes illas, ad quas, neque ex natura ſua, neque ex inſtitutione Dei ullam habent diſpoſitionem.

35. Quatenus auxilium diaboli iſtiuſmodi rationibus quæritur, continent in ſeſe invocationem quandam ejus, & ſic opponuntur invocationi Dei; ſed quatenus revelatio quædam exſpectatur, aut ſubmiſſio animi adhibetur ad ejus juſſa recipienda & exequenda, eatenus opponuntur auditioni verbi divini.

36. Communio iſta cum Diabolo igitur non eo tantum nomine eſt illicita, quia cum fraude & ſeductione conjungitur, ſed etiam quia ex natura ſua pugnat cum vera religione.

37. Cum diabolo enim civilem communionem aut ſocietatem non habemus: religioſam non poſſumus habere, ne quidem ut cum bonis Angelis habuerunt quidem olim, qui ſunt

ſpiritus

ſpiritus miniſtrantes in noſtrum bonum à Deo in illum finem legati.

38. Quicquid igitur cum diabolo agimus, præter illa quæ pertinent ad ipſi reſiſtendum, tanquam hoſti animarum noſtrarum, ſpectat illud ad religionis veræ violationem, & eſt religio quædam perverſa.

39. Si videatur aliquandò ſubjici hominum imperio, virtute quarundam incantationum, eſt illa ſimulatio tantum ſubjectionis, ut illa ratione facilius poſſit hominibus imperare: non impedit igitur, ſed fucat ſolum ſubjectionem illam religioſam, quæ ipſi ab hominibus in illa communione præſtatur.

40. Cum hujuſmodi peccatis communicant ex parte, omnes illi qui vocibus, figuris, & ſimilibus rebus nullus idoneæ virtutis, morbos vel in alijs curare ſatagunt, vel in ſe ac ſuis in illum finem talia admittunt.

41. Sympathiæ & antipathiæ, ſpecificæque virtutes quæ in quibuſdam rebus inveniuntur, ab hujuſmodi incantationibus ex eo diſcernuntur: quod illis experientia communis omnium hominum ſuffragatur, in iſtis fides aliqua poſtulatur; in illis nulla.

42. Fortis imaginatio in multis forſan concurrit ad efficaciam talium mediorum; ſed illa etiam ſæpe ex religioſa quadam fide exoritur; neque quidquam efficere poteſt, in parentibus pro liberis, aut in hominibus pro pecudibus, ſine diabolica quadam operatione concomitante

43. Qui maximè ſunt dediti auditioni verbi Dei, illi ut minimè curant hujuſmodi artes, ſic minimè fructum ex ijs percipiunt.

CAP.

CAP. IX.

De Oratione.

1. *ORatio eſt voluntatis noſtræ religioſa repræſentatio coram Deo, ut illa Deus quaſi afficiatur.*

2. *Eſt religionis actus*, quia ex natura ſua defert illi, qui oratur, ſcientiæ, potentiæ, ac bonitatis illam ſufficientiam & efficientiam, quæ propria eſt Dei.

3. Hinc ad alium neminem, præterquam ad Deum ſolum, dirigi poteſt, ſine manifeſta idololatria.

4. Oritur primò ex *fide*. Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderint?* Illa nempè, qua credimus Deum, primo, eſſe omniſcium, qui cuncta noverit, atque adeo internos noſtrorum cordium affectus ac motus; in ijs enim præcipuè orationis eſſentia conſiſtit: ſecundo, eſſe omnipotentem, qui poſſit facere quod velit in deſiderijs noſtris implendis: tertio, eſſe authorem ac largitorem omnis boni: quarto, probare & gratam habere noſtram orationem propter Chriſtum.

5. Hinc omnes orationes noſtræ offerendæ ſunt Deo, in nomine ac mediatione Chriſti, virtute fidei juſtificantis. *Joh.* 14. 13, 14. & 16. 23. *Quæcunque petieritis à Patre in nomine meo.*

6. Oritur etiam ex *ſpe* illa, qua fructum optatum ex precibus noſtris exſpectamus à Deo. *Rom.* 8. 23, 26. *Suſpiramus, adoptionem expectantes. Spiritus intercedit pro nobis ſuſpirijs inenarrabilibus.*

7. Oritur

7. Oritur denique ex *Charitate*, qua bonitatem Dei cupimus & participare & celebrare. *Psal.* 34. 4, 9. *Magnificate Iehovam mecum, & extollamus nomen ejus pariter. Gustate & videte bonum esse Iehovam: beatus vir ille qui se recipit ad eum.*

8. Hinc Charitas etiam erga proximos necessario requiritur ad orationem Deo gratam. *Orat. Dom. petit.* 5.

9. Differt oratio ab auditione verbi quod auditio versatur circa voluntatem Dei, Oratio vero circa voluntatem nostram: in auditione verbi nos voluntatem Dei recipimus, in Oratione vero nostram voluntatem offerimus Deo, ut ab ipso recipiatur.

10. Non est autem simplex voluntas aut desiderium, sed repræsentatio voluntatis, aut voluntas exhibita & repræsentata coram Deo. Non enim sufficit ad orationem, ut aliquid cupiamus habere, sic enim homines prophani, quia maximè cupiunt habere, maximè etiam orarent, sed requiritur etiam desiderium illud à Deo obtinendi, & voluntas idem apud ipsum quærendi, actum demum hujus desiderij repræsentatio vel insinuatio coram Deo.

11. Hæc autem repræsentatio primo & essentialiter fit in ipsa voluntate, quatenus ad Deum conuersa per actum quasi protensum ipsi repræsentat suam inclinationem vel desiderium.

12. Hinc preces piorum vocantur in Scripturis *desideria*. Psal. 10. 17. *& suspiria inenarrabilia*. Rom. 8. 26.

13. Secundo in loco, & per modum signi, repræsentatio hæc fit ab intellectu, quatenus verbum

verbum internum concipiens, exprimit coram Deo voluntatis affectus.

14. Hinc preces fidelium appellantur etiam *verba* ac *sermones*, quibus Deum alloquuntur non externè, primò, & præcipuè, sed internè. *Hos.* 14. 2. *Sumite vobiscum verba, & revertimini ad Jehovam: dicite ei: Condona, &c.*

15. Oratio igitur formaliter est actus voluntatis; simul tamen ad eam requiritur & *antecedens* actus mentis, quo *quid*, *à quo*, *pro quo*, & *quomodo* sit orandum intelligimus; & *consequens*, quo orationem ipsam concipimus & exprimimus verbo quodam mentis.

16. Hinc una cum intentione vel actu voluntatis *attentio* etiam requiritur in oratione, & ad Deum quem oramus, & ad rem de qua eum oramus, & etiam ad orationem ipsam; non enim spiritu tantum, sed intelligentia etiam debemus orare. 1. *Cor.* 14. 15. *Orabo spiritu, sed orabo etiam intelligentia.*

17. Hæc repræsentatio debet esse *submissa* & *humilis*; alias enim non esset precatio religiosa à creatura subdita, ad supremum Numen & Creatorem directa, sed vel imperium superioris erga inferiorem, vel quasi familiaris collocutio, qualis est inter æquales. *Gen.* 18. 27. *Ecce nunc cupiens alloqui Dominum, tametsi ego sim pulvis & cinis.* Psal. 95. 6. *Venite incurvemus nos, & procumbamus, flectamus genua coram Iehova qui fecit nos.*

18. Generalis *finis* orationis est, ut Deum quasi afficiamus aut commoveamus; unde est, quod fideles dicuntur precibus quasi potentia valere apud Deum. *Gen.* 32. 28. *Hos.* 12. 4, 5. & quasi certare. *Rom.* 15. 30.

19. Quam-

LIBRARY PALACE LAMBETH

19. Quamvis enim ab ipsa veritate non sit aliena differentia illa, quam nonnulli statuunt inter preces illas, quæ ad homines diriguntur, & illas, quæ Deo exhibentur; quod qui homines orant, illos quos orant afficiunt, & aliquo modo disponunt ad id quod volunt; sed qui Deum orant, non tam Deum quam semetipsos afficiunt, ac disponunt ad illa quæ volunt: sic tamen Deo visum est orationis vim & efficaciam nobis commendare ut eadem se affici & quasi commoveri declaret; quia scilicet oratio nostra est medium quo intercedente, & non aliâs, Deus vult nobis multa communicare; undè etiam, qui aliquid à Deo precantur, dicuntur subsidiariam operam conferre ad illud efficiendum. 2. *Cor.* 1. 11.

20. Non enim id circo Deum oramus, ut illi nescienti nota faciamus desideria nostra, qui intelligit semper *è longinquo*. *Psal.* 139. 2. id est, cum nondum insederint animis nostris: neque ut eum antea nolentem in nostram sententiam flectamus, apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio, *Iacob.* 1. 17. sed ut, quod credimus, eum velle, oratione nostra ab ipso impetremus, 1. *Iob.* 5. 14. *Hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem ejus, nos audire.*

21. Hinc firmitas & immutabilitas providentiæ divinæ non tollit, sed stabilit preces fidelium, & certissima ejus apprehensio per fidem, veros fideles non segnes reddit, sed excitat magis ad orandum. 1. *Chron.* 17. 25, 26, 27. *Tu Deus mi, revelasti in aurem servi tui te ædificaturum ipsi domum: idcirco judicavit servus tuus orandum esse coram te, &c.*

22. Hinc

22. Hinc etiam orare debemus *instanter* & *continuò*. Instanter, quoniam oratio nostra est medium necessarium ad Dei gloriam, & nostrum bonum. Continuò, quia talis voluntatis dispositio nunquam est abjicienda, & actus ejus etiam quotidie est exercendus, prout occasio nobis offertur.

23. Orationis adjuncta sunt *confessio* & *promissio* Deo facta: hæc duo enim semper in omni oratione Deo grata, & in singulis ejus partibus, vel expressè, vel implicitè adhibentur.

24. Quia enim oratione confugimus ad Dei misericordiam tanquam ad fontem omnis boni nobis vel communicandi vel communicati, eo ipso facto confitemur nos in nobismetipsis esse miseros & omni bono destitutos; quia etiam Deum nostris votis quasi afficere conamur, & commovere, idcirco etiam Deo nostros animos congruenter affectos circa easdem res profitemur, & in futurum afficiendos pollicemur, neque possunt hujusmodi affectiones à precibus nostris abesse, sine illusione quadam Dei.

25. *Confessio* est humilis & pœnitentialis agnitio culpæ, reatus, & miseriæ nostræ. *Psal.* 32. 5.

26. Finis & usus hujus confessionis est, primo, ut Deus justificetur, & gloriam habeat in suis judicijs. *Psal.* 51. 6. secundo, ut nos disponamur ad gratiam Dei obtinendam. *Psal.* 3. 25. tertio, ut gratia concessa magis illustretur.

27. Modus est varius pro varietate peccatorum. *Ignota* enim generaliter sunt confitenda, *Psal.* 19. 13. *Nota* vero specialiter etiam pro cujusque natura & gravitate, *Hezræ.* 9. 14.

28. *Promissio* in oratione requisita, est testi-

ficatio propoſiti orationi convenientis.

29. *Propoſitum* hoc, eſt determinatio voluntatis ad illud ſerio conatu proſequendum, quod Deum oramus, ut fiat. *Pſal.* 119. 106. 112. *Comp. cum ſeqq. Verſibus.*

30. Proſequimur autem illud, quod oramus, & medijs illis, quæ ſua natura ſunt ad illum finem neceſſaria, & alijs etiam, quorum determinatio ex circumſtantijs contingentibus, & electione noſtra dependet.

31. Poſterioris generis promiſſio, diſtinctè & ex deliberato conſilio Deo facta, per appropriationem quandam dicitur *votum.*

32. Hinc votum omne debet eſſe, primo, rei neque impoſſibilis, neque ſimpliciter neceſſariæ, ſed quæ liberè per Dei gratiam ordinariam præſtari poteſt ad arbitrium noſtrum: ſecundo, neque rei malæ, neque vanæ, ſed quoad omnes circumſtantias legitimæ ac bonæ; tertio, ad Deum ſolum referri debet, ut objectum cui vovemus; & ad ejus honorem, ut finem primarium, quamvis ad noſtram, & aliorum & ædificationem & uſum poſſit ordinari.

33. Oratio *quoad modum*, eſt vel *brevis ejaculatio deſiderij*, ubi mens aut non penitus, aut non diu vacat orationi. *Pſal.* 129. 8. *Nehem.* 2. 4. vel *continuata ſeries orandi.*

34. Illa frequentior eſſe debet, ut quæ ordinarijs negotijs non poteſt impediri; hæc autem ſtatis temporibus, ut ſolemnior, & non admittens aliarum cogitationum diſtractionem.

35. Vtraque autem eſt vel *mentalis*, vel *vocalis.*

36. *Mentalis* eſt, quæ in voluntate, mente, & affectu

affectu perficitur ſine ullo ſigno ex deſtinato conſilio adjuncto. *Nehem.* 2.4.1. *Sam.* 1.13.

37. *Vocalis* eſt, quæ internum animi deſiderium verbis etiam expromit. *Heſ.* 14.2.

38. Vox in oratione ſæpè eſt neceſſaria ad internum animi affectum exprimendum, excitandum, continuandum & augendum: quamvis enim affectus antecedere debet vocem, & vox affectui conformari; dum tamen voce religioſe exprimitur, reflectionem quandam habet in ipſum animum, ex quia magis accenditur, & vires majores acquirit. Eſt etiam vox ſuo modo neceſſaria, ut corpus una cum anima in hac religionis parte poſſit exerceri.

39. Hic igitur neque ſermo uſurpandus eſt, quem orans non intelligit, & quo ſuos conceptus exprimere non poteſt; talis enim repetitio verborum ignotorum non eſt propriè ſermo humanus, quia non magis formatur ab internis conceptibus, quam verba illa, quæ à pſittaco nonnunquam proferuntur, atque adeo non poteſt diſtinctè exprimere internos animi affectus, in quibus oratio primario conſiſtit.

40. Neque etiam prolixus debet eſſe ſermo, aut eadem ſæpius repetens. *Matth.* 6. 7. niſi id fiat ex abundantia cordis; tum enim neque longæ preces, neque repetitiones variæ ſunt vanæ aut inanes; ſed maximè Deo gratæ, ut apparet ſatis ex probatis exemplis orationum iſtiuſmodi quæ in Scripturis commemorantur.

41. Neque denique talis cura habenda eſt verborum, quæ ulla ex parte minuere poſſit attentionem debitam, vel ad Deum, vel ad rem

ſubjectam, vel ad affectum animi internum.

42. In oratione vocali, ſi ſit ſolennis, *geſtus* etiam illi requiruntur, qui Dei majeſtatem, noſtram vilitatem, & rei ipſius naturam decent.

43. Oratio vocalis, eſt vel in *proſa* vel in *Metro*.

44. In metro *cantus* eſt conjunctus, atque idcirco majora debet eſſe cura ſermonis & toni quàm in proſa.

45. Cantus autem *melodia* inſtituitur ad ſpiritualem quandam delectationem, qua animus detinetur in meditatione rei cantatæ.

46. Hic enim magis diſtincta meditatio intercedit inter verba & cordis elevationem, quam in alijs orationibus, ita ut proximus & immediatus fructus Pſalmi cantati ſit ædificatio noſtri in fide & obſervantia.

47. Quia tamen ſimul & conſequenter ad rem cantatam elevatio cordis ad Deum requiritur, & finis etiam eſt illius meditationis: idcirco canere dicimur in corde noſtro, Domino. *Col.* 3. 16. & Pſalmi cantati habent rationem precum.

48. Quia autem religioſa iſta melodia habet rationem precum; idcirco minus conſentaneum eſt, ut *Decalogus*, & alia ſimilia, quæ orationis naturam non participant, vertantur in metrum, & loco Pſalmorum cantentur.

49. Quia vero cantus immediatè ſpectat ad noſtram ædificationem, & etiam lætitiam quandam ſpiritus, ſua natura præ ſe fert, *Iacob.* 5. 13. Idcirco ijdem planè geſtus corporis in iſtiuſmodi exercitijs non requiruntur, qui alijs precibus conueniunt.

50. Oratio,

50. Oratio, ſecundo, eſt vel *ſolitaria* vel *cum alijs*.

51. In illa, quæ cum alijs habetur, ſi proſa fiat, præit unus voce, & reliqui ſubſequuntur affectu, & fide, quam in fine declarare debent dicendo *Amen. Nchem.* 8. 7. 1. *Cor.* 14. 16.

52. Hinc *alternatio* precum per antiphona; partium *diſtributio* inter miniſtrum & populum; & *repetitio* verborum à miniſtro propoſitorum ſubſequenti voce populi, non eſt approbanda.

53. In cantus autem melodia, quia facit ad mutuam noſtram ædificationem, attentionem, & affectus pios inter nos invicem excitandos, *Col.* 3. 16. Idcirco ſimul omnes conjungunt voces. 1. *Chron.* 16. 35. *Marc.* 14. 26.

54. In iſtis orationibus, quæ habentur cum alijs, ille ſermo debet uſurpari, qui ab alijs intelligitur. 1. *Cor.* 14.

55. Hinc fracta illa *Muſica*, quæ intelligentiam excludit, abeſſe debet à ſacris exercitijs pietatis, ſaltem quæ cum alijs habemus.

56. Orationis ſpecies duæ ſunt, *Petitio* & *gratiarum actio*. Phil. 4. 6. *In omni re, precibus & deprecatione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

57 *Petitio* eſt, oratio de eo quod deeſt, ut impetremus. *Math.* 7. 7. *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.*

58. Deeſt ſemper quod petitur, vel ex toto, vel ex parte, vel in ſeſe, vel in ſenſu noſtro, vel denique quoad actum, vel quoad continuatam ejus durationem.

59. Hinc inopiæ ac indigentiæ noſtræ ſenſus, una cum ſufficientiæ apprehenſione, qua

noſtra inopia poſſit elevari, neceſſario requiritur ad petitionem rectè inſtituendam.

60. Virtus & efficacia petitionis non eſt in merendo, aut ſatisfaciendo, ut Pontificij volunt, ſed in impetrando tantum.

61. Impetrare propriè eſt medij vim habere, ad boni aliquid gratuito ab alio obtinendum.

62. Quamvis igitur omnia opera bona, vel omnis obſervantia, qua fluit à fide, vim aliquam habet benedictiones à Deo impetrandi, virtute promiſſionis illius, qua gratuitam mercedem ijs conſtituit; undè & opus bonum à quibuſdam dicitur, quamvis admodum impropriè, oratio realis, à vocali & mentali diſtincta: petitio tamen ſpeciali ratione impetrat, non tantum qua eſt primaria pars obſervantiæ, ſed etiam quia propria ſua natura habet hunc finem & uſum, quatenus formalis actus eſt fidei & ſpei, quibus omnia bona recipimus à Deo.

63. Hæc autem impetratio non propriè reſpicit juſtitiam Dei, ſed miſericordiam & benignitatem ejus.

64. Hinc omne bonum quod petimus, non ex juſtitiæ, ſed ex gratiæ manu recipimus.

65. Petitio quia maximè formaliter fluit ex fide ac ſpe, idcirco eadem ratione circa bona petenda verſatur, qua virtutes illæ verſantur circa ſua objecta ſecundaria, id eſt, bona illa quæ apprehendunt à Deo nobis communicanda.

66. Hinc illa ſola ſunt abſolutè petenda, quæ neceſſaria ſunt ad Dei gloriam & noſtram ſalutem: cætera verò cum tacita ſubjectione ad Dei ſapientiſſimam diſpoſitionem.

67. Hinc & modus, & tempus particulare hæc aut

aut illa nobis communicandi, non debet à nobis in precibus noſtris Deo præſcribi: ut feſtinanter tamen audiat, fas eſt Deus orare. *Pſal.* 102.3. *Feſtinanter exaudi me.* Quia hoc facere promiſit. *Luc.* 18. 8. *Vindicabit eos cito.* Feſtinationis autem opportunitatem definire, non eſt noſtrarum partium.

68. Quia verò petitio fluit etiam ex charitate, hinc illa maximè ſunt exoptanda, & precibus roganda, quæ maximè faciunt ad gloriam & bonitatem Dei celebrandam.

69. Hinc etiam non pro nobis tantum petimus, ſed pro alijs etiam omnibus, qui nobiſcum vel ſunt, vel poſſunt eſſe participes ejuſdem bonitatis divinæ. 1. *Tim.* 2. 1, 2, 3.

70. Patriarchæ & prophetæ in ſuis benedictionibus, non ſolum benè precabantur, vota ſua proferentes, ſed etiam benè promittebant in nomine Dei; verba Hebraica utrumque ſolent continere; *det* vel *dabit* Deus. *Gen.* 27. 30.

71. Quamvis igitur non liceat pro defunctis peculiariter orare: quia neque præceptum, neque exemplum in Scripturis laudatum, neque denique uſum aut finem ullum habet talis oratio: nec pro omnibus & ſingulis viventibus collectivè orandum ſit ut ſalvi fiant; quia contrarium novimus à Deo ſtatutum; neminem tamen viuentem in particulari debemus omnino rejicere ab orationis noſtræ communione; neque propter inimicitiis, neque propter conjecturas aut probabilia ſigna reprobationis.

72. Petitio duplex eſt ſecundum rationem objecti, vel rei quæ petitur: eſt enim vel *appreca-tio*, vel *deprecatio*. *Phil.* 4. 6.

73. *Apprecatio* est petitio de rebus bonis communicandis.

74 *Deprecatio* est petitio de rebus malis amovendis. *Interpellatio* quæ hisce duabus adjungitur, 1. *Tim.* 2. 1 est peculiaris modus deprecationis, cum scilicet malum illud quod amoveri cupimus, ponitur in injuria quadam ab hominibus illata.

75. Ad deprecationem pertinent *querelæ* & lamentationes, tanquam ejus adjuncta.

76. *Querela* est doloris nostri significatio de miserijs prout ab hominibus per injuriam immittuntur.

77. Querelis istiusmodi adjungitur aliquando imprecatio, qua mali aliquid optamus ijs, qui sunt authores mali. Hæc autem ordinariè non ulterius est licita, quam ut habet vim deprecationis, ad malum aliquod gravius removendum, per illud malum quod ipsis optamus; imprecationes autem propheticæ fuerunt etiam prædictiones.

78. *Lamentatio* est doloris nostri significatio de miserijs illis, prout à Deo immittuntur.

79. Deprecationi aliquando accedit *jejunium*, tanquam adjunctum externum.

80. *Iejunium*, est abstinentia à vitæ hujus adjumentis & solatijs, qua humilitas ostenditur quasi in reali confessione, & nos aptiores reddimur ad preces efficaciores habendas. 1. *Cor.* 7. 5. *Ioel.* 1. 14, 15, 17. *Dan.* 9. 2, 3.

81. Hinc jejunium per se consideratum, non est opus bonum, & pars obedientiæ nostræ erga Deum, sed quatenus disponit nos ad preces liberiores, ardentiores, & magis continuatas habendas.

82. Hinc

82. Hinc etiam idem jejunandi modus, ac tempus non eſt omnibus & ſingulis æqualiter utile aut neceſſarium.

83. Hinc denique illa jejunandi ratio eſt maximè religioſa, quando totus animus ita attentus eſt ad Deum quærendum, ut eo ipſo avocetur ab illarum rerum cogitatione & cura, quæ ſpectant ad vitam præſentem.

84. *Gratiarum actio* eſt oratio de ijs quæ accepimus, ut honor eorum Deo tribuatur. *Pſal.* 50. 15, 23. *Eripiam te ut honore afficias me. Qui ſacrificat laudem, honore afficit me.*

85. Eſt oratio vel precatio non minus quam petitio; quia dum gratias Deo agimus, voluntatem noſtram cum ſubmiſſione religioſa coram Deo repræſentamus, ad ipſum quaſi afficiendum aut commovendum; quamvis non eo fine propriè, ut nos aliquid à Deo accipiamus, ſed potius ut aliquid acceptum ipſi referamus.

86. Eſt maximè propriè de ijs quæ accepimus: quia beneficij ſenſu debemus prius affici, quam poſſumus ejus nomine gratias agere Deo.

87. Gratiæ tamen agendæ ſunt non tantum de ijs, quæ actu & reipſa accepimus, ſed etiam de illis, quæ fide & ſpe apprehendimus; partim quia ipſa promiſſio harum rerum eſt beneficium, quod aliquo modo jam dicitur conferri; & partim quia res ipſæ promiſſæ cum illa certitudine apprehenduntur, ut afficiant animum tanquam res præſentes.

88. Pertinet tamen ad gratiarum actionem illa etiam celebratio laudum Dei, quæ verſatur circa illas perfectiones, quæ in Deo ipſo ſunt, & in operibus ejus elucent, ſed cum reſpectu quo-

dam ad illa, quæ accepimus, quatenus nempè perfectiones illæ ſunt argumenta, vel bonum quod accepimus illuſtrantia, vel communicationem ejus confirmantia. *Apoc.* 4. 8, 9. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ille omnipotens. — tribuebant illa animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem ei qui throno inſidebat.*

89. Hinc ad gratiarum actionem rectè inſtituendam, requiritur. 1. Cognitio benedictionum Dei. 2. Applicatio earum ad noſmetipſos per fidem ac ſpem. 3. Iuſta illarum æſtimatio, una cum affectu congruente.

90. Finis proprius gratiarum actionis eſt, honorem Deo tribuere eorum quæ accepimus. *Pſal.* 50. 15. Si enim de bonis, quæ accepimus ita cogitemus, ut vel in ipſis acquieſcamus, vel in nobiſmetipſis gloriemur, vel ſecundis cauſis tantum adſcribamus, gratiarum actio corrumpitur.

91. Hinc gratiarum actio eſt ſecundarius finis omnis petitionis religioſæ: qui enim rectè aliquid petit à Deo, non idcirco tantum petit ut accipiat, nedum ut in voluptates inſumat. *Iac.* 4. 3. Sed ut acceptum referatur denuo ad gloriam Dei qui dedit. 2. *Corinth.* 1. 11. *Una conferentibus ſubſidiariam operam etiam vobis, per deprecationem pro nobis, ut donum ex multis perſonis in nos collatum per multos celebretur gratiarum actione pro nobis.*

92. Hinc in omni petitione vel expreſsè vel implicitè promittitur gratiarum actio, de illo beneficio quod petitur.

93. Hinc etiam nobilior in ſeſe, & perfectior eſt gratiarum actio, quam petitio, quia in petitione

tione ſæpè bonum noſtrum ſpectatur, ſed in gratiarum actione Dei honor tantum.

94. Hinc Angelis & ſpiritibus beatis gratiarum actio magis tribuitur in Scripturis, quam petitio.

95. Per iſtum actum dicimur non tantum *laudare* & *celebrare* Deum, ſed etiam *extollere, benedicere, magnificare, glorificare*, & ſimilia, quæ omnia ſic ſunt intelligenda, ut declarationem denotent ſolam, non realem aliquam affectionem eorum quæ præ ſe ferunt.

96. Cum gratiarum actione, ſi ſolennior ſit, conjungi debet aliquando hilaris ſolennitas. *Eſth.* 9. 19. Sic ut enim jejunium in deprecatione gravioris mali, humiliationem noſtram & reddit majorem, atque etiam teſtatur; ſic in lætitia ſolenni de ſingulari bono nobis communicato, hilaritas externa, ſi modo ſit moderata & intra limites temperantiæ, eandem & majorem reddit, & magis teſtatam.

97. Mala qua mala, neque petitionis, neque gratiarum actionis poſſunt eſſe objectum. Afflictiones tamen, qua à Deo ita diriguntur, ut cooperentur in noſtrum bonum, utramque rationem poſſunt ſubire.

CAP. X.

De Iuramento.

1. PEtitionis modi duo ſunt ex occaſione adhibendi, qui propter humanam infirmitatem ſunt introducti, *Iuramentum & ſors*.

2. Quia autem iſti duo modi ex occaſione tali

ſunt

sunt introducti, idcirco non debent usitatè frequentari, sed tum tantum adhiberi, cum necessitas humana flagitat, & gravis ac justa causa subest.

3. *Juramentum est petitio divini testimonij ad nostri testimonij veritatem confirmandam.* Heb. 6. 13, 16. *Homines per eum jurant qui est major: atquè ysdem omnis controversiæ terminus est jusjurandum ad confirmationem adhibitum.*

4. Iuramentum factum est necessarium post lapsum generis humani, quia homo per peccatum perdidit & fidem illam, quæ testimonio suo simplici adhiberi debebat, & illam etiam, quam aliorum testimonio debuit adhiberi.

5. Infirmitas illa humana, in fide aliorum testimonijs adhibenda, tanta est, ut Deo etiam ipsi aliquo modo necessarium fuerit demittere sese ad sua testimonia jurisjurandi formula confirmanda. *Heb.* 6. 13, 17. Quod *ex abundanti* fuit respectu fidelitatis divinæ, sed non respectu humanæ infirmitatis.

6. Deus tamen, cum non habet majorem quenquam aut judicem superiorem, *Hebr.* 6. 13. non potest propriè jurare, sed metaphoricè hoc ipsi tribuitur: quia omnis illa perfectio confirmationis, quæ in humanis juramentis reperitur, perfectissimè convenit testimonijs illis Dei.

7. Merito autem *Dei testimonium invocatur ad veritatem confirmandum*; quia ille est summa veritas, qui nec fallere nec falli potest. *Heb.* 6. 18. *Fieri non potest ut mentitus sit Deus.*

8. Hinc in juramento religionis cultus Deo tribuitur, quatenus & veritatis author agnoscitur, & omnium nostrarum cogitationum conscius,

ſcius, ut cujus oculis nuda & aperta ſunt, quæ omnibus creaturis ſunt maximè arcana, & veritatis falſitatiſque remunerator, atque rebus omnibus admirabili providentia conſulit, ut Deus vivus. *Deut. 6. 13. Ichovam Deum tuum timeto, & ipſum colito, ac per nomen ejus jurato.*

9. Hinc per nullam creaturam jurare licet, ſed per Deum ſolum, qui ſolus eſt omniſcius, ſolus legiſlator & remunerator eorum, quæ pertinent ad conſcientiam, & ſolus denique religiosè colendus. *Math. 5. 34, 35, & 23. 21, 22. Iacob. 5. verſ. 12.*

10. Iuramenti tamen ratio tota non eſt propriè cultus Dei: quia non tendit directè ad honorem Deo tribuendum, ſed ad veritatem confirmandam: ſed petitio illa quæ in juramento adhibetur, eſt cultus: atque illa ratione *jurare per verum Deum* notat aliquando in Scriptura *cultum verum*, Deut. 6. 13. Eſa. 48. 1. *& ipſum juramentum* ſolet appellari cultus.

11. In iſta petitione divini teſtimonij ille, qui jurat, vindictæ vel maledictioni divinæ ſemetipſum ſubjicit, ſi falſum teſtimonium det, id eſt, ſi ſciens fallat. Hinc in omni juramento vel expreſsè vel implicitè imprecatio aut execratio continetur. *Nehem. 10. 30. 2. Cor. 1. 23. Ineuntes exſecrationem, & juramentum, Teſtem Deum invoco in meam animam.*

12. Hinc illa formula jurandi, quæ in V. T. frequenter occurrit, *Sic faciat mihi Deus, & ſic pergat facere:* quibus verbis imprecatio generalis vel indefinita continetur, ut mali infligendi ratio Deo Iudici committatur.

13. Religio igitur juramenti tanta eſt, ut nullam

nullam admittit æquivocationem, aut mentalem reſervationem: quæ in luſu aut joco leviore ſuum uſum poſſunt habere, ſed in religioſo Dei cultu ſine impietate magna non poſſunt adhiberi. Hoc enim nihil aliud eſt quàm Dei judicium ludibrio habere.

14. Hinc etiam nulla propriè dicta relaxatio, commutatio, vel diſpenſatio, & abſolutio à juramento poteſt ab homine provenire: quamvis nonnulla juramenta, quæ vel ab initio fuerunt illicita, vel poſtea talia evadunt, poſſunt ab hominibus irrita pronunciari.

15. Quoniam teſtimonium eſt vel de re facta, vel futura, idcirco juramentum teſtimonium confirmans, diſtinguitur in *aſſertorium* & *promiſſorium*.

16. *Juramentum aſſertorium* eſt de re præterita aut præſenti. 2. *Cor.* 1. 23. *Juramentum promiſſorium*, ſub quo & *comminatorium* continetur, eſt de re futura. 1. *Sam* 20. 12, 13, 14.

17. *Iuramentum aſſertorium*, quia eſt de *re jam facta*, non obligat ad quicquam faciendum, ſed tantum veritatem rei jam factæ confirmat.

18. Hæc autem aſſertio immediatè ſpectat ad judicium jurantis, illis argumentis nixum, quæ infallibilia ſolent haberi, ita ut juramentum tali judicio conſentaneum, quamvis à re ipſa diſſentiret, habendum eſſe pro vero: quia rem ipſam non ſpectat niſi tali judicio mediante: undè etiam Romani conſideratiſſimo illo verbo *arbitror* utebantur, etiam tunc cum illa dicebant jurati quæ comperta habebant.

19. *Iuramentum promiſſorium* habet in ſeſe vim *juramenti aſſertorij*, quatenus teſtatur firmam inten-

intentionem animi præſentem; ſed obligat inſuper ad illud faciendum, quod perhibetur intendi.

20. Obligat autem eatenus tantum, quatenus quis ſemetipſum poteſt obligare, id eſt, ad illud quod & *de facto* & *de jure* poteſt præſtare, atque adeo debet ſemper eſſe de re licita & poſſibili.

21. Tale juramentum obligat ad ſui impletionem, quamvis juramentum ipſum quoad modum ſuum fuerit illicitum, aut res promiſſa damnum promittenti ſecum adferat. *Ioſ.* 9. 19. *Pſal.* 15. 4.

22. Si autem juramentum ſit contra Dei mandata, non obligat: quia juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis.

23. Iuramentum tamen factum aliquo modo contra Dei promiſſa, obligat aliquando: ut cum Iudæi, quibus libertas fuit promiſſa, jurabant in ſubjectionem exterorum, in quorum poteſtatem venerant.

24. Iuramentum promiſſorium, quo aliquid promittitur homini tantum in ejus gratiam, deſinit obligare, ſi ille cui factum eſt promiſſum, vel remittat, vel tollat fundamentum illud quo nitebatur.

25. Iuramentum eſt licitum & honeſtum Chriſtianis. 1. Quia eſt legis naturæ, aut moralis, quæ non eſt abrogata. 2. quia pertinet ad honorem Dei, & charitatem erga proximum. 3. Quia exempla ſunt laudata juramentorum adhibitorum etiam in Teſtamento novo. 2. *Cor.* 1. 23. *Apoc.* 6. 10.

26. Chriſtus *Math.* 5. non damnat omne juramentum, ſed temeraria, & obliqua, per creaturas facta.

27. Iuſo-

27. *Iacobus cap. 5. vers.* 12, eosdem abusus jurisjurandi damnat, non omne jusjurandum, ubi sua repetitione verborum Christi, ostendit manifestè, illa Christi verba, *Ne juretis omnino*, unam sententiam efficere cum sequentibus, *neque per cœlum*, &c. atque adeo conjunctim non divisim esse intelligenda.

28. *Amen Amen*, non est formula jurandi, sed graviter tantum asseverandi. Verba illa. *Heb.* 6. 14. *Certè benedicens benedicam tibi*, non continent formam, sed materiam solam jurisjurandi illius quod habetur. *Gen.* 22. 16, 17. Neque ibi comparet, vel Græcè, vel Hebraicè, *Amen*, ut quidam temerè autumarunt.

29. Interpretanda sunt verba juramenti, in foro conscientiæ, ad sensum jurantis, si simpliciter & candidè egerit: sin minus, ad sensum ejus quem fallere voluit, aut cui juravit. In foro autem externo, verba jurantium accipienda sunt ut vulgo intelliguntur.

30. Perjurus non est propriè loquendo, nisi qui vel contra conscientiam suam jurat, vel sciens volens discedit ab eo, quod legitimè juravit.

31. Fides juramento licito confirmata, iisdem circumstantijs manentibus, etiam hostibus, latronibus, piratis est servanda: si enim personarum ratio non faciat juramentum illicitum: invalidum facere non potest.

32. Iuramentum metu extortum, illa ratione non cessat obligare: quia actus illi qui homini dicuntur metu extorqueri, si ex consilio proveniant, sunt simpliciter voluntarij, quamvis non sint absolutè spontanei.

33. Qui

33. Qui non utuntur ratione, ita ut poſſint jurisjurandi naturam intelligere, non ſunt capaces juramenti.

34. Petere juramentum ab eo qui juraturus eſt per falſos deos, non eſt per ſe peccatum. *Gen.* 31. 53.

35. Iuramentum hominis Chriſtiani præſtitum de ſua innocentia, quæ certis argumentis non poteſt redargui, finem debet imponere controverſijs ad illam ſpectantibus. *Exod.* 22. 11. *Heb.* 6. 16.

36. Iuramentum ſimplex verbis tantum factum, æquè obligat ac maximè ſolemne.

37. Solemnitas illa quæ in quibuſdam locis uſurpatur, in tactu & oſculatione libri, ejuſdem planè generis eſt cum elevatione aut apprehenſione manus, id eſt, ſignificat conſenſum ad jurandum, & ipſum juramentum.

38. Poſitio manus ſub femore juramentum exigentis, *Gen.* 24. 2. non fuit in myſticam aliquam ſignificationem Chriſti, ſed in ſignum ſubjectionis.

39. Adjuratio eſt (propriè loquendo) qua quis alium adducit vel ad jurandum. *Gen.* 24. 8. vel ad religionem illam quæ eſt in juramento. *Numb.* 5. 21. *Matth.* 26. 63. 1. *Theſſ.* 5. 27.

40. Pertinet igitur maximè propriè ad illos qui jus habent exigendi ab alij, juramentum, quamvis proportione aliqua extendatur etiam ad religioſam illam obteſtationem, qua inferiores nonnunquam erga ſuos ſuperiores, & pares inter ſeſe utuntur.

41. Dæmones adjurare, eſt imperium in ipſos exercere, atque adeo non licet cuiquam adjurationem

rationem erga illos exercere, niſi ad illam rem ſpecialem poteſtatem acceperit à Deo.

42. Exorciſmi illi qui baptiſmo præmittebantur etiam tempore patrum, fuerunt ſuperſtitioſi.

43. Adjurationes vel exorcizationes rerum inanimarum, & conſecrationes earum ad operationes & uſus ſupernaturales, quales in aqua luſtrali, templis campanis, & ſimilibus, Pontificij uſurpant, ſunt ſuperſtitioſæ incantationes.

44. Adjuratio hominis ad ſemetipſum accuſandum de crimine aliquo objecto (quod fit in juramento illo quod dicitur *inquiſitorium*, vel *ex officio*) neque fundamentum habet in Scripturis, & legi naturæ adverſatur.

45. Neque eſt adjuratio infinita, de reſpondendo omnia interroganda, ſimpliciter admittenda.

Cap. XI.

De Sorte.

1. Sors eſt petitio divini teſtimonij per determinationem eventus, in mera contingentia manifeſtandi, ad controverſiam aliquam dirimendam. *Proverb.* 16. 33. *In gremium conjicitur ſors: a Iehova autem eſt totum judicium ejus.* & 18. 18. *Contentiones ceſſare facit ſors, & inter robuſtos dirimit.*

2. Petitionem dicimus: quia illam naturam habet, ut expectet uſum illum cui inſervit, à Deo ſolo; & ad ipſius providentiam eo nomine immediatum habet reſpectum.

3. Per contingentiam definimus, ut eorum vitemus

vitemus errorem, qui ſortis communem rationem ſtatuunt in illo modo efficientis cauſæ, quo dicitur agere *fortuna*.

4. Multæ enim ſunt cauſæ fortuitæ, quæ à ſortis ratione ſunt prorſus alienæ: ut cum aurum invenit qui carbones effodiendo quærebat: multæ etiam ſortes occurrũt, in quibus nulla eſt cauſa agens fortuna: ut cum pendet ſors ex avium volatu, aut ſimili aliquo effecto, quod producitur à cauſa ſua facultate agente.

5. Neque poteſt logicè defendi, jactum ipſum aleæ, aut ſimile aliquod effectum, ex quo pendet ſortis ratio, eſſe ſemper præter intentionem aut ſcopum agentis, quod tamen ad caſum fortuitum neceſſario poſtulatur.

6. Non ſimpliciter autem in contingentia, ſed in contingentia mera ſortem collocamus: quia tres ſunt gradus contingentium, alijs ſæpè contingentibus, alijs raro, & alijs, quantum nos intelligere poſſumus, æqualiter ſeſe habentibus in utramque partem: in cæteris enim locus aliquis relinquitur conjecturæ ex arte, ſed in mera contingentia nullus.

7. Non eſt igitur fortuitus modus cauſæ efficientis, qui dominari perhibetur in ſortibus, ſed vel illa fortuna cæca, quæ à profanis hominibus facta eſt Deo, cœlóque locata, vel Dei providentia ſingularis, illa ratione agens quæ nobis eſt occulta.

8. Cum autem in omni ſorte quæſtionis aut controverſiæ alicujus determinatio quæratur, & quæratur per meram contingentiam, in ſeſe, & reſpectu noſtri, planè indeterminatam, neceſſe eſt, ut ipſa determinatio ex natura ipſius

rei

rei (quæcunque fuerit actualis hominum intentio) quæratur semper à superiori Nomine potestatem habente tales contingentias certo consilio dirigendi: atque adeo re ipsa sortis usus est appellatio semper vel ad Deum verum, vel ad fictum aliquod Numen, quod *fortunæ* nomine solet à multis designari.

9. Cum igitur Theologi nostri extraordinariam quandam providentiam Dei sortibus omnibus præesse docent, non ita sunt accipiendi quasi vel sortibus utentes directè & distinctè, semper talem providentiam spectarent, vel quasi talem semper Deus exerceret: sed quod sors ipsa, ex natura sua, respectum quendam habet ad singularem & extraordinariam Dei providentiam, in directione eventus merè contingentis: & isthoc sensu verissima est eorum sententia.

10. Cum enim in sorte judicium aliquod, ex omnium communi consensu exspectatur, & judicium ferendi potestas in eventibus contingentibus nulla est, neque est alia fortuna judicans quam Dei certa providentia, necesse est ut judicium istud à Dei providentia singulariter exspectetur.

11. Neque potest ipsa contingentia mera, principalis causæ rationem habere, in quæstione aliqua dirimenda: neque potest homo, cui eventus ipse est merè contingens, illum dirigere ad talem finem assequendum: necessè est igitur ut talis directio à superiore aliquo directore exspectetur.

12. Huc accedit, quod talis sit ordo progrediendi in inquisitione humana, ut quum quæstionem aliquam cupiunt homines determinari, & hujus-

huiuſmodi determinationis certa media non habent in ſua poteſtate, eandem quærant à poteſtate aliqua ſuperiore: cui progrediendi modo convenit planè ſortiendi ratio.

13. Neque verò conſiſtere poteſt, ut agens conſilio, finem & ſcopum ſuum certum certa ratione intendens, vel fortunæ, vel contingentiæ meræ, qua talis eſt, actionem ſuam ſubjiciat: ſic enim conſilium eſſe ſine cognitione: & indifferentia indeterminata medium eſſet cauſæ determinantis.

14. Exſpectatio & reſpectus hujuſmodi ad ſingularem Dei providentiam, manifeſtè docetur. *Proverb. 16. verſ. 33.* dum actio omnis hominis circa ſortem in contingentia mera finiri affirmatur, *in gremium conjicitur ſors*, & accurata diſcretione, judicium totum ad Deum refertur, *à Ichova autem eſt totum judicium ejus.*

15. Quamvis enim omnia referantur alias, in Scripturis, ad providentiam Dei: cum tali tamen diſcretione, nihil ſolet ad eam referri, niſi habeat ſingularem quendam ad eam reſpectum.

16. Neque obſtat quidquam, quod vox Hebraica *miſchphath* ſolet aliquando aliud ſignificare præter judicium: quia ex ratione materiæ ſubjectæ debet ſemper accipi: & ſortibus judicium quoddam tribuitur ab omnibus qui earum naturam deſcribunt.

17. Hinc igitur neque temerè, neque in rebus ludicris aut leviculis debet ſors adhiberi, neque in illis cõtroverſijs quæ aut vanæ ſunt, aut per alia media ordinaria cõmodè dirimi poſsũt.

18. Neque igitur ordinariè, aut ſine ſpeciali reve-

revelatione, adhibenda est ad divinandum, neque ad consultandum de jure, neque ordinariè de facto præterito, sed de futura divisione, aut electione utrinque licita, quæ aliter non potest commodè ita determinari, ut illi quorum interest acquiescere velint.

19. Sententia illorum qui lusorias sortes defendunt, illa una ratione satis refutatur, quod (omnium hominum consensu) naturalem quandam aptitudinem habeat sors ad providentiam divinam singulari modo consulendam: fieri enim non potest, ut una & eadem actio, sua natura, singulariter apta sit ad usum tam sacrum, & ludis tamen & jocis simul sit accommodata.

20. Ratio illa, qua contenditur, sortis usum licitum esse in rebus levibus & ludicris, quia in ciuilibus controversijs illis quæ minoris sunt momenti, legitimè usurpatur, nullam habet consequentiam: quamvis enim controversiæ illæ civiles in quibus locum habet sors, ex sese non sint graves, ex consequentibus, tamen conjunctis, vel adhærentibus, admodum graves reddantur: quod de ludicris contentionibus non potest affirmari.

21. Animalium decimæ, *Lev.* 2.7.32. sacerdotalium ac leviticarum administrationum ordines. 1. *Par.* 26.13,14. *&c. Luc.* 1.9. gravia incommoda potuissent secum inferre, nisi divina aliqua sententia fuissent determinata: & eo nomine sortibus designabantur ex institutione divina.

22. Ex natura sortium non apparet, quod rebus levissimis maximè conveniunt: quamvis enim singularem Dei definitionem non licet nobis expectare, nisi antea fecerimus quod in nobis

est

eſt ad quæſtionem propoſitam ordinarijs mediis definiendam, gravitas tamen illo conatu noſtro ab ipſa controverſia vel non removetur, vel ſorti non eſt committenda.

23. Natura ipſa ſortis eſt ſancta, ut juramenti: non opus eſt igitur ut ſpecialem ſanctificationem accipiat ab inſtitutione aliqua ſingulari: quamvis enim contingentia illa quæ eſt quaſi materia ſortis, non ſit ſua natura ſancta, ſic ut neque panis, neque vinum ita debent æſtimari; in applicatione tamen ad ſuum uſum, ſanctitatem quandam induit, ſicut verba juramenti, & elementa in ſacramentis.

24. Liberum eſt quidem Chriſtianis, creaturis uti ad illos fines, quibus aptæ natæ aut factæ ſunt. Sed mera contingentia nullam habet aptitudinem ex ſeſe ad quæſtionem aliquam determinandam, neque ullam aptitudinem accipit ex conſenſu eorum qui eadem utuntur in illum finem. In illis enim ſortibus quæ extraordinariæ vocantur, & agnoſcuntur à Deo, non ab hominibus pendere, idem conſenſus habetur, eodem modo, & ſorti tamen nihil addit.

25. Adiaphoram eſſe ſortem, nemo poteſt oſtendere, niſi prius demonſtraverit nullam in ea ſingularem eſſe ad providentiam divinam appellationem.

26. Quamvis etiam ludicrarum rerum materia non ſit ad hoc aut illud genus communium & indifferentium actionum adſtricta, limites tamen illos habet ſibi poſitos, ut in ijs quæ ſingulariter ſpectant ad communionem cum Deo, nullum locum poſſit habere.

27. Vanum planè eſt, quod objicitur, ſortem

ſæpius

sæpius iteratam, varium eventum habituram: neque enim hoc est verisimile, si ritè possit sors iterari; neque omnis appellatio ad divinam providentiam, necessario secum infert singularem ejus operationem; & tamen Deus extra ordinem etiam variè aliquando respondisse legitur eis à quibus fuit importunè tentatus. *Numb.* 22. 12, 20. *Ne ito cum illis: surge, abi cum eis.*

28. Vanius autem est multo, argumenti loco objicere, quod Deus non potest à nobis pro arbitrio nostro ad extraordinariam providentiam exercendam adduci. Hoc enim nihil obstante, possumus nos ad extraordinariam ejus providentiam, cum nobis libet, appellare.

29. Lusus igitur aleæ, non ex circumstantijs tantum, & per accidens, sed ex natura sua interna, & in se, cum religione pugnat.

30. Nomine autem aleæ comprehenduntur etiam omnes illi ludi; qui mera contingentia nituntur, quamvis ingenio, industria aut arte aliqua postea regantur, ut in taxilis, & chartis pictis.

31. Exercitia verò illa humana quæ arte nituntur, sed casui ex parte subjiciuntur in progressu, toto genere differunt ab alea.

32. Quod ex lusu aleæ concitari solent homines ad dejerationes, execrationes & blasphemias magis quam in alijs exercitijs, provenit hac partim à natura ipsius ludi: quia sorte sæpius iterata, & sæpius exspectationem fallente, potestatem illam, quam sorti moderari autumant, sibi putant adversari.

33. Eadem etiam ratione fit, quod hujusmodi ludis finem aut modum imponere ægrè possint,

ſint, qui ijs utuntur: quia illi qui in contentione ſunt inferiores, nullam rationem habent de ſorte ſua deſperandi, atque adeo perſiſtunt in optati ſucceſſus pertinaci expectatione.

34. Hinc etiam incommoda, & damna illa quibus ludi alij reddi ſolent extrinſecè vitioſi, in alea pendent ex parte, ab ipſa natura ludi.

CAP. XII.

De Tentatione.

1. AVditioni Verbi & Orationi ſingulari quadam ratione opponitur Tentatio Dei. *Pſal. 95. 7, 8, 9. Hodie ſi vocem ejus audieritis, ne obdiuretis animum veſtrum, ut in contentione ut in die tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me majores veſtri: probaverunt me, etiam experti ſunt opus meum.* quum enim in auditione verbi & oratione pia communionem habemus cum Deo, ſecundum illius voluntatem, ſi ſimilem aliquam communionem quæramus, præter ipſius voluntatem, tum propriè dicimur ipſum tentare.

2. Tentare Deum eſt, illicito modo experimentum quærere perfectionis alicujus divinæ. *Pſal. 95. 9.*

3. Experimentum hoc aliquando eſt potentiæ Dei. *Pſal. 78. 18, 19. Tentantes Deum ſortem cum animo ſuo — ac ebloquentes contra Deum, dixerunt, An poſſet Deus ſortis inſtruere menſam in hoc deſerto?* quando nempe circumſcribitur ab hominibus, & termini ipſi ponuntur eorum arbitratu: ut, ſi hoc aut illud fecerit quod ipſi volunt, tum omnipotens habeatur, alias nequa-

sæpius iteratam, varium eventum habituram: neque enim hoc est verisimile, si ritè possit sors iterari; neque omnis appellatio ad divinam providentiam, necessario secum infert singularem ejus operationem; & tamen Deus extra ordinem etiam variè aliquando respondisse legitur eis à quibus fuit importunè tentatus. *Numb.* 22. 12, 20. *Ne ito cum illis: surge, abi cum eis.*

28. Vanius autem est multo, argumenti loco objicere, quod Deus non potest à nobis pro arbitrio nostro ad extraordinariam providentiam exercendam adduci. Hoc enim nihil obstante, possumus nos ad extraordinariam ejus providentiam, cum nobis libet, appellare.

29. Lusus igitur aleæ, non ex circumstantijs tantum, & per accidens, sed ex natura sua interna, & in se, cum religione pugnat.

30. Nomine autem aleæ comprehenduntur etiam omnes illi ludi; qui mera contingentia nituntur, quamvis ingenio, industria aut arte aliqua postea regantur, ut in taxilis, & chartis pictis.

31. Exercitia verò illa humana quæ arte nituntur, sed casui ex parte subjiciuntur in progressu, toto genere differunt ab alea.

32. Quod ex lusu aleæ concitari solent homines ad dejerationes, execrationes & blasphemias magis quam in alijs exercitijs, provenit hac partim à natura ipsius ludi: quia sorte sæpius iterata, & sæpius exspectationem fallente, potestatem illam, quam sorti moderari autumant, sibi putant adversari.

33. Eadem etiam ratione fit, quod hujusmodi ludis finem aut modum imponere ægrè possint,

sint, qui ijs utuntur: quia illi qui in contentione sunt inferiores, nullam rationem habent de sorte sua desperandi, atque adeo persistunt in optati successus pertinaci expectatione.

34. Hinc etiam incommoda, & damna illa quibus ludi alij reddi solent extrinsecè vitiosi, in alea pendent ex parte, ab ipsa natura ludi.

Cap. XII.

De Tentatione.

1. Auditioni Verbi & Orationi singulari quadam ratione opponitur Tentatio Dei. *Psal.* 95. 7, 8, 9. *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurctis animum vestrum, ut in contentione ut in die tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt me, etiam experti sunt opus meum.* quum enim in auditione verbi & oratione pia communionem habemus cum Deo, secundum illius voluntatem, si similem aliquam communionem quæramus, præter ipsius voluntatem, tum propriè dicimur ipsum tentare.

2. Tentare Deum est, illicito modo experimentum quærere perfectionis alicujus divinæ. *Psal.* 95. 9.

3. Experimentum hoc aliquando est potentiæ Dei. *Psal.* 78. 18, 19. *Tentantes Deum fortem cum animo suo —— ac ebloquentes contra Deum, dixerunt, An posset Deus sortis instruere mensam in hoc deserto?* quando nempe circumscribitur ab hominibus, & termini ipsi ponuntur eorum arbitratu: ut, si hoc aut illud fecerit quod ipsi volunt, tum omnipotens habeatur, alias nequa-

quam *ibid. ver.* 41. *Qui subinde tentarunt Deum fortem, & sanctum Israelis circumscripserunt.*

4. Aliquando est scientiæ Dei, ut quum homines clanculum aliquid faciunt, dubitantes, utrum Deus norit nec ne. *Psal.* 94.7. *Dicentes, non respicit Iah; neque animadvertit Deus Iahakobi.*

5. Aliquando est præsentiæ Dei. *Exod.* 17.7. *Tentaverunt Iehovam, dicendo, Est ne Iehova inter nos, an non?*

6. Aliquando est providentiæ Dei, quum homines media ordinaria à Deo constituta relinquentes, expectant tamen vt Deus ipsis prospiciat ex ipsorum voto, quamvis nihil tale promiserit. *Matth.* 4 7.

7. Nonnunquam est iræ, justitiæ & vindictæ Dei. 1. *Cor.* 10.22. *An provocamus ad emulationem Dominum?* qualis tentandi ratio est in omni murmuratione & contentione adversus Deum, aut à Deo missos, 1. *Cor.* 10.9, 10. *Neque tentemus Christum. Neque murmurate.* Vndè loci ejusdem nomina *Massa, & Meriba. Exod.* 17.7.

8. Tentatio autem Dei, aliquando est ex intentione expressa Deum explorandi, ut in sortilegijs illicitis, & quadocunque præsumitur de Deo quod ipse non promisit.

9. Aliquando fit cum intentione tacita & implicita, quando nempe illud agitur, quod ex se vel sua natura tendit ad hoc, ut Deus exploretur, quamvis ille qui agit nihil tale cogitet.

10. Hoc autem dupliciter fieri solet. Primo, cum quis vult & exspectat aliquid effici, & respuit interim media ad illud necessaria: ut in naturalibus faciunt, qui sanitatem aut vitæ continuationem volunt, & rejiciunt medicamenta, vel

vel cibum: ut in ſupernaturalibus etiam illi, qui gratiam & vitam volunt, ſed verbum Dei, & ſacamenta, cum ſimilibus gratiæ ac ſalutis mediis negligunt. Secundo, cum quis exponit ſemetipſum periculo, ſine urgente neceſſitate, à quo vel nullo modo vel vix liberari poteſt, niſi à Deo per miraculum: ut in naturalibus faciunt ſæpe qui ambiunt vanam gloriam mortem contemnendi: & in ſpiritualibus illi, qui peccati occaſiones & irritamenta videntur quaſi amare.

11. Fluit hoc peccatum aliquando ex dubitatione vel infidelitate: quia ille, qui tale experimentum Dei quærit, non ſatis fidit Dei verbo revelato: ſed vult novam viam divinæ voluntatis cognoſcendæ inire: atque ſic opponitur auditioni verbi, quatenus fide à nobis eſt recipiendum.

12. Aliquando fluit ex deſperatione, quum homines non expectantes Dei promiſſa, feſtinatione quadam inordinata præſcribere Deo volunt, quando & quo modo illorum exſpectationi ſatisfaciat: atque ſic opponitur auditioni verbi, prout ſpem divinam in nobis fovet.

13. Aliquando etiam fluit ex vilipendio aut contemptu Dei: ut cum quis ludens & jocans experiri vult, an Deus ſemetipſum manifeſtare velit ex ipſius voto: atque ſic opponitur auditioni verbi, prout charitatem & dignam æſtimationem Dei in ſeſe habet.

14. Fluit etiam ex arrogantia quadam aut ſuperbia: qua noſtras voluntates Dei voluntati ſubjicere recuſantes, voluntatem ipſius noſtræ libidini ſubjicere ſtudemus.

15. Sæpiſſimè autem provenit ex præſumptione

one, qua quis confidet Deum hoc aut illud facturum, quod nusquam promisit, aut saltem non promisit se eo modo & ijs mediis facturum, prout illi expectant, undè etiam est quod omnis tentatio Dei, à quibusdam refertur ad præsumptionem atque arrogantiæ ratione opponitur orationi, qua nostram voluntatem Deo submisse repræsentamus, ut ab ipso perficiatur, prout illi placet.

16. Semper autem opponitur alicui actui Religionis, quo à Dei voluntate pendemus, quia, quum Deum tentamus, id agimus, ut Deus quasi pendeat ex nostra voluntate.

17. Singulare aliquod signum a Deo petere, sine singulari aliqua ratione, inspiratione, aut instinctu, est Deum tentare. *Matth.* 16. 1. *Pharisæi & Sadducæi tentantes rogarunt eum ut signum è cœlo sibi ostenderet.*

18. Signum tamen à Deo oblatum respuere, est ipsum tentare, *aut fatigare. Isai.* 7. 11, 12, 13. *Pete signum. Non petam, neque tentabo Deum. Fatigatis Deum meum.* Signum à Deo petere humiliter, circa aliquid particulare necessarium, quod aliàs non est adeo sufficienter manifestatum, potest aliquando fidelis aliquis sine peccato. *Gen.* 15. 8. *Quo agnoscam ne hæreditario jure possessurum terram.*

19. Probationes aut purgationes maleficij alicujus suspecti, per experimenta ferri candentis, aquæ ferventis, & similium, sunt tentationes Dei: in ijs enim miraculosa quædam virtutis divinæ ostensio exspectatur, vel postulatur, ad veritatis occultæ probationem, sine justa ratione: quia alia media constituta sunt ad crimina hominum

minum indagando: quibus etiam deficientibus, poſſunt talia ſine crimine ignorari.

20. Ejuſdem generis ſunt duella ſingularia, vel monomachiæ, quæ olim authoritate publica fuerunt permiſſæ, & adhuc nimis frequentantur: in ijs enim juſtitia cauſæ ſingulari Dei providentiæ committitur decidenda, ex illo ſucceſſu quem pro ſua juſtitia daturus perhibetur, ſine ulla certa juſtáque ratione.

21. Præter tentationes hujuſmodi, quæ propriè ſpectant ad probationem, datur etiam tentatio quaſi inductionis erga Deum, quando ab illo poſtulatur vel exſpectatur auxilium ad nefarium aliquid perpetrandum.

22. Inductiones tamen iſtæ commodè ſatis referri poſſunt ad tentationem probationis: quia exploratur in illis Dei voluntas. Ab alijs differunt in eo tantum quod objectum illud circa quod voluntas Dei exploratur, eſt actio per ſe illicita, quia ratione, honor Dei ſigulariter læditur ac violatur: quia una cum tentatione conjungitur etiam turpiſſima quædam illuſio Dei.

23. Tentatio vel probatio Dei aliquando bonum in partem accipitur, & mandatur. *Mal.* 3. 10. *Probate me jam in hoc, ait Iehova exercituum.*

24. Hæc autem tentatio eſt actus fidei, in obedientiam aut praxin eorum quæ Deus præcepit ducentis, cum exſpectatione fructus aut benedictionis illius, quam Deus promiſit.

25 Debita iſta tentatio Dei repellit omnes tentationes Diaboli.

26. Illicita illa tentatio Dei obnoxios nos reddit:

dit tentationi diaboli: neque unquam superamur ab ulla diaboli tentatione, nisi nos Deum aliquo modo tentemus.

Cap. XIII.

De Cultu instituto.

1. *Cultus istitutus* est medium ex Dei voluntate ordinatum, ad cultum *naturalem* exercendum & promovendum.

2. Indicantur hujusmodi media omnia à Deo instituta, in secundo præcepto, per prohibitionem oppositorum mediorum omnium cultus ab hominibus excogitatorum, sub titulo *sculptilis*, & *imaginis*: quæ cum præcipua fuerunt olim hominum inventa cultum Dei depravantia, aptissimè pónuntur (per synecdochen in decalogo perpetuam) loco omnium humani ingenij commentorum ad cultum spectantium.

3. Non pendet in specie & immediatè cultus iste ex natura Dei, aut ex illo honore, quem vi creationis Deo debemus, sed ex liberrima Dei institutione.

4. Hinc ille cultus varius fuit pro varia Ecclesiæ constitutione, alius ante Christum exhibitum, & alius post.

5. *Est medium* relationem habens ad cultum naturalem, aliter non esset cultus, quia nulla alia ratione potest quis honorem illum Deo tribuere, qui ipsi debetur quoad essentiam actus, quam fide, spe, charitate, quibus recipimus à Deo cum debita subjectione, quæ nobis proponit, recipienda, & cum eadem subjectione offerimus ipsi, quæ ad honorem ipsius à nobis possunt offerri.

Quoniam

Quoniam vero ipſi actus ſpeciali modo exercentur in ijs, quæ Deus inſtituit ad ſuum honorem, idcirco in iſtis etiam eſt ſecundarius quidam Dei cultus, & participatio quædam prioris.

6. Habet autem ad naturalem illum cultum effectionem effecti, quod vi prioris exiſtit; & medij vel inſtrumenti, quo fides, ſpes, & charitas, quibus ille cultus continetur, ſuos actus exerunt; & cauſæ adjuvantis, qui promoventur, atque etiam adjuncti, cui ſubjiciuntur.

7. Cultus tamen maximè propriè dicitur, quatenus eſt medium, & cauſa adjuvans cultus iſtius primarij.

8. Quia autem, poſito Dei præcepto, pendet & fluit ex primario Dei cultu, idcirco ſuadetur ſæpè & urgetur ijs argumentis, quæ petuntur ab intima & maximè eſſentiali ratione Dei colendi, ut in præcepto ſecundo: *qui diligunt me, & obſervãt mandata mea. Deut.* 10. 12, 13. *Quid Jehova Deus tuus petit abs te, niſi ut timeas Iehovam Deũ tuum, ambules in omnibus vijs ejus, & diligas eum, & colas Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, ex toto animo tuo: obſervando præcepta Iehovæ, & ſtatuta ejus?*

9. Non eſt igitur Catholicæ veritatis illa regula interpretandi Scripturas, quæ tradi ſolet à quibuſdam; quod *officia illa omnia ſunt moralia & immutabilia, quæ rationes morales & immutabiles habent ſibi annexas*; niſi ſic intelligatur, ut illa officia ſequantur ex illis rationibus, nullo ſingulari Dei præcepto intercedente. *Levit.* 11. 44. *Ego Iehova ſum Deus veſter, ut ſanctificetis vos, & ſitis ſancti, quia ego ſanctus ſum: ne ergo polluite vosipſos ullo reptili.*

10. Hujus generis cultus nullus eſt legitimus,

niſi Deum habet authorem & inſtitutorem, *Exod.* 23. 13. *Deut.* 4. 2. & 12. 32. *In omnibus quæ edixero vobis continete vos. Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo. Unamquamque rem quam ego præcipio vobis, eam obſervantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex eo.* 1. *Chro.* 16. 13. *Irruit Iehova noſter in nos, quam non requireremus eum ritè.*

11. Indicatur hoc illis verbis præcepti, *Non facies tibi*, id eſt, ex tuo proprio cerebro vel judicio: quamvis enim particula illa *tibi* alias nonnunquam vel redundet, vel aliam vim habet: hic tamen, & redundan iam excludit accuratiſſimam horum præceptorum brevil oquium, & vanitatem humanarum cogitationum excludi, manifeſtum eſt ex alijs ſcripturæ locis eodem ſpectantibus: ut *Amos* 5. 26. *quæ feciſtis vobis. Numb.* 15. 39. *ne ſequamini animum veſtrum & oculos veſtros, quæ vos ſequentes ſcortamini.*

12. Idem etiam declaratur univerſalitate illa prohibitionis, quæ in præcepto per diſtributionem explicatur, *eorum quæ ſunt in cœlis ſupra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram.*

13. Nemo enim, præter Deum ipſum, vel intelligere poteſt quid illi gratum erit; vel virtutem illam cultui alicui adjicere, qua efficax fieri poſſit, & utilis nobis: neque poteſt quicquam eſſe Deo honorificum, quod ab ipſomet non procedit tanquam ejus authore; neque denique poteſtatem hujuſmodi cuiquam unquam datam legimus à Deo, ut cultum aliquem inſtituat ſuo arbitratu. *Mat.* 15. 9. *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum.*

14. Hinc

14. Hinc implicitè & per interpretationem Dei ipſius, illum nobis Deum conſtituimus, & honorem Deo debitum deferimus illi, cujus authoritati vel inſtitutis noſmetipſos ſubjicimus in religioſo cultu.

15. Hinc etiam ratione dicuntur homines aliquando colere Diabolum, quando illos cultus obſervant, quos Diabolus introduxit. 1. *Corinth.* 10. 20. *Levit.* 17. 7. *Deut.* 32. 17.

16. Illum autem cultum, quem Deus conſtituit, eadem religione debemus obſervare, qua verbum aut voluntatem ipſius recipimus, & nomen ejus invocamus. *Deut.* 6. 17, 18. & 12. 25, 28. & 13. 18. & 28. 14.

17. Mediorum, quæ Deus jam inſtituit in iſthoc genere, quædam propriè ac immediatè faciunt ad exercendam & promovendam fidem, ſpem, & charitatem, ut *publica & ſolennis Verbi prædicatio; Baptiſmi ac Cœnæ Dominicæ celebratio, & precatio:* quædam vero ſunt media ad priora illa rectè præſtanda, ut *fidelium combinatio* in certos cœtus vel Eccleſias; *miniſtrorum* à Deo inſtitutorum *electio*, ordinatio, & miniſtratio, una cum *Eccleſiaſticæ Diſciplinæ* cura.

18. Priora illa ſunt maximè propriè cultus Dei inſtitutus; cætera tamen ſunt etiam cultus, non tantum generali illa ratione, qua omnia cultus & religionis actus dicuntur, quæ ullo modo à religione fluunt vel imperantur, ſed etiam ſingulari ſua natura, quoniam adæquatus finis & uſus eorum eſt, ut Deus rectè colatur.

19. Hæc igitur omnia in genere & ſpecie, prout à Deo conſtituta ſunt, debent à nobis obſervari: Deus enim ſuo proprio cultu, toto ac ſolo

à nobis est colendus; nihil hic addendum, detrahendum, aut mutandum. *Deut.* 12.32.

20. Futilis admodum est illa distinctio, qua nonnulli suas additiones excusare conantur; quod *additio tantum corrumpens prohibetur, & non additio conservans*; quoniam additio quævis æquè ac detractio expressè opponitur observationi, vel conservationi mandatorum Dei, tanquam corruptio. *ibid.*

21. Similis etiam notæ est illa evasio, qua *essentialium* tantum additionem prohiberi dicunt, non *accidentalium*: nam primo, quamvis sint accidentia, vel adjuncta quædam cultus, nullus tamen cultus simpliciter dicendus est accidentalis, quia habet in se essentiam ipsam cultus. Secundo, sicut minima mandata Dei etiam ad joca & apices, sunt religiosè observanda, *Matth.* 5.18,19. sic etiam additiones, quæ videntur minimæ, eadem ratione sunt rejiciendæ. Tertio, Moses illa ipsa cautione, de *non addendo* aut *detrahendo*, obsignat etiam illas leges de *loco* cultus divini, de *modo*, de *abstinentia à sanguine*, & similibus, quæ ad cultum accidentalem necessario referri debent, si quicquam tale sit. *ibid.*

22. Hæc observatio singulari ratione vocatur *obedientia*, quia per illam facimus quod rectum videtur in oculis Iehovæ, quamvis alia quædam rectiora videri possint in oculis nostris. *Deut.* 12.25,28.

23. Cultui huic instituto opponitur, ut illicitus, *voluntarius* ille cultus, qui ab hominibus excogitatur. *Matth.* 15.9. *Col.* 2.23.

24. Peccatum, quod in cultu voluntario committitur, generali nomine dicitur *Superstitio*.

25. *Super-*

25. *Superſtitio eſt*, qua Deo cultus indebitus exhibetur.

26. In ſuperſtitione enim Deus ſemper eſt objectum, & finis aliquo modo, ſed cultus ipſe eſt illicitus.

27. *Cultus indebitus* dicitur vel quoad modum aut menſuram, vel quoad materiam & ſubſtantiam cultus. Priori modo peccabant Phariſæi circa Sabbathum, cum obſervationem ejus urgebant, quoad externam ceſſationem, ſupra modum ac menſuram à Deo conſtitutam. Et poſteriori modo ijdem etiam peccabant ſuis proprijs traditionibus obſervandis & urgendis. *Matt. 7. 8.*

28. Hinc ſuperſtitio dicitur exceſſus religionis, non in ordine ad formalem virtutem religionis, quia ſic nemo poteſt eſſe nimis religioſus, ſed in ordine ad actus, & media religionis externa.

29. Hujuſmodi exceſſus non tantum eſt in exercitijs illis poſitivis, quæ in rerum uſu verſantur, ſed etiam in abſtinentia à quarundam rerum uſu, ut à cibis, qui habentur immundi aut illiciti, & ſimilibus.

30. Quælibet tamen abſtinentia à rebus etiam licitis, quamvis illicitè habeantur, non eſt propriè loquendo ſuperſtitio, niſi ex illa abſtinentia cultus & honor aliquis ſingularis Deo intendatur.

31. Cultus iſte indebitus vel propriè opponitur illi cultui, quo directè exercetur & exercetur cultus inſtitutus, id eſt, auditione verbi, ſacramentorum celebratione, & precatione, vel ei, qui reſpicit media illius.

32. Andi-

32. Auditioni verbi opponitur, primo, inſtitutio per imagines ab hominibus excogitatas, *Deut.* 4.15,16. *Eſai.* 40.18. & 41.29. *Ierem.* 10.8, 15. *Hab.* 2. 18. Secundo, traditionem venditatio quatenus proponuntur ut regulæ religionis, *Mar.* 7. 8.

33. Inſtitutio religioſa per imagines damnatur, primo, quia non ſunt in iſtum finem à Deo ſanctificatæ: ſecundo, quia neque Deum ipſum, neque Dei perfectiones poſſunt nobis repræſentare: tertio, quia deprimunt animum & avertunt attentionem à ſpirituali contemplatione voluntatis Dei: quarto, quia ſi ſemel admittantur in exercitia cultus, ipſe cultus perverſitate ingenij humani, ex parte ſaltem, ad illas transferetur: ſicut indicatur illis verbis præcepti, *Ne incurvato te ijs, neque colito ea.*

34. Imaginibus homogeneæ ſunt omnes illæ ceremoniæ, quæ ad myſticam vel religioſam ſignificationem ab hominibus inſtituuntur.

35. Iſtiuſmodi enim ceremoniæ neque per vim inditam à natura, neque per inſtitutionem divinam, ullam habent determinatam vim docendi: per inſtitutionem autem humanam, nullam poſſunt accipere, quia homo neque hoc impetrando poteſt efficere, cum ſuperat ejus authoritatem, neque impetrando, cum Deus nihil tale petenti promiſit.

36. Neque quicquam authoritatis in iſtiuſmodi ceremonijs inſtituendis ex eo poſſunt homines ſibimet arrogare, quod eccleſijs omnibus mandatur, ut omnia *decenter & ordine* faciant, 1. *Corinth.* 14. 40. neque enim ordinis, neque decori ratio poſtulat, ut res aliquæ ſacræ de novo inſtituantur,

inſtituantur, ſed ut illæ, quæ à Deo ſunt inſtitutæ, eo modo adhibeantur, qui earum dignitati eſt conſentaneus; neque pertinent ordo & decorum ad res ſacras tantum, ſed etiam ad officia civilia; in utriſque enim confuſio & indecorum ſunt vitia oppoſita debito illi modo, qui requiritur ad eorum juſtum finem & uſum conſequendum.

37. Sacramentis opponuntur, primo ſacrificia propriè dicta, ſive cruenta ſint ſive incruenta, ut Pontificij fingunt de ſua Miſſa: poſt Chriſtum enim exhibitum ſacrificia vetera omnia ſunt abrogata, neque novum aliquod eſt inſtitutum, quia Chriſti ſacrificio ſemel oblato, non opus eſt nobis alijs typis, quam illis qui pertinent ad exhibitionem & obſignationem Chriſti nobis donati, quod in ſacramentis (ſine ſacrificijs) ex inſtituto Dei ſufficienter præſtatur.

38. Opponitur etiam ſacramentis, novorum ſigillorum vel ceremoniarum gratiam aliquam Dei obſignantium ordinatio & uſus; ejuſdem enim eſt gratiam obſignare, cujus eſt dare.

39. Precationi opponitur relativus imaginum uſus ille, quo ad illas, vel coram illis Deus colitur, quamvis cultus non referatur ad imagines ipſas, ut quidam loquuntur, *ſubjectivè* ſed *objectivè* per ipſas ad Deum ſolum.

40. Hujus generis ſuperſtitio vocatur idololatria. *Exod.* 32. 5. *Pſal.* 106. 20. *Act.* 7. 41.

41. Si ſint idola quæ in ſeſe Dei loco coluntur, illa eſt idololatria quæ adverſatur primo præcepto; cum autem Deus verus colitur ad imaginem, aut in imagine, hæc eſt idololatria quæ adverſatur ſecundo præcepto.

42. Quam-

42. Quamvis enim quoad intentionem colentis, non peccetur in objecto primario ac ultimo, tamen ex rei ipsius natura, peccatur semper in cultum Dei formalem, & interpretativè etiam novus Deus pro objecto fingitur, qui istiusmodi cultu delectatur, & imagini etiam ipsi religiosus cultus tribuitur, quamvis non eo consilio illud fiat, ut in imagine cultus ille ultimo terminetur, sed per illam etiam ad Deum ipsum dirigatur.

43. Hinc non tantum idololatriam hujusmodi æquè fugere debemus, ac absolutam illam, quæ est contra primum præceptum; sed etiam ipsa idola, & idolothyta, vel idolis dicata, & idolorum omnia propriè dicta monumenta. 1. *Joh.* 5. 21. 1. *Cor.* 8. 10. & 10. 18, 19, 21. 2. *Cor.* 6. 16. *Numb.* 33. 52. *Deut.* 12. 2, 3. *Exod.* 23. 13.

44. Superstitio secundi generis est in humanis Ecclesiæ formis, quales sunt Ecclèsiæ visibiliter, integraliter, & organicè Oecumenicæ, Provinciales, ac Diœcesanæ, ab hominibus introductæ; sicut etiam in Hierarchia illis consentanea, ac religiosorum ordinibus, qui inter Pontificios reperiuntur, & in functionibus, ac censuris, quæ ab ipsis exercentur.

45. Intolerabilis est eorum hominum audacia, qui secundum præceptum vel penitus omittunt, vel ita mutilandum esse docent, ut legendum sit jam sub N. T. *Non adorabis, nec coles ullam similitudinem, aut imaginem.*

CAP.

CAP. XIIII.

De Modo cultus divini.

1. CVltus adjuncta præcipuè attendenda; duo ſunt, *modus* qui tertio præcepto continetur; & *tempus* quod quarto præcepto imperatur.

2. Hæc autem duo ita ſunt cultus religioſi adjuncta, ut ſecundaria quadam ratione definitionem & naturam ejus participent: quoniam eorum obſervatione non tantum promovetur honor ille Dei, qui naturali & inſtituto Dei cultu conſiſtit, ſed etiam ſingularis quidam honor ipſi defertur, quatenus illius & imperio, & reſpectu directo, & immediato, cæteris adjungitur.

3. Modus cultus in genere eſt legitimus uſus omnium eorum, quæ ad Deum ſpectant.

4. Legitimus autem uſus in eo conſiſtit, ut omnia quæ pertinent ad cultum, ita tractentur, prout congruit majeſtati diuinæ.

5. Cum enim tertio præcepto prohibetur, *ne aſſumas Dei nomen in vanum*, per *nomen Dei* omnia illa intelliguntur, quibus Deus nobis innoteſcit, aut ſemetipſum patefacit, ſicut homines inter ſe invicem ſuis nominibus ſolent eſſe noti: ita ut nomen Dei omnia illa complectatur, quæ pertinent ad cultum Dei, vel naturalem, vel inſtitutum. *Act.* 9. 15. *Ut portet nomen meum in conſpectu Gentium.* Deut. 12. 5. *Locus quem elegerit Jehova, ad collocandum nomen ſuum ibi.* Micah 4. 5. *Nos ambulabimus in nomine Iehovæ Dei noſtri.* Mala. 1. 11, 12, 13. *Magnum nomen meum erit in gentibus, &c.*

6. Cum

6. Cum autem *ſumere nomen hoc in vanum*, ſit vel *temerè* ſumere, id eſt, aut ſine ullo fine propoſito, aut ſine juſto & idoneo fine; vel *fruſtra* ſumere, id eſt, non eo modo qui requiritur ad finem juſtum, honorem ſcilicet Dei; ſimul etiam imperatur, ut nomen Dei *ſanctificemus*, id eſt, ut eo modo rebus omnibus ſacris utamur, qui earum ſanctitati & dignitati congruit. *Iſai.* 1. *ver.* 13.

7. Congruens iſte modus eſt, cum illæ circumſtantiæ adhibentur, quas religioſarum rerum natura poſtulat.

8. Circumſtantijs definimus iſtum modum; quia eſſentialis modus virtutum & actuum religionis in ipſis virtutibus & actibus continetur, & in ijſdem præceptis cum illis directè mandatur; ſed accidentalis ille modus qui eſt in circumſtantijs, cum ſit ab actibus religionis aliquo modo ſeparabilis, & tamen ad ipſos ut Deo grati ſint, neceſſario requiratur, tertio hoc præcepto ſingulariter imperatur.

9. Circumſtantiæ iſtæ ſunt vel internæ vel externæ.

10 Internæ ſunt vel *antecedentes*, vel *concomitantes*, vel *conſequentes*.

11. Circumſtantiæ antecedentes ſunt deſiderium, & animi excitatio, vel præparatio, in juſta meditatione eorum quæ pertinent ad rem illam ſacram quæ eſt tractanda; *Eccleſ.* 5. 1, 2. *Obſerva pedem utrumque tuum, quum adis domum ipſam Dei. Ne accelores ore tuo, & animus tuus ne feſtinet proferre quicquam coram ipſo Deo.*

12. Hæc autem præparatio maximè propriè pertinet ad actus illius religionis qui ſunt ſolenniores;

niores : ipſa enim meditatio, qua animus excitatur, eſt religionis actus, ſed ante ſe non requirit aliam etiam præparationem, ſic enim progreſſus fieret in infinitum : actus autem illi, qui ſua natura ſunt minus perfecti, viam facere debent ad perfectiores & ſolenniores.

13. Hinc ante auditionem verbi & precationem publicam, ac ſolennem, requiritur precatio privata, & ante precationem etiam privatam, ſi ſit ſolennis, requiritur etiam meditatio aliqua eorum quæ pertinent ad preces noſtras, ſive reſpectu Dei, quem precamur, ſive reſpectu noſtri, qui preces habituri ſumus, ſive reſpectu rerum ipſarum, quæ ſunt petendæ.

14. Circumſtantiæ *concomitantes* ſunt *reverentia & devotio.*

15. Generalis quædam reverentia Dei neceſſaria eſt ad omnem obedientiam, quæ reſpicit authoritatem Dei mandantis; ſed hæc reverentia propria eſt actuum religionis, quæ reſpectum habet ad ſanctitatem illarum rerum circa quas verſamur.

16. *Reverentia* iſta duo continet, 1. Iuſtam æſtimationem excellentiæ talium rerum. 2. Timorem nimiæ familiaritatis, qua ſcilicet res tales indignè poſſint à nobis tractari.

17. *Devotio* etiam duo continet. 1. promptitudinem quandam ſingularem, ad omnia illa præſtanda quæ pertinent ad Dei cultum. *Pſal.* 108. 2, 3. *Erecto animo meo ô Deus canam. Expergiſcar indè ab aurora.* 2. Delectationem congruam in ijs præſtandis. *Eſai.* 58. 13. *Si vocaveris ſabbatum delicias.*

18. Hinc etiam major, & alius generis cura debet

debet adhiberi in verbo Dei audiendo, quam in edictis principum recipiendis; Et in Dei nomine invocando, quam in supplicationibus, quas habemus hominibus quibuscunque.

19. Circumstantiæ consequentes sunt duæ, 1. vim & quasi saporem illius cultus in animis nostris retinere. 2. finem & usum ejus omni conatu obtinere.

20. Circumstantiæ externæ sunt illæ, quæ pertinent ad ordinem & decorum, 1. *Cor.* 14. 40. *Omnia decenter & ordine fiant.*

21. Harum autem generalis regula est, ut eo modo ordinentur, qui maximè facit ad ædificationem. *Ejusdem cap. vers.* 26.

22. Hujus naturæ sunt circumstantiæ loci, temporis, & similia, quæ sunt communia adjuncta actuum religiosorum & civilium.

23. Quamvis igitur hujusmodi circumstantiæ vocari solent à nonnullis ritus & ceremoniæ religiosæ, aut ecclesiasticæ: nihil tamen habent in sua natura, quod proprium est religionis, atque adeo in ijs non propriè consistit cultus religiosus, quamvis ex eorum neglectu & contemptu violatur aliquo modo sanctitas cultus religiosi: quia communis illa ratio ordinis & decori, quæ æquè convenit religiosis actibus, atque civilibus, à religioso cultu non potest separari, quin aliquo modo lædatur ipsius dignitas & majestas.

24. Hujusmodi igitur circumstantiæ, quæ sua natura sunt civiles aut communes, non sunt particulariter in Scripturis præceptæ, partim quia in communem hominum sensum incurrunt; & partim quia infra dignitatem & majestatem

legis

legis divinæ eſſet, ut talia ſigillatim in illa præſcribantur: hac etenim ratione, ridicula multa fuiſſent ſingulari lege cavenda, exempli gratia, ne in Eccleſiaſtico cœtu unus in alterius ſinu ſeſe collocaret, in alterius faciem conſpueret, aut ut poppyſmos faceret in ſacris actionibus. Habendæ tamen ſunt tanquam ex voluntate Dei præceptæ. 1. Quia in genere præcipiuntur ſub lege ordinis, decori, & ædificationis. 2. Quia pleræque earum neceſſario ſequuntur ex ijs quæ à Deo ſunt expreſsè conſtituta. Cum enim Deus conſtituit ut fideles omnis generis convenirent ad ipſius nomen & cultum celebrandum, conſequenter etiam inſtituit ut idoneum & commodum aliquem locum habeant in quo poſſint convenire, & horam etiam aſſignatam qua ſimul poſſint adeſſe; cum etiam miniſter à Deo ſit conſtitutus ad alios publicè inſtituendos, ſimul etiam conſtituitur, ut ſedem & ſitum corporis illum habeat, qui tali actioni congruit.

25. Illa igitur, quæ pertinent ad ordinem & decorum, non ita relinquuntur hominum arbitrio, ut poſſint quod ipſis libet ſub illo nomine Eccleſijs obtrudere: ſed partim determinantur generalibus Dei præceptis, partim natura ipſarum rerum, & partim circumſtantijs illis quæ ex occaſione ſeſe offerunt.

26. Variæ enim ordinis & decori circumſtantiæ tales ſunt, ut nulla inſtitutione publica accedente, debeant tamen à ſingulis obſervari, neq; poſſunt ab hominibus prohiberi ſine peccato.

27. Illæ autem conſtitutiones, quibus multæ hujus generis circumſtantiæ ſolent determinari,

circa

circa locum, tempus & similia, rectè ab optimis Theologis dicuntur esse partim divinæ partim humanæ: quia partim voluntate Dei nituntur, quoad summam & primariam earum rationem, & partim ex humana prudentia pendent, quoad particularem observationem eorum quæ Dei voluntati conveniunt: ita tamen, ut si nullus sit error hominis in illa determinatione constituenda, constitutio illa habenda sit quasi simpliciter divina. Vt enim illa hora diei conveniat Ecclesiæ ad Dei cultum, quæ omnibus circumstantijs consideratis est maximè conveniens, est Dei voluntas. Si igitur nullus sit error in circumstantiarum observatione, hora illa quæ ex earum consideratione justa conventui assignatur, agnosci debet quasi à Deo constituta.

28. Specialis modus cultus Dei specialiter determinari debet, prout cujusque actionis religiosæ specialis natura postulat.

29. Huc pertinet rectus modus verbum Dei audiendi, nomen ipsius invocandi, sacramenta participandi, disciplinam ecclesiasticam exercendi, & omnia illa singularia præstandi, quæ pertinent ad cultum Dei, vel naturalem, vel institutum. *Ezech.* 33. 31. *Matth.* 13 19. 1. *Cor.* 11. 27, 29. *Esa.* 66. 5.

30. Quia autem in juramentis modus jurandi maximè solet spectari, idcirco (non sine omni ratione) referri solet à multis ad istum locum in tertio præcepto, quamvis ex sua natura pertineat ad primum. *Lev.* 19. 12. *Matth.* 6. 34. 2. *Chron.* 36. 13.

31. Modo huic debito adversantur in genere

1 viti-

1. vitium illud quod à quibuſdam *accidia* vocatur, quo quis res divinas aut ſpirituales faſtidit. 2. *Tim.* 4. 3. quæ opponitur deſiderio illi, quo appetere debemus res ſpirituales. 1. *Pet.* 2. 2.

32. 2. *Pigritia* illa, qua quis alacritatem & laborem ad res divinas requiſitum refugit. *Rom.* 12. 11. quæ opponitur animi excitationi & fervori, quo res divinæ ſunt proſequendæ, *ibid.* & *Pſal.* 57. 8, 9.

33. 3. *Negligentia* & *contemptus* rerum ſacrarum, & earum *abuſus* ad res turpes, ludicras & leves, quæ omnia opponuntur reverentiæ ſacris rebus debitæ. *Luc.* 19. 46.

34. 4. *Torpor* & evagatio mentis in exercitijs cultus. *Heb.* 5. 11. *Ezech.* 33. 31. opponitur autem devotioni, qualis fuit in *Cornelio. Act.* 10. 2.

35. 5. *Temeritas* ac levitas in uſurpatione vel nominis vel titulorum Dei, vel eorum quæ ſingularem aliquem reſpectum habent ad Deum. *Ier.* 23. 34. *Luc.* 13 1. opponitur autem proſecutioni illi finis juſti, quæ cum reverentia in iſtiuſmodi rerum uſu debet adeſſe, 1. *Cor.* 11. 17.

36. 6. *Oblivio, Iac.* 1. 24, 25. quæ opponitur perceptioni fructus, & permanentiæ virtutis, quæ religionis actus conſequi debent.

37. 7. *Confuſio*, quæ ordini opponitur, & decoro. 1. *Cor.* 14. 33.

CAP.

Cap. XV.

De Tempore Cultus.

1. TEmpus cultus maximè ſolennis, jam eſt cujuſque ſeptimanæ dies primus, qui dicitur *Dies Dominica*, *Apoc.* 1.10. 1. *Cor.* 16.2.

2. *Dies* autem *Dominica* dicitur eadem ratione, qua Sacra Euchariſtiæ Cœna vocatur *Cœna Dominica*. 1. *Cor.* 11.20. quia ſcilicet & à Domino noſtro Ieſu Chriſto fuit inſtituta, & ad eundem etiam Dominum in fine & uſu debet referri.

3. Vt aliquod tempus divino cultui tribuatur, neceſſarium eſt, dictante ratione naturali: tempore enim indiget homo ad omnes ſuas actiones, præſertim externas: neque poteſt convenienter vacare divino cultu, niſi ab alijs operibus pro illo tempore vacet.

4. Hactenus igitur tempus cultus ſub idem præceptum cadit cum ipſo cultu; ſicut enim quum Deus mundum univerſum creavit, tempus etiam ejus dicitur ſimul concreaſſe, ſic etiam, quum actiones religioſas præcepit & inſtituit, earum etiam tempus aliquod, aut circumſtantiam neceſſariam ſimul præcepit & inſtituit.

5. Quod certus aliquis dies ſolenniori Dei cultui ſit deſtinandus, hoc etiam juris eſt moralis naturalis, Ethnicis ipſis non ignotum, qui dies ſuos feſtos, ſtatos & ſolennes, per omnia ſecula ſemper habuerunt.

6. Quod dies iſte ſolennis unus ſaltem debet eſſe in ſeptimana, vel ex cyclo ſeptenario, hoc poſitivi juris eſt, ſed immutabilis planè inſtitutionis,

tionis, ita ut respectu officij & obligationis nostræ, eandem planè vim & rationem habeat cum ijs, quæ ex natura sua sunt moralis & naturalis juris, atque adeo rectè à Scholasticis dicitur juris, esse *moralis*, non *naturæ*, sed *disciplinæ*.

7. Institutionem istam non fuisse cæremonialem & temporalem, ex eo satis apparet, quod nihil habet proprium Iudæorum, aut temporis legis cæremonialis, nemo enim potest vel audet negare, quin talis determinatio potuerit saltem propter moralem rationem & utilitatem fieri, quia licet ratio naturalis non dictet illam ipsam determinationem, ut necessariam dictat tamen, ut conuenientem, quatenus consentaneum apprehendit, ut Dei cultus frequenter exerceatur, & istam determinationem, quoad frequentiam dierum, hac ratione conuenientem esse non potest non agnoscere.

9. Idem etiam eo manifestum fit, quod ab initio creationis, quum nullus locus fuit cæremonijs ad Christum Redemptorem respectum habentibus, dies septimus, vel unus è septem cultui Dei fuit consecratus. *Gen.* 2.3.

9. Quod enim nonnulli contendunt, dictum hoc est prolepsin, aut anticipationem; vel quod sanctificatus tunc temporis fuit dies septimus in mente & proposito Dei, non in executione; vel quod nunc positum fuit fundamentum illius sanctificationis futuræ; non obligatio, aut lex ipsa: refutari hoc potest varijs argumentis. Nam I. Anticipatio ista nunquam cuiquam venit in mentem, qui præjudicio aliquo de obseruatione Diei Dominicæ non fuit prius anticipatus. Iudæi veteres nunquam de illa somni-

somniarunt; quorum sententia recepta fuit, festum hoc fuisse πανδημον, καὶ τῶν κόσμων γενέσιον, *omnium gentium, ab initio mundi.* Philo περὶ κόσμου, 14. In Novo Testamẽto nihil tale docetur, vel indicatur. Autores ipsi sententiæ illius; probabile esse concedunt, aliquam observationem diei septimi ab initio creationis incepisse. *Suarez de dieb. fest.* Interpretes optimi (Lutherus, Calvinus, &c.) quos in illam partem peccasse, ut plus nimio tribuerint diei Dominicæ, nemo affirmabit, diem septimum ab initio mundi fuisse sanctificatum, simpliciter & candidè agnoscunt. II. Hujusmodi prolepseos exemplum nullum dari potest in tota scriptura. Quamvis enim locorum quorundam appellationes prolepticè nonnunquam adhibeantur, præsertim in libro Geneseos, de hujusmodi tamen institutione prolepticâ nulla omnino fit mentio, vel in illo libro, vel in ullo alio totius scripturæ sacræ. III. Verba & phrases ipsius loci contrarium evincunt. *Gen.* 2.2,3. bis enim conjungitur creationis perfectio, cum septimi diei sanctificatione, eodem planè modo, & phrasi, qua creatio, & cæterorum animalium, & ipsius hominis, conjungitur cum ipsorum benedictione, *Gen.* 1.21,22,27,28. IV. Neque propositũ Dei, neque fundamentum nudũ ipsius rei sufficit ad ejusmodi phrasin de *sanctificatione*, & *benedictione*, fundandam ac sustinendam. Hac enim ratione dici potuisset Deus aquam, panem, & vinum in sacramenta novi fœderis sanctificasse, ex quo promissionem dedit de conterendo capite serpentis per semen mulieris. *Gen.* 3. 15. tunc enim Deo propositum fuit, fœdus illud gratiæ hujusmodi sigillis obsignare, cujus etiam obsignationis

onis

onis fundamentum aliquod positum fuit, partim in ipsa promissione, & partim in earum rerum creatione, quæ ad hujusmodi obsignationem actu potuerint adhiberi. V. Ex hujusmodi fundamento, in creatione prima posito, regulam & legem perpetuam colligit propheta. *Malach.* 2.15. *nonne unum effecit? quid autem unum? quæsturus semen Dei.* Sic itidem & nobis licet: nonne quievit Deus die septima? quid autem septima? sanctificaturus diem septimam Deo. VI. Hoc ipso niti videtur argumentatio Apostoli. *Hebr.* 4.3,4,5,7 8,9. quæ talis est: Duplicis quietis fit mentio in V. T. quarum pij participes fuerunt in hac vita una fuit sabbathi, & altera terræ Chanaan: David autem *Psal* 95. quietem promittens, non loquitur de quiete Sabbathi, quia illa fuit ab initio mundi: neque de requie in terra Chanaan, quia illa fuit præterita, non *hodie* exspectanda: ergo tertiam quandam requiem intelligit, id est, æternam in cœlo.

10. Neque huic veritati quicquam obstat, quod septimi diei observationem primis Patriarchis fuisse solennem, in historia Geneseos non memoratur; nam I Omnia & singula, quæ ab ipsis fuerunt observata per bis mille & quingentos annos, in tam brevi historia, qualis est illa Geneseos, neque potuerunt, neque debuerunt particulariter narrari. Post legem etiam de Sabbatho à Mose traditam, in libro Iudicum, & alijs quibusdam historicis, nulla fit mentio de eius observatione. I I. Si hoc ipsum concedatur, observationem hujus diei maximæ ex parte fuisse neglectã primam tamen institutionem non magis hoc dubiam reddere debet, quam polygamia

eorundem temporum, sacras coniugij leges primo ipsi conjugio non coæuas fuisse, possit monstrare. III. Ante promulgationem legis in monte Sinai obseruatio Sabbathi proponitur & exigitur, non tanquam res noua, sed jam olim instituta. *Exod.* 16. 24. 30. quod quamvis de sacrificijs, & alijs quibusdam ceremonialibus obseruationibus possit etiam affirmari, in Sabbatho tamen propter rationes antea positas, respectus quidam haberi viderur ad primam illam institutionem, quæ fuit hominis creationi coæua, quod indicatur etiam vers. 30. verbo illo præterito, *dedit vobis, &c.* IV. Apud ipsos Ethnicos vestigia illa semper fuerunt obseruationis diei septimi, vt plus quam probabile sit, traditam ipsis fuisse istam obseruantiam à Patriarchis illis quorum posteri fuerunt. *Iosephus lib. poster. contra Appionem, negat vrbem vllam aut Græcorum, aut Barbarorum posse reperiri, quæ cessationem diei septimi ab opere in suos mores non recepisset. Clemens Alexandrinus l. 5. Stromat. idem etiam demõstrat.* ὅτι τὴν ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι ἀλλὼ ὅτι οἱ ἕλληνες ἴσασι. *Euseb. de præparatione Euangelica lib. 13. affirmat septimum diem, non Hebræos tantum, sed omnes fere, tam Philosophos, quam Poëtas, sacratiorem esse cognouisse. Lampridius in Alexandro Seuero, narrat eum septimo die, quam in vrbe esset, ascendisse Capitolium & templa frequentasse. Neq; ab hoc proposito alienum est illud, quod septimo die feriæ pueris in scholis solitæ fuerunt concedi. Lucianus in Pseudologista. Aulus Gellius l. 13. c. 2. Et Doctores quidam Ethnici Sabbathis tantum disputare solebant, vt de Diogene quodam refert Suetonius l. 3.* Hesiodus 2. dierum ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ Linus ἑβδόματα

ἀλὴ τελεσμένα πάντα τέτυπται, ἐβδόμη εἶν ἀγαθοῖς καὶ ἐβδόμη ἐστὶ γενέθλη. V. Antecedens obliuio, vel incuria, & neglectus huius diei, videtur facile perstringi, voce illa hortatoria, quæ in principio quarti præcepti adhibetur, *memento*.

11. Huius autem institutionis jus, & autoritas moralis ac perpetua ex eo maximè declaratur, quod expressè præcipitur in decalogo; hæc enim regula est certissima, & inter optimos omnes Theologos recepta; præcepta moralia à ceremonialibus & iudicialibus in eorum traditione sic fuisse discriminata, vt omnia & sola moralia publicè fuerint coram toto populo Isroëlis, ex monte Sinai, ipsius Dei voce proclamata, & postea etiam proprio Dei quasi digito scripta, & rescripta, idque in tabulis lapideis, ad perpetuam & immutabilem ipsorum durationem indicandam; Christus etiam expressè testatur nullum *jota* aut apicem huius legis periturum. *Matth.* 5. 18.

12. Non est quidem eodem planè gradu, & modo, moralis naturę, quod in quarto pręcepto mandatur, cum ijs, quę in cęteris ferè omnibus pręceptis imperantur, quia est positiui juris, vndè etiam fit, cum priora tria pręcepta fuerunt negatiuè proposita, vetando illa vitia, in quę nos procliues sumus ex prauitate nostrę naturę, quartum hoc pręceptum affirmatiuè primò proponitur, indicando & imperando illud, quod hac in parte ad officium nostrum spectat, & postea negatiuè, illa vetando, quę huic officio repugnant, quę eadem etiam (ex parte) est ratio admonitionis illius quę huic pręcepto singulariter pręfigitur,

tur, *Recordare diei Sabbathi*, id est, memento observare istum diem, vt explicatur *Deut.* 5. 18. quia facilius in obligationem posset abire, cum sit positivi juris, quam alia multa, quæ sunt magis naturalia. Ius tamen hoc positivum, quo nititur hæc institutio, est jus divinum, & respectu hominum prorsus immutabile.

13. Qui præceptum istud quartum vertunt in Allegorias, de cessatione à peccatis, & à molestijs hujus vitæ, ac similibus, & inde Sabbathum quadruplex aut etiam quintuplex fingunt, pro more eorum qui allegorijs ludunt, ij nihil omnino tribuunt huic decalogi mẽbro, quod non æquè & magis multo propriè cõuenit multis cæremonijs Iudaicis, quæ jam sũt prorsus abrogatæ.

14. Qui autem ceremoniale volunt esse hoc præceptum (quale etiam secundum volunt esse) præterquam quod satis refutantur ex ijs, quæ ante dicta fuerunt, contraveniunt expresso scripturæ testimonio, quæ affirmat *decem verba* vel præcepta moralia in decalogo contineri. *Exod.* 34. 18. *Deut.* 4. 13 & 10. 4. cum illi novem tantum relinquunt, vel potius octo.

15. Qui illud tantum volunt esse morale in hoc præcepto, ut aliquod tempus, vel certi quidam dies, divino cultui assignentur, non magis moralem hanc institutionem faciunt, quam fuit exstructio tabernaculi, ac templi inter Iudæos. Eo ipso enim fuit omnibus hæc Dei perpetua voluntas indicata, locum aliquem commodum semper assignandum esse cœtibus Ecclesiasticis, & publicis exercitiis cultus divini, ita at hac ratione non magis detur morale præceptum de aliquo tempore

re cultus, quam datur de loco, atque adeo ne illud quidem, quod ſolum in quarto præcepto relinquunt) *obſervabis dies feſtos*, magis debuit in decalogo poni, quã *templa frequentabis*.

16. Præterea feſti dies anniverſarij novilunia, & ſimiles inſtitutiones, quæ merè ceremoniales fuerunt, æquitatem iſtam generalem in ſeſe etiam continent, & adhuc nos docent certos quoſdam & accomodos dies cultui publico aſſignari debere. Hac denique ratione, Deus omnibus & ſingulis hominibus iſthoc præcepto nihil quicquam mandaret: cum enim inſtitutio dierum ex hac ſententia tantum mandatur immediatè, & non eſt penes privatos homines dies hos, aut illos inſtituere ad publicum cultum, ipſis hoc pacto nihil omnino mandaretur, niſi ex arbitrio eorum, qui publicis muneribus funguntur, neque ipſis etiam ſpecialiter quicquam mandaretur, ſed tantum in genere, ut pro ſua prudentia agant in ſegregatione dierum ad publicum cultum, ita ut ſi ipſis videatur, diem unum ex viginti, aut triginta, huic uſui aſſignare, non poſſint hoc nomine argui alicujus peccati in violatione hujus præcepti.

17. Si ceremoniale unquam quicquam fuerit in Sabbatho quoad ipſam obſervationem diei, habendum eſt illud pro acceſſorio, aut extrinſecus accedente conſtitutione, præter naturam Sabbathi, & primam ejus inſtitutionem; atque adeo nihil impedit, quin ſeptimæ diei inſtitutio fuerit ſimpliciter moralis: ſic enim & ad alia quædam præcepta acceſſit ratio ceremonialis alicujus typi, ut in autoritate

Patrum & Primogenitorum familiarum, quæ pertinet ad quintum præceptum, fuit adumbratio aliqua Christi, qui promogenitus est inter filios Dei.

18. Neque tamen certo apparet ex Scripturis ullam unquam fuisse propriè dictam ceremoniam, aut typum in observatione diei septimæ; nam quod *Heb.* 4. 9. mentio fit Sabbathismi spiritualis typo antea præsignificati, sub ratione typi refertur tantum ad quietem promissam in terra Canaan, & per similium comparationem, ad quietem Dei; sed nullo modo, vel minima significatione refertur ad quietem imperatam in quarto præcepto tanquam ad typum aut umbram.

19 Quod autem *Exod.* 31. 13, 17. *& Ezech.* 20. 20. Sabbathum appellatur *signum* inter Deum & populum ipsius, non potest inde constitui typus, & futuræ alicujus gratiæ repræsentatio: quia I. signum idem sæpe notat, quod argumentum, aut documentum, sicut etiam doctissimi Interpretes annotant ad *Exod.* 31. *Signum est inter me*, &c. id est, *documentum.* Sic charitas nostra mutua signum est, quod sumus discipuli Christi. *Ioh.* 13, 35. sed non est typus. II Sabbathum in istis locis non dicitur signum rei alicujus futuræ, sed presentis, quemadmodum adjunctum omne visibile concomitans est signum subjecti præsentis: In observatione enim Sabbathi est communis & publica professio communionis illius quæ inter Deum & nos intercedit: sicut igitur omnis professio solennis est signum illius rei, cujus fit professio, sic etiam Sabbathum communi ista ratione dicitur signum.

20. Atque

20. Atque hæc eſt maximè propria ratio, cur Sabbathi obſervatio tantopere urgetur, & ejus violatio tam ſeverè vindicatur in vetere Teſtamento: quia ſcilicet in Sabbatho fuit communis, & publica profeſſio totius Religionis hoc enim mandatum, prout clauſula eſt prioris tabulæ legis, ita ſummatim totum cultum Dei complectitur, dum ad omnia ejus exercitamenta certum diem imperat. *Iſa.* 56. 2.

21. Circa Sabbathi obſervationem fuerunt cæremoniæ multæ inſtitutæ: ſed ex iſtis Sabbathi obſervatio non magis reddebatur *cæremonialis* quam *judicialis*, aut *politica* fuit propter judiciales illas leges quibus tum temporis cautum fuit, ut cum omni religione celebraretur. *Exod.* 31. 14.

22. Accommodario illa quarti præcepti ad ſingularem ſtatum Iudaicum, quæ fuit in obſervatione diei ſeptimæ ab initio creationis, præceptum ipſum non magis reddit cæremoniale, quam præceptum quintum cæremoniale facit promiſſio de terra Canaan populo Iſraelitico promiſſa, *ut ſis longævus in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus eſt*: aut quam omnia præcepta ceremonialia facit præfatio illa, *ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti.*

23. Poteſt quidem concedi arctiorem aliquam obſervationem Sabbathi illis temporibus fuiſſe imperatam, pædagogiæ & ſervitutis tempori accommodatam, quæ ſeculis omnibus non obtinet; hoc tamen non impedit, quin obſervatio ipſa ſit plane moralis, & omnium ſeculorum communis.

24. Nihil tamen ex Script. adferri poteſt, quod

quod unquam fuit circa ſtrictam obſervationem Sabbathi Iudæis imperatum, & non eadem ratione pertinet ad omnes Chriſtianos, præter accenſionem ignis, *Exod.* 35. 3. & cibi communis apparatum, *Exod.* 16. 14. At vero iſta præcepta videntur ſpecialia fuiſſe, & ex occaſione particulari data; de ignis enim accenſione non agitur, niſi in exſtructione tabernaculi, quam Deus voluit indicare operam non eſſe tam ſanctam, quin die Sabbathi poſſit ac debeat intermitti. Neque de cibi apparatu fit ulla mentio, niſi cum Manna de cœlo fuit ex miraculo miſſa, quæ per miraculum etiam die Sabbathi conſervata. Et ex hiſtoria Chriſti veriſimile admodum apparet, approbaſſe ipſum cibi apparatum ignis accenſione factum die ipſa Sabbathi. Invitatus enim à Iudæis ad convivia quæ habeant die Sabbathi, non detrectavit adeſſe, *Luc.* 14. 1, &c.

25. Quod Sabbathi ratio aliquando referri videtur ad liberationem populi Iſraëlis ex captivitate Ægypti, non vertit Sabbathum in ceremoniam. Nam I. Omnia præcepta referuntur aliquo modo ad eandem liberationem, ut apparet ex præfatione decalogi. II. Non apparet Sabbathum ipſum ſingularem aliquam relationem habuiſſe ad iſtam liberationem, ſed illa tantum ratione mentionem fieri eductionis ex Ægypto, *Deut.* 5. 21. quod cum Iſraëlitæ ſervi antea fuerãt in Ægypto, tempus hoc ceſſationis debuerint eo magis promptè ac libenter ſuis ſervis concedere.

26. Quod ultima dies hebdomadæ fuit olim obſervata, hoc divinitus fuit olim inſtitutum à tem-

tempore creationis primæ, quia Deus illa die ceſſabat ab operibus creationis.

27. Quod mutatas jam ſit dies ultima hebdomadæ in diem primam, hoc non factum eſt authoritate humana, ſed divina. Solus enim ille mutare potuit diem Sabbathi, qui Dominus eſt Sabbathi, id eſt, Chriſtus. *Marc.* 12. 8. unde etiam dies illa prima quæ ſucceſſit, dicitur propriè *dies Dominica.*

28. Si dies hæc Dominica concedatur Apoſtolicæ fuiſſe inſtitutionis, authoritas tamen illa, qua nititur, nihilominus eſt divina; quia divino ſpiritu agebantur Apoſtoli non minus in S. inſtitutionibus, quam in ipſa doctrina Evangelij, vel verbo vel ſcriptis proponenda.

29. Cum etiam inſtitutio iſta nulla nitebatur ſingulari aliqua occaſione ad tempus tantum duratura, qua poſſit reddi temporaria, neceſſario ſequitur mentem inſtitutorum fuiſſe, ut hujus diei obſervatio perpetui ſit & immutabilis juris.

30. Veriſimilius tamen eſt Chriſtum ipſum in ſua propria perſona autorem fuiſſe hujus inſtitutionis. I. Quia non minus fidelis fuit Chriſtus in tota domo vel Eccleſia Dei ordinanda quoad omnia generaliter neceſſaria & utilia, quam fuit Moſes, *Hebr.* 3. 2. 6. Sed hujus diei obſervationem generaliter utilem eſſe & aliquo modo neceſſariam Eccleſijs Chriſti, nemo Chriſtianus poteſt cum ulla ratione negare. II. Quia Chriſtus ipſe poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis in unum locum congregatis ſæpius apparuit hac ipſa die. *Ioan.* 20. 19, 26. III Quia Spiritum S. ſuper ipſos effudit hac ipſa die.

Actor. 2. IV. In praxi Ecclesiarum tempore Apostolorum, cum mentio sit hujus observationis primæ diei. *Act.* 20.7. 1. *Corinth.* 16.2. non commemoratur ut nuperum aliquod institutum, sed ut res dudum recepta inter omnes discipulos Christi. V. Apostoli in rebus omnibus illa tradiderunt Ecclesijs, quæ acceperant à Christo. 1. *Cor.* 11.23. VI. Non potuit ne unam quidem septimanam post Christi mortem differri hæc institutio, ita ut maneret firma illa lex de una die ex singulis hebdomadis sanctificanda secundum determinationem ipsius Dei: quam tamen legem perpetui juris esse fuit antea demonstratum. Sabbathum enim Iudaicum respectu determinationis quam habuit ad diem septimam, in Christi morte fuit abrogarum: quod enim Apostoli aliquandiu postea die illa Sabbathi interfuisse leguntur cœtibus Iudæorum. *Act.* 13.14. & 16.13. & 17.2. & 18.4. id eo nomine præcipuè fecerunt, quia tum optima fuit occasio Evangelium Iudæis prædicandi: sicut etiam postea maximè cupiebat Apostolus Hierosolymis esse die pentecostes. *Actor.* 20.16. quia tum temporis eo in loco maximus futurus erat Iudæorum concursus. VII. Si eo usque dilata fuisset diei Dominicæ institutio, dum Apostoli successionem fecerant à Iudæis, & seorsim habuerant suos conventus. *Act.* 18.6,7. & 19.8. ut quidã volunt, tum per totum temporis intervallum, quod inter Christi mortem, & separationem istam intercedebat, quod fuit ultra triennium, præceptum quartum neminem ad certæ alicujus diei observationem obligasset; quia dies Iudaica jam fuit abolita, & in hac sententia nulla nova fuit illi surrogata, atque

que ita nouem tantum præcepta fuiſſent in vigore per totum illud ſpatium. VIII. Ratio ipſa mutationis huius idem confirmat, quæ omnibus conſentientibus ad reſurrectionem Chriſti refertur: quia nempe iſta die creatio noui mundi vel mundi futuri, *Hebr.* 2.5. in quo omnia facta ſunt noua. 2. *Corinth.* 5.17. fuit perfecta, ita vt Deus jam in Chriſto à mortuis reſurgente ceſſauerit vel quieuerit ab opere ac labore ſuo maximo. Sicut igitur in initio creationis, cum quieuit Deus ab operibus ſuis, tum benedixit & ſanctificauit diem illam in qua quieuit; ſic etiam par fuit, vt illa ipſa die qua Chriſtus quieuit à ſuis laboribus, eandem etiam diem ipſemet ſanctificaret. Neque facile rejiciendum eſt, quod ab antiquis quibuſdam vrgetur ex *Pſal.* 118.24. *hæc eſt dies quam fecit Jehoua*; eo enim loco agitur de reſurrectione Chriſti, Chriſto ipſo interprete. *Matth.* 21.42. IV. Maximè etiam conſentaneum fuit, vt ab illo inſtitueretur dies cultus ſub N. T. à quo cultus ipſe fuit inſtitutus; & à quo omnis benedictio & gratia in omni cultu eſt expectanda.

31. Qui diei Dominicæ obſeruationem habent pro traditione non ſcripta, ij ex eo facile poſſunt refutari. I. Quod nulla vna ſit res tanti momenti, atque eſt diei Dominicæ obſeruatio, ex communi ſenſu & conſenſu omnium fere Chriſtianorum, quæ pendet ex traditione non ſcripta. II. Aperitur hoc pacto janua ad varias ſuperſtitiones & humana commenta in Eccleſiam Dei introducenda, vel ſtatuminanda ſaltem, cum ſunt introducta. III. Multos inter Pontificios pudet huius commenti: quamuis enim

omnes

omnes Papistæ, ad superstitiones suas pallian-das, plus nimio tribuere solent traditionibus Ecclesiasticis, in observatione tamen diei do-minicæ, illa impressio authoritatis divinæ ap-paret, ut non paucos eorum coegerit illam ad-scribere non humano alicui, sed divino juri. Ban-nes in 2. 2. q. 44. a. 1. autor supplementi ad sum-mam Pisanam verb. *dominica*, Abbas in cap. *licet* de fer. n. 3. Ang. ver. *feria* 3. Silvester ver. *dominica*. q. 1. 7. Alexander etiam 3. pontifex Rom. in jure ipso canonico, *de feriis* cap. *licet*. affirmat, *tam veteris quam novi testamenti pagi-nam, septimam diem ad humanam quietem specia-liter deputasse*, id est, (interprete Suarez de dieb. fest. cap. 1) *utramque testamentum ap-probavit morem deputandi ad quietem humanam, septimum quemque diem hebdomadæ: quod est for-maliter deputare septimum diem, licet materialiter non idem dies fuerit semper deputatus: & hoc mo-do verum est, septimum illam diem in lege veteri esse Sabbatum, in nova vero esse dominicam diem.*

IV. Qui inter ipsos diem Dominicam annu-merant traditionibus, pædobaptismum etiam, idque cum majori specie, eodem loco & nu-mero habent. Nostri autem omnes, qui de istis traditionum exemplis Pontificijs responderunt, contendunt semper, institutiones istas, & alias omnes quæ sunt ejusdem utilitatis & necessitatis in Script. ipsis reperiri.

33. Quæ ex scripturis contra solent afferri *Rom.* 14. 5. *Gal.* 4. 10. *Col.* 2. 16. huic veritati nihil omnino repugnant. Nam 1. in istis locis omni-bus diei alicujus observatio ad usum religio-nis ex instituto Christi, non magis dānatur, aut

negatur

negatur, quam certi alicujus cibi electio ad usum religionis ex ejusdem Christi instituto: at vero nemo Christianus adeo deseritur ab omni ratione, ut ex illis locis concludere velit, electionem panis & vini in cœna Dominica ad usum religionis, vel esse illicitam, vel non à Christo institutam: neque igitur potest quidquam ex ijs concludi, adversus observationem diei dominicæ ex usu & instituto Christi. II. Apostolus ad *Rom.* 14. expressè loquitur de illa æstimatione dierum, quæ offensionem tum temporis pariebat inter Christianos: at vero observatio diei Dominicæ, quam Apostolus ipse tum temporis in omnibus ecclesijs obtinuisse docet. 1. *Cor.* 16. 1. & 2. non potuit ullam occasionem præbere alicujus offensæ. III. Maximè verisimile est Apostolum illo in loco agere de selectione dierum ad certos cibos comedendos aut rejiciendos: quæstio enim illius disputationis proponitur versu 2. de cibis tantum: versu autem 5. & 6. adjungitur æstimatio diei, tanquam eodem spectans, & postea per totum caput reliquum de cibis tantum agitur, dierum nulla mentione facta. IV. In loco illo ad Gal. agitur expressè de illa tantum observatione dierum, mensium, & annorum, quæ pertinebat ad servitutem infirmiorum & *egenorum elementorum*, cap. 4 9. at verò præceptum aliquod Decalogi aut Institutionem aliquam Christi, illo sensu habere, longè abfuit ab Apostolo, & ab ipsa religione Christiana, est prorsus alienum. V. *Col.* 2. speciatim & diserte agitur de Sabbathis illis quæ ejusdem generis fuerunt cum noviluniis, & cæremoniales umbræ fuerunt rerum futurarum in Christo:

Christo: Sabbathum autem in Decalogo præscriptum, & dies nostra Dominica, aliàs prorsus sunt naturæ, sicut antea fuit demonstratum.

34. Neque verò ex ista sententia imminuitur quidquam Christiana libertas (vt sine ratione metuere videntur quidam) non est enim libertas, sed licentia non Christiana, si qui liberari sese putent ab obseruatione vllius præcepti Decalogi, aut ab institutionibus Christi: & experientia etiam docet licentiam, & rerum sacrarum non-curantiam, magis magisque invalescere, vbi diei Dominicæ justa ratio non habetur.

35. Neque etiam seruituti vlli subiectus fuit Adamus ex eo quod diem 7. singulari obseruatione sanctificare tenebatur.

36. Sicut autem Sabbathi veteris initium fuit à vespere: quia & creatio incipiebat à vespere, quoniam massa communis creata fuit ante lucem: & cessatio diei ab opere Creationis incipiebat etiam à vespere; sic Diei Dominicæ initium incipere videtur ab illius diei mane, quia resurrectio Christi fuit in primo mane. *Matt.* 16. 9. *Ioh.* 20. 1.

37. Ad huius diei rectam obseruationem duo sunt necessaria, *quies* & quietis illius *sanctificatio*.

38. Quies qui requiritur, est cessatio ab omni opere, quod exercitijs cultus diuini poneret impedimentum. Abstinendum est igitur isthoc die 1. ab omnibus illis operibus quæ propriè vocantur *seruilia*: quum enim istiusmodi opera nominatim olim excluſa fuerint in festis alijs omnibus solennioribus. *Leuit.* 23. 7. 8. 25. 32. 36. *Numb.* 28. 25. multo magis excluſa fuerint à Sabbatho.

39. Per

39. Per opera autem *ſervilia* ridiculum planè eſt intelligere peccata, aut etiam opera bona mercenaria, vel propter mercedem (ſervorum more) facta (ut nonnulli faciunt allegorico quodam luſu:) peccata enim non certis quibuſdam temporibus ſunt prohibita, & illicita, ſed ſemper & ubique: neque pertinet ad 4. præceptum agere quidquam de omnibus peccatis prohibendis; quamvis hoc aliquo ſenſu poſſit concedi, varia peccata aggravationem aliquam inde accipere, ſi die tam ſancta perpetrentur. *Iſai.* 58. 4. opera etiam illa mala quæ ex metu, vel ex ſpe planè ſervili fiunt, reſpectu illius modi, eandem naturam induunt cum alijs peccatis.

40. Servilia autem opera propriè ſunt illa, ad quæ peragenda ſervi aut ſerviles homines ſolent adhiberi, ut ſunt artificia mechanica & illa omnia ad quæ præſtanda magnus labor corporis poſtulatur: *arare, fodere*, &c. 2. præter hujuſmodi opera prohibentur etiam iſthac die omnia opera *noſtra*: ſicut colligitur ex oppoſita conceſſione quæ habetur in 4. præcepto, ſex diebus operaberis & facies omne opus *tuum*.

41. Vnde colligere eſt verbis illis ſeq. *die Sabbathi ne facito ullum opus*, omnia illa opera prohiberi quæ propriè vocantur noſtra, quamvis non ſint ſtrictè loquendo ſervilia aut mechanica.

42. Illa autem ſunt opera noſtra, quæ pertinent ad hujus vitæ uſus, id eſt, in rebus naturalibus, & civilibus verſantur, & propriè ad lucrum & commodum noſtrum ſpectant: quo in genere ſunt illa quæ ſua natura non ſunt ſervilia, ſed liberalia, ut ſtudia & exercitia artium liberalium:

multo

multo magis illa quæ ſunt liberorum & ſervorum communia, ut iter facere, civiles cauſas tractare, &c.

43. Sic enim explicatur iſta phraſis *Eſa.* 58. 3. *Præſtatis id quod delectat, ut omnes labores veſtros exigatis*, id eſt, rerum veſtrarum ſollicitè ſatagitis. verſ. 13. *exercendo vias tuas:* Quia autem Eſaias in illo capite, agit etiam, & præcipuè de maleficijs, vel operibus illis quæ omni tempore ſunt illicita, ut apparet ex verſ. 6. idcirco errare videntur pij quidam Theologi, qui ex iſthoc loco colligere ſolent, quodlibet verbum aut cogitationem humanam, vel humana ſpectantem, die Dominica uſurpatam habendam eſſe pro peccato: non enim omnia dicta, facta & cogitata humana die illa, de qua in eo capite agitur (ſive ſit Sabbathum propriè dictum, ſive jejunium ſolenne) aliena ibi judicantur & eo nomine ſimpliciter reprehenduntur; ſed illa tantum, quæ lucrum & commodum noſtrum, vel ſimpliciter illicitum, vel pijs exercitijs repugnans, ſolent ſpectare, ſicut apparet ex verſ. 3. & 6. De iſtis operibus ſervilibus & vulgaribus tam ſtricta lex habetur, ut die Sabbathine in ipſa quidem aratione & in meſſe ſimpliciter, id eſt, temporibus illis, quæ ſunt humanæ vitæ maximè opportuna & quaſi neceſſaria. *Exod.* 34. 21. neque in ijs, quæ mediatè & remotè ſpectant ad res ſacras, qualis fuit exſtructio tabernaculi. *Exod.* 31. 13 pergere liceat, ne dum ut vulgaris alicujus itineris ingreſſio, *Exod.* 16. aut mercatuum ac nundinarum frequentatio, *Nehem.* 13. licita ſit.

44. Hic tamen excipiuntur, 1. Illa omnia opera quæ ſunt communis honeſtatis: quum enim

enim ut ſemper alias, ſic etiam præcipuè die illa, quæ divino cultui ſingulariter dicatur, honeſtè & decorè debeamus nos gerere & agere, illa omnia, quæ ſimpliciter eo ſpectant, intelliguntur eſſe permiſſa. 2. Quæ ſingulari aliqua neceſſitate nobis imponuntur. *Matth.* 12. 11. quo in numero tamen non ſunt illo habenda, quæ homines ſibimetipſis quaſi neceſſaria faciunt aut fingunt: ſed quæ Dei providentia ex improviſo neceſſaria & inevitabilia eſſe apparet, id eſt, quum talis urget neceſſitas, qualem ſcriptura ipſa probat ut ſufficientem cauſam vulgare aliquid agendi. 3. Opera illa omnia, quæ directè ſpectant cultum & gloriam Dei. *Matth.* 12. 5. *Ioh.* 5. 8, 9. in iſthoc enim caſu opera illa, quæ ſunt ſua natura ſervilia tranſeunt in naturam operum ſacrorum, neque propriè ſunt opera noſtra, ſed opera Dei.

45. Quies iſta quamvis in ſe abſolutè conſiderata, non ſit, neque unquam fuerit pars aliqua cultus; prout tamen à Deo imperatur, tanquam neceſſarium quid ad ipſius cultum, & ad illum etiam refertur, eatenus eſt pars obſervantiæ illius quæ pertinet ad religionem & cultum Dei.

46. Sanctificatio hujus quietis ac diei, eſt applicatio noſtrum ipſorum ſinglaris ad Deum illo die colendum: quod innuitur illis ipſis phraſibus, *ſanctificavit illum diem*, & *Sabbathum eſt Iehovæ Deo tuo.*

47. Cultus hic publicus imprimis debet ſpectari, unde etiam eſt quod appellatur Sabbathum *convocatio ſancta. Leuit.* 23. 13. *Actor.* 13. 14. & 15. 23. & 16. 13. Quod autem publica

illa

illa convocatio Ecclesiæ & ante & post meridiem die dominica debet haberi, apparet satis ex duplici holocausto Sabbathi, matutino & vespertino, *Num.* 28 9.

48. Sed reliqua etiam pars diei impendi debet exercitijs pietatis: quamvis enim holocaustum olim fuit peculiare Sabbathi; iuge tamen aut quotidianum holocaustum libamine suo non fuit omittendum. *Num.* 28 10.

49. Cultus etiam ipse publicus quum maximè solenniter est celebrandus, postulat necessario illa exercitia Scripturæ lectionis, meditationis, precum colloquiorum sanctorum, & contemplationis operum Dei; quibus & paratiores fiamus ad publicum cultum, & ille etiam in nobis verè efficax reddatur.

50. Institutioni hujus diei Dominicæ repugnant omnes dies festi, ab hominibus instituti, ita ut habeantur pro diebus sanctis sicut dies dominica debet haberi.

51. Maximè enim consentaneum est cum prima institutione, & cum scriptis apostolicis, ut unus tantum dies in septimana sanctificetur.

52. Iudæi nullos habuerunt dies festos ritè sanctificatos, nisi ex institutione divina.

53. Possunt tamen dies qualescumque pie converti in occasione cultum Dei promovendi.

54. Quum etiam Deus suis judicijs singularibus ad solenniora jejunia vocat, dies illæ habendæ videntur quasi pro Sabbathis extraordinarijs.

55. Repugnant etiam observationi diei dominicæ, omnes negotiationes, exercitia, convivia,

vivia, ludi, & similia, quibus animus hominis hac die abstrahitur ab exercitijs religionis.

CAP. XVI.

De Iustitia & Charitate erga proximum.

Hactenus de Religione: sequitur Iustitia, quæ Secunda Tabula continetur.

1. *IVstitia est virtus, qua inclinamur ad debitum officium proximo præstandum.* Sic officium liberorum erga suos parentes dicitur *justum esse. Eph.6.1.* & dominorum officium erga suos servos vocatur *jus* & *æquum, Col.4.1.* & omnia illa, quæ proximis debemus, *justè vivendo* præstantur. *Cap.2.12.*

2. Iustitia autem hoc in loco non maximè generaliter accipitur, ut omne officiū ad alterū designet: sic enim & religionem ipsam complectitur; nam justitia illa, quæ dicitur generalis, nihil aliud est quam virtus in genere; sicut antea fuit indicatum; cum inter generales, affectiones virtutis Iustitiam primariam esse ostendimus: neque maximè particulariter intelligi debet, ut respiciat vel meriti vel accepti quantitatem, sic enim pauca tantum Secundæ Tabulæ officia continet, illa scilicet, quibus par pari refertur: sed media quadam ratione hic usurpatur, qua mutuum officium denotat inter eos, qui eodem jure tenentur; quo sensu totam Secundæ Tabulæ vim exhaurit.

3. Habet pro objecto *proximum*, id est, omnem illum

ilium sive hominem, sive etiam Angelum, qui nobiscum particeps est, vel esse potest, ejusdem finis, & beatitatis. *Luc.*10.36,37.

4. Hinc neque homines sancti, qualescunque demum fuerint, neque Angeli ipsi possunt esse objectum idoneum religionis, aut cultus illius religiosi, qui in Prima Tabula mandatur, sed lustitiæ tantum, aut officij illius proximo debiti, quod Secunda Tabula continetur: Vndè etiam illa argumenta ex natura rei petita omnem creaturarum adorationem excludũt. *Surge: nam & ego ipse homo sum.* Act. 10.26. *Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui observant verba libri hujus; Deum adora, Apoc.*22. 9.

5. Isthoc autem numero & nomine analogicè unusquisque includitur etiam suimetipsius respectu; quilibet enim sibimetipsi primum proximus est, deinde alijs. Vnde etiam est, quod nullum singulare detur præceptum, quo homo ordinetur adversus semetipsum dum enim rectè ordinatur ad Deum, & ad proximum, simul etiam ad semetipsum ordinatur; sed cum hac differentia, quod dispositio illa, qua aptus redditur aliquis ad officium suum Deo & proximo præstandum, pertinet ad eius perfectionem; sed eadem etiam officia & proximo & sibi (non autem Deo & sibi) debet præstare.

6. Quia verò modus ille, quo officia erga proximum sunt exercenda, est cum respectu & affectu ad eorum bonum; hinc eadem hæc virtus dicitur *Charitas* erga proximum. *Math.*22.39. *Marc.*12.31.

7. In ista Charitate ineſt semper *amor unionis, compla-*

complacentiæ, & beuevolentiæ, ſicut in Charitate illa, quæ eſt erga Deum; ſed accedit etiam ſæpè ratio miſericordiæ, cum proximi miſeria ſpectatur, quæ in Charitate erga Deum nullum habet locum.

8. Huius autem Iuſtitiæ obligatio, & Charitatis affectio, fluere ac derivari ſemper debet ex religione erga Deum. Religio enim, cùm honorem ſummum Deo tribuit, efficit ut ipſius voluntati obedientia præſtetur in iis etiam, quæ immediatè ſpectant ad creaturas; unde omnes illi, qui officium ſuum negligunt erga homines, Deum honorare negantur, ſed potius *contemnere*. 1. *Samuel* 2. 30. Charitas etiam erga Deum, quæ in religione continetur, ſua natura producit Charitatem erga homines, quatenus aliquo modo participes ſunt imaginis Dei; unde etiam Deum dicimur amare in hominibus, & homines in Deo, quæ una eſt ratio illius phraſeos, *dilecti in Domino*.

9. Hinc nihil homini propriè debetur, quod religioni adverſatur. *Act.* 4. 19. & 5. 29. *An iuſtum ſit, in conſpectu Dei, vobis potius auſcultare quam Deo, iudicate. Obedire oportet Deo, potius quam hominibus.*

10. Hinc etiam religionis veritas non poteſt conſiſtere non neglectu Iuſtitiæ, & Charitatis erga proximum. *Iac.* 1. 27. *Religioſus cultus, purus & incontaminatus apud Deum & Patrem, hic eſt, inviſere orphanos, & viduas in afflictione.* 1. *Ioh.* 4. 20. 21. *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Hoc præceptum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat etiam fratrem ſuum.*

11. Hinc

11. Hinc denique religio per iustitiam optimè probatur & exploratur secundum frequentem vsum Scripturæ, quod tamen argumentum multo certius negationi quam affirmationi inservit, si de externis operibus & officijs iustitiæ intelligatur: quia huiusmodi opera iustitiæ possunt aliquando adesse, vbi vera religio deest, sed religiode vera præsente, non possunt prorsus abesse.

12. Eadem etiam ratione opera iniusta magis arguunt hominem impium, quam illa, quæ justa sunt, arguunt pium; vnde opera carnis dicuntur esse *manifesta*, *Gal.* 5. 19 quod de fructibus Spiritus non affirmatur, *vers.* 22.

13. Charitatis huius ordo talis est, vt, cum Deus sit primo & maximè ex Charitate diligendus, atque adeo sit formalis quasi ratio Charitatis huius erga proximum, proximè post Deum nosmetipsos diligere teneamur, illa scilicet Charitate, quæ respicit veram beatitudinem; Deum enim ipsum amando vnionis amore nosmetipsos immediatè diligimus, Charitate illa summa, quæ respicit beatitudinem nostram spiritualem; alios autem quasi secundario, quos nobiscum participes esse volumus eiusdem boni; præterea alij possunt hac beatitudine priuari sine nostra culpa, nosmetipsi autem non possumus; magis igitur tenemur eam & velle & quærere nobismetipsis, quam alijs.

14. Hinc est, quod dilectio nostri quasi regulæ aut mensuræ vim habet ad dilectionem aliorum, *diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

15. Hinc nunquam licet in alterius gratiam peccatum vllum committere, quamvis delictum

nostrum

noſtrum videri poſſit exiguum, & ſummum bonum eſſe, quod alteri quæreremus; qui enim ſciens volens peccat, ſuam propriam animam odit. *Prou.8.36. & 29 24. Qui peccat in me, vim facit animæ ſuæ. Qui partitur cum fure, odit ſeipſum, & qui execrationem audiens, non indicat.*

16. Inter alios homines nemo quidem beatitudinis capax à Charitatis noſtræ complexu eſt planè remouendus; ſic enim Deum ſupra omnia diligamus, nullæ inimicitię apud nos adeo valebunt, quin propter Deum inimicos ipſos diligamus. *Matth.5.39. Rom.12.19. 1.Theſſ.5.15. 1.Pet.3.9.*

17. Inter homines autem ij magis quam cæteri ſunt diligendi, qui propius ad Deum, & in Deo ad nosmetipſos accedunt. *Gal.6.10. Simus benefici erga omnes, maximè verò erga domeſticos fidei.*

18. Quia verò fideles magis conjuncti ſunt & Deo, & nobis etiam ſpiritualiter, quàm nondum credentes, idcirco etiam magis ſunt diligendi.

19. Hoc tamen ſic eſt intelligendum, vt referatur ad tempus præſens & immediatum affectum; poſſumus enim alteri alicui idem bonum æquè aut magis etiam velle in tempore futuro, gratia Dei ac fide mediante; quo ſenſu affectio illa Apoſtoli circa Iſraëlitas eſt accipienda, *Rom.9.3.*

20. Si inter diligendos nulla ſit apparens diſparitas, neque reſpectu Dei neque reſpectu noſtri, tum æqualiter ſunt diligendi.

21. Si verò vlla diſparitas appareat vel in coniunctione ad Deum, vel noſmetipſos, tum ille,

ille, qui coniunctione aliqua excedit, magis est, diligendus ; hoc est, cum pariter circa omnes non possumus actum dilectionis exercere, magis tenemur dilectionem nostram in illis collocare, quos Deus per singularem aliquam coniunctionem aut communionem nobis commendavit, quam in aliis. Quamvis igitur æquè velle debemus aliorum etiam salutem, huius tamen voluntatis exercitium, & cura præcipuè debetur illis, qui nobis singulari aliqua ratione sunt coniuncti ; sicut miles, quamvis omnibus commilitonibus benè cupere debet, illos tamen maximè curare tenetur, qui sunt eiusdem cohortis, & in eodem ordine proximè adiuncti. Hoc ipsum apparet in illo exemplo Pauli, qui Israëlitarum salutem magis ardenter optabat, quam aliarum Gentium ; cuius affectus hanc unam rationem reddit, quia fratres eius fuerunt, & cognati secundum carnem. *ibid.*

22. In hac tamen Charitatis prærogativa illa sola bona coniunctis nostris sunt magis optanda, quæ propriè pertinent ad illam coniunctionem, qua nos attingunt, ut spiritualia bona iis, qui spiritualiter nobis maximè sunt coniuncti, & bona naturæ iis, quibuscum habemus coniunctionem naturalem : non quod ista genera bonorum sunt à semet invicem in nostris votis separanda, sed quod genus ipsum coniunctionis est quasi nutus Dei, quo ab ipso excitamur ad operam nostram in hoc aut illo genere præcipue collocandam.

23. Hinc sequitur : Primo, consanguineos cæteris paribus magis esse diligendos quam extraneos, in iis, quæ pertinent ad huius vitæ bona ;

bona;& inter conſanguineos maximè illos, qui ſunt propinquiores.

24. Secundo,amicum aliquem inſignem magis diligendum eſſe, quàm conſanguineum vulgarem,in ijs ſaltem, quæ pertinent ad officium vitæ commune, quia talis poteſt eſſe amicitia,ut arctiorem efficiat conjunctionem,quàm conſanguinitas ipſa per ſe. *Proverb.*18.24.*Eſt enim amicus conjunctior fratre.*

25. Tertio, parentes magis diligendos eſſe quam ullum amicum,quia major eſt coujunctio parentum qaam amicorum, quoad communicationem bonorum eorum, quæ nobis ſunt maximè intima 1.*Tim* 5.4 *Siqua vidua liberos aut nepotes habet,diſcat prius in propriam domum pietatem exercere,& vicem rependere parentibus: hoc enim eſt honeſtum, & acceptum in conſpectu Dei.*

26. Quarto, parentes magis diligendos eſſe quam liberos,in ijs bonis, quæ redundare debent ab effecto ad cauſam;cu us generis ſunt honor,æſtimatio,reverentia, gratitudo, & ſimilia. Sed filios magis diligendos eſſe quam parentes, in ijs,quæ derivari debent à cauſa in effectum; cujus generis ſunt ſuſtentatio,promotio,providentia,& ſimilia.

27. Quinto, conjuges magis eſſe diligendos, quàm vel parentes, vel liberos, in ijs, quæ pertinent ad vitæ ſocietatem,& unionem; maxima enim eſt illa conjunctio,de qua dicitur, *erunt in carnem unam. Gen.*4.24. *Matth.*19.5. *Idcirco relicturus eſt vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, eruntque in carnem unam.*

28. Sexto, illos, qui benè de nobis meruerunt, magis diligendos esse quam alios: & inter illos, qui spiritualia nobis communicarunt, maximè esse diligendos. *Communicet qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona.* Gal 6.6.

29. Septimo, communitatem aut societatem integram magis diligendam esse quam quodvis eius membrum, quia maior est coniunctio partis cum toto quam cum alia parte; atque idcirco Principem aliquem, cuius vita ac salus bono communi est necessaria, vel maximè utilis, magis diligendum esse quam plebeum aliquem, aut varios ex plebe; imo in temporalibus magis quam nosmet ipsos. 2. *Sam.* 21.17. *Non es proditurus ultra nobiscum in prælium, ut non extinguas lucernam Israelis.* Lament. 4.20.

30. Charitatis erga proximum duo sunt actus, *precatio* pro ipsius bono, & eiusdem *operatio*. *Mat.* 5.44. *Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite eis qui oderunt vos, & precamini pro eis qui vobis infesti sunt, & persequuntur vos.*

31. *Precatio* hæc, qua respicit honorem Dei pertinet ad religionem in Prima Tabula; sed qua respicit bonum proximi, pertinet ad iustitiam & Charitatem erga proximum in Secunda.

32. Precari autem illa omnia debemus, quę religio imperat ut ipsi velimus, sive sint spiritualia, sive corporalia.

33. Precatione hac includitur non tantum *petitio*, sed etiam *gratiarum* actio, qua Deum laudamus de bonis, quæ proximis communicavit. *Rom.* 1.8.9,10.

34. Precationi huic opponitur *imprecatio* illa, quæ

quæ tendit in proximi malum, quæ dicitur *exeeratio. Matth.5.44.*

35. *Operatio* boni erga proximum eſt, *conatus* circa ipſum tendens ad eius bonum; unde etiam vocatur *benefactum, ibid.* & *dilectio in facto. 1. Ioh. 3.18.*

36. Diſtinguitur hæc operatio à precatione; quia quamvis precatio ſit etiam conatus tendens in bonum proximi, non tamen immediatè verſatur circa ipſum proximum, ſed in Deum fertur.

37. Ad iſtam tamen operationem referri debent illi conatus qui circa alias creaturas verſantur in gratiam proximi; ibi enim eſt aliqua efficientia in actione noſtra, eiuſdem planè rationis, ac ſi immediatè circa ipſum proximum verſaretur.

38. Adhibetur autem conatus iſte vel *moraliter ſuadendo*, vel *realiter efficiendo.*

39. *Conatus* moralis ſuaſionis eſt in propoſitione boni ab ipſo præſtandi cum argumentis, quibus ad illud poſſit excitari.

40. Hoc autem ſit *admonitione, & exemplo bono.*

41. Admonitio hic generaliter accipitur pro qualibet commone factione, quæ verbis adhibetur, ſive fiat ad bonum proximi procurandam aut perficiendum, ſive ad mali aliquid propulſandum & reſarciendum.

42. Continet igitur in ſe officium docendi & admonendi. *Coloſ. 3. 16.* obſervandi alios, ut ipſos acuamus ad Charitatem & bona opera. *Heb. 10. 24.* exhortandi ipſos etiam quotidie. *Heb. 3. 13.* conſolandi adverſus triſtitiam ac dolorem. *1. Theſ. 4. 18.* & fraternum in modum

corrigendi, si offensa aliqua sint præoccupati. *Gal.*6.1.*Lev.*19.17.

43. Correctio autem hæc fraterna tum est adhibenda; cum malum corrigendum certo scimus esse admissum; cum spes adest alicujus fructus vel boni ex correctione nostra consecuturi, sive per emendationem fratris prolapsi, sive per aliorum conservationem ab ejusdem participatione; cum denique in tempore, persona nostra, & similibus circumstantijs adest opportunitas.

44. Admonitioni huic opponitur *consensus* vel communio cum alijs in eorum peccatis. *Ephes.* 5.7.11.

45. Consors quis dicitur alieni peccati novem modis, qui sic referuntur, *jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, nutans, non obstans, non manifestans*, id est, consensus præbetur peccantibus, suadendo, defendendo, auxiliando, permittendo cum possumus impedire, & tacendo cum utiliter possumus indicare. *Rom.*1.32.

46. *Exemplum bonum* est repræsentatio operis boni, quo alij possint excitari ad simile quid præstandum. 1.*Tim.*4.12. *Tit.* 2.4,7. *Matth.*5.16. 1.*Pet.*2.12.

47. Exemplo bono opponitur *scandalum*. 1. *Cor.*10.32,33. *Estote sine offendiculo, & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei.*

48. *Scandalum* est repræsentatio operis mali, quo alij possint vel excitari ad peccandum (unde προσκόμματα dicitur vel *impingendi causa*) vel impediri aut retardari à benefaciendo (unde σκάνδαλα vel *infirmationis causa*) & propriè scandalum

dalum vocatur. 1.*Cor.*8.9,10. *Videte ne quo modo facultas illa veſtra impingendi cauſa ſit infirmis, &c. Rom.*14.21. *In quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus eſt.*

49. In omni opere malo, quod alijs innoteſcit, ſcandali ratio ineſt *Matth.*18.6.7,8. *Quiſquis offendiculo fuerit. Si manus, pes, oculus facit ut tu offendas Si peccaverit in te frater tuus.*

50. Ineſt etiam aliquando in opere per ſe licito, ſi ratione aliorum non expediat. 1.*Cor.*8.13. *Si eſca offendiculo eſt fratri meo non edam carnes in æternum, ne ſim offendiculo fratri meo.*

51. Res autem media dicitur expedire vel non expedire, cum omnibus circumſtantijs conſideratis ad gloriam Dei & ædificationem proximi facit, aut non facit.

52. Nulla eſt authoritas humana, quę actionem illam reddere poteſt licitam, qua ſcandalum proximo datur.

53. Tum autem ſcandalum dicitur dari: vel cum peccatum aliquod manifeſtum perpetratur, aut ſaltem illud, quod evidentem ſpeciem habet peccati, admittitur, ita ut alijs innoteſcat; vel cum illud, quod ex Dei mandato non eſt nobis neceſſarium, & alijs tamen ſpiritualem perniciem adfert, temerè committitur: multo autem magis, ſi perverſio aut conturbatio proximi illo ipſo facto directè intendatur.

54. Si verò non ex conditione noſtri operis, ſed ex pura aliorum malitia offenſio ſequatur, tum dicitur ſandalum acceptum, ut Phariſæorum, quod non eſt peccatum noſtrum, ſed eorum, qui offenduntur. *Matth.*15. 12,13,14.

Nosti Pharisæos audito isto sermone offensos fuisse? Omittite illos: duces sunt cæci cæcorum.

55. Quamvis autem scandalum hoc *acceptum* non possit à nobis vitari: *datum* tamen illud potest ac debet. Deus enim non imponit suis unquam necessitatem quemquam offendendi.

56. Scandalum illud quo dicitur quis (metaphoricè) semetipsum offendere, aut occasionem peccandi sibimet præbere, analogicè refertur ad scandalum datum.

57. *Realis affectio* aut procuratio boni proximi est, cum nos ipsi præstamus aliquid, quod per se tendit in bonum proximi nulla ejus opera interveniente. *Hcb.* 13. 16. *Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini.*

58. Quamvis autem omnes justitiæ actus Charitatem debent habere conjunctam, nonnulli tamen sunt, in quibus justitiæ ratio magis elucet, & alij in quibus Charitas dominatur.

59. Hinc illa distinctio oritur, qua quædam officia dicuntur esse justitiæ strictè sumptæ, & alia Charitatis: cuius differentiæ & formalis etiam distributionis Christum habemus authorem. *Luc.* 11. 42. *præteritis judicium & charitatem Dei.*

60. Justitiæ actus illa sunt, qui habent in se rationem debiti, & æqualitatis respectu alterius.

61. Charitatis actus illi sunt quibus bonum alterius spectatur magis quam nostrum debitum.

62. Justitiæ officia sunt priora & strictioris obligationis, quàm illa, quæ sunt Charitatis.

63. Hinc

63. Hinc magis tenemur ſolvere debita noſtra quã aliquid ex noſtro largiri, & qui alterum offendit, magis tenetur ad reconciliationem quærendam, quam qui eſt offenſus.

64. Iuſtitiæ huius duplex eſt in multis ratio, quarum una reſpicit finem proximum & verba legis obligantis, quæ iuſtitia dicitur ſtrictiſſimo ſenſu; altera verò finem remotum & legis rationem, quæ dicitur æquitas vel *clemẽtia*.

65. Partes huius iuſtitiæ duæ ſunt, quarum altera ſua unicuique tradit, & vocatur *iuſtitia diſtributiva*; altera ſuum cuique reddit, & dici poteſt *iuſtitia emendativa*.

66. Diſtributiva iuſtitia rectè præſtari non poteſt abſque recta diiudicatione rerum & perſonarum, decentéque comparatione rerum ad res, & perſonarum ad perſonas, ex qua oritur illa proportio, quæ Geometrica vocatur.

67. Iuſtitiæ diſtributivæ opponitur *acceptio perſonarum*, qua unus alteri præfertur in diſtributione bonorum debitorum ſine iuſta ratione.

68. Iuſtitia emendativa eſt vel *commutativa*, vel *correctiva*.

69. Commutativa iuſtitia eſt æqualitas redditi & accepti.

60. Correctiva iuſtitia iniuſtitiam aliquam præſupponit; eſtque vel *civilis*, vel *criminalis*.

71. Civilis præcipuè corrigit iniuſtitiam rei.

72. Criminalis præcipuè corrigit iniuſtitiam perſonæ.

73. Ad correctivam iuſtitiam pertinet *vindicta* & *reſtitutio*.

74. Vindicta eſt actus iuſtitiæ correctivæ, quo pœna infligitur illi, qui iuſtitiam violavit.

75 Hujus finis debet esse peccantis emendatio vel cohibitio, aliorum quies & admonitio, atque adeo justitiæ conservatio & honor Dei. *Deut.* 13. 11 & 17.13. & 19 20. & 21. 21. *Vt audiant omnes Israelitæ, & timeant, nec pergant facere secundum rem malam hanc in medio tui.*

76. Restitutio est actus justitiæ correctivæ, quo alter iterum statuitur in possessione rei suæ, qua fuit injustè privatus.

77. Hinc actio obligans ad restitutionem debet esse contra justitiam strictè sumptam, & non contra Charitatem solam.

78. Huic justitiæ opponitur *injuria.*

79. Charitati opponitur *malevolentia*, sive sit formalis per intentionem directam, sive virtualis per interpretationem.

70. Ad malevolentiam istam pertinet *discordia injusta*, quæ si erumpat in secessionem, præsertim in ijs, quæ spectant ad religionem, dicitur propriè *Schisma.*

Cap. XVII.

De Honore Proximi.

1. Justitia erga proximum, vel afficit eum immediatè, vel mediante alia aliqua actione.

2. Justitia quæ immediatè afficit proximum, vel respicit gradum conditionis in quo proximus collocatur, vel conditionem ipsam absolutè consideratam.

3. Quæ respicit gradum ejus, dicitur *honor*, qui

qui in quinto præcepto imperatur: quod dicitur *primum cum promiſſione*; *Epheſ.* 6. 2. vel quia primum eſt tabulæ ſecundæ, vel quia primum & unicum eſt in tota lege, quod ſingularem & ſibi propriam habet promiſſionem adjunctam.

4. Supponitur hic & ſancitur ſocietas hominum inter ſeſe, privata vel œconomica, & publica, vel politica, qua debent alij alijs inſervire mutuis officijs juſtitiæ & charitatis conjuncti, ut religionem illam, qua Deum colunt, erga homines exerceant & oſtendant.

5. Hinc ſolitaria illa vita, quam Eremitæ quidam ſibimet ut angelicam elegerunt, & alij alias ob cauſas amplectuntur, tantum abeſt à perfectione, ut, niſi extraordinaria aliqua ratione (idque ad tempus tantum) ſuadeatur, legi ac voluntati Dei prorſus adverſetur.

6. Quia verò ſocietas humana fundamenti locum habet ad reliqua omnia juſtitiæ & charitatis officia, quæ in ſecunda legis tabula præcipiuntur, illa igitur ſcelera, quæ directè faciunt ad ſocietatis hujus perturbationem, confuſionem, & everſionem, graviora ſunt peccata, quam ſingularium præceptorum violationes.

7. Quamvis autem ſocietas politica à Deo ſanciatur æquè ac œconomica, non tamen, ut huius (una cum Eccleſiaſtica) ſic illius, certa aliqua forma eſt omnibus populis à Deo præſcripta, ſed eorum libertati relicta, ut (poteſtate eorum integra manente) illam inſtituant, quæ maximè facit ad religionem & juſtitiam inter ipſos conſtituendam.

8. Atque hæc una est ratio cur parentum tantum fit mentio in quinto præcepto: quia œconomica sola societas (quæ est planè naturalis) per omnia sæcula, omnesque gentes, una & eadem erat mansura: cui illa etiam accedit, quod hic est primus gradus, in quo fons & seminarium est omnis societatis; unde etiam aliorum omnium potestate superiore pollentium authoritas, *patris* appellatione designatur & mitigatur. 2. *Reg* 2.12. & 5.13. & 13.14. *Gen.* 41.8, 43.1. *Sam.* 24.12. 1. *Tim.* 5 1.

9. *Honor* est agnitio dignitatis, vel excellentiæ illius quæ est in alio, cum ejusdem debita testificatione.

10. *Agnitio* simul dicitur & *testificatio*, quia neque in externa observantia sola, neque in interna consistit, sed in utraque.

11. Excellentiam respicere dicitur aut dignitatem, quia reverentia non afficimur, nisi ex apprehensione alicujus præstantiæ.

12. Hinc & vulgariter & maximè propriè officium illud, honoris & reverentiæ nomine notatur quod ijs debetur, qui supra nos in aliqua eminentia collocantur: sed per synecdochen omne officium designat, quo respectus habetur ad gradum dignitatis, vel excellentiæ alterius, sive gradus ille sit inæqualis, respectu nostri; sive æqualis. *Ro.* 12.10 *Honore aly alys præeuntes.* 1. Pet. 3.7. *Viri similiter habitent secundum Dei notitiam, vasi muliebri ut in infirmiori, tribuentes honorem:* secundum illud. 1. *Pet.* 2 17. *Omnes honorate.*

13. Primum autem locum obtinet inter illa officia, quæ proximo debentur. 1. Quia proximè acce-

accedit ad naturam religionis ac pietatis, qua Deum ipſum colimus, unde etiam *religio aut pietas*, non tantum apud profanos authores, ſed etiam in ipſis ſcripturis aliquando vocatur. 1. *Tim.* 5.4. *diſcat prius in propriam domum pietatem exercere; &c.* 2. q ia vinculum & fundamentum eſt totius reliquæ juſtitiæ, quæ erga proximum eſt præſtanda: Virtute enim hujus officij & graduum eorum inter homines, quos reſpicit, *quieta & tranquilla* vita agitur ab hominibus, *cum omni pietate* & veneratione. 1. *Tim.* 2. 2. quæ etiam propria ratio videtur illius promiſſionis, quæ præcepto iſti quinto adjungitur, *ut prolongent dies tuos ſuper terram*, quia ſine hujuſmodi obſervantia mutua ſuperiorum & inferiorum inter ſeſe non eſt expectandum, ut vita hominum in ſuo ſtatu conſiſtat.

14. Honor qua reſpicit notitiam vel opinionem aliorum de honorando, dicitur *fama. Eccleſ.* 7.1 aut *bonum nomen. Phil.* 4 8.

15. Hinc honor qua hominis bonum eſt externum, non differt realiter à fama, ſed ratione tantum.

16. Officium illud honorandi, quod omnibus debemus, eſt illæſum conſervare ſtatum illum dignitatis, quem habent.

17. Huic officio illa vitia opponuntur, quibus læditur fama proximi.

18. Læditur autem fama proximi cum diminuitur iſta æſtimatio, quæ circa ipſum debet haberi. 1 *Cor.* 4 13. *Infamati precamur.* 2. Cor. 6.8. *Per gloriam & dedecus, per convicia & laudes.*

19. Diminuere poſſumus, vel apud noſmet ipſos

ipsos tantum, malè de ipso concipiendo sine justa ratione: quod *judicium* dicitur *temerarium*. *Matth.*7.1. 1. *Cor.*4.3. vel apud alios etiam.

20. Apud alios diminuitur fama proximi, verbis, factis, gestibus, aut signis alijs.

21. Hoc etiam fit aliquando *directè* & *formaliter* cum intentione lædendi; & aliâs *virtualiter* ac *indirectè*, vel ex natura ipsius rei, vel ex circumstantijs adjunctis.

22. Cum læditur fama alterius per imputationem mali culpæ vel pœnæ, si sit in præsentia ipsius, dicitur, vel *contumelia*, vel *derisio*, vel *convitium*; si sit in absentia ejus, dicitur *detractio*.

23. Detractio directè versatur circa malum proximi, quatuor modis. 1. Cum falsum crimen imponitur. 2. Cum crimen occultum sine justa causa detegitur. 3. Cum verum crimen nimis exaggeratur. 4. Quando factum non improbatur, sed intentio vituperatur.

24. Indirectè versatur circa bonum proximi modis etiam quatuor. 1. Negando illud bonum, quod proximo est tribuendum. 2. Occultando. 3. Minuendo 4 Frigidè laudando.

25. Priores modi isto carmine continentur. *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

26. Posteriores isto, *Qui negat, aut minuit, tacuit, laudátque remissè.*

27. Restituitur fama per *retractionem*, aut *veniæ postulationem*, aut aliquando etiam per ejus *compensationem*.

28. Honoris officia sunt, alia inparium, alia Patrium.

29. Inter inæquales, *superiorum* est in benè meren-

merendo excellere: *Inferiorum* autem revereri, & gratias referre.

30. *Imparitas* est vel in simplici aliqua qualitate, vel in authoritate, ac potestate.

31. In simplici qualitate imparitas est, vel quoad ætatem, vel quoad dona.

32. Qui alios ætate superant, debent ijs exempli gravitate præire. *Tit.* 2.4. *Vt anus sapere doceant adolescentulas.*

33. Qui donis excellunt, debent eadem ad aliorum utilitatem promptè impertiri. *Rom.* 1.14. *Et Græcis, & barbaris, tum sapientibus, tum insipientibus debitor sum.*

34. Qui alios superant potestate, ij sunt, qui jus habent alios gubernandi, unde etiam potestas *Iurisdictio* solet vocari: quorum est erga inferiores justitiam & charitatem eminenti quadam ratione administrare, pro potestate illa, quam habent sibi cõmissam. *Iob.* 29.14 15. *Iustitiam induebam, & induebat me velut pallium & cidaris judicium meum. Vt oculi eram cæco, & velut pedes claudo eram.* Coloss. 4.1. *Domini, jus & æquum servis præstate.*

35. Iustitia hæc in Charitate administratur, *protegendo & regendo.*

36. *Protectio* est potestatis applicatio, ad defendendos alios à malo. *Iesai.* 32.2. *Et erit vir tanquam absconsio à vento, & latibulum ab inundatione, &c.* Quo etiam pertinet providentia illa, qua prospicitur ijs de rebus necessarijs 1. *Tim.* 5.8.

37. *Rectio* est potestatis applicatio ad promovendos alios in bono. *Rom.* 13.4. *Dei enim minister est tuo bono.* 1. Tim. 2.2. *ut tranquillam acquietam,*

quietam vitam degamus cum omni pietate & venerationе.

38. Rectio hæc exercetur in *directione*, & *remuneratione.*

39. *Directio* est propositio recti & boni, ut observetur, *Eph.* 6. 4 *Patres, enutrite liberos vestros in disciplina, & admonitione Domini.*

40. Ad istam directionem pertinet bonarum legum latio & promulgatio, in quacunque hoc fiat hominum societate.

41. *Remuneratio* est compensatio observationis illius, quæ directioni præstatur, vel denegatur. 1. *Pet.* 2. 14. *Tum ad ultionem facinorosorum, tum ad laudem benè agentium. Sic* Rom 13.

42. Hic maximè elucet justitia *distributiva* & *emendativa*: quamvis enim eadem sit justitia in alijs hominibus, cum illa, quæ à superioribus istis exercetur, maximè tamen elucet, si cum idonea potestate administretur.

43. Hinc vindictæ jus non alijs propriè convenit, quam iis, qui supereminent potestate. *Rom.* 13. 4. 1 *Pet.* 2. 14 à quibus, cum rectè exercetur, non est hominum, sed Dei Vindicta. 2. *Paral.* 19 6. *Videte quid sitis facturi, non enim pro homine judicaturis istis, sed pro Iehova, qui vobiscum futurus in rebus judicarijs.*

44. Qui potestate supereminent, debent prospicere commodis eorum, quibus præsunt: Quoad *animas* ut habeant media salutis, *Eph.* 6. 4. Quoad *corpus*, ut habeant victum, vestitum, & habitationem idoneam.

45 Sunt autem vel *privati*, vel *publici.*

46. Privati sunt *maritus* respectu uxoris, *parentes* respectu liberorum, & *herus* respectu servorum.

rum. Vbi materialis potestas est æqualitate quadam delenita: herilis est merè imperiosa: paterna verò est quasi mixta.

47. Qui publica supereminent authoritate, sunt vel *ministri*, vel *magistratus*.

48. Inter magistratus autē & ministros ecclesiæ hoc interest, quod 1. Magistratus, hujus potius quam alterius generis, institutio est ab homine: sed ministrorum est à Deo, quod in scripturis indicatur, quum magistratus potestas, quāvis sit à Deo ordinata. *Rom.* 13 1. vocatur tamen *creatura humana* 1. *Pet.* 2. 13. quæ quidem appellatio minimè convenit legitimis ecclesiæ ministris. 2. Magistratus est ordinatio Dei creatoris, atq; adeo ad omne genus hominum spectat: sed ministerium ecclesiasticum est donum & ordinatio Christi mediatoris, atq; adeo non propriè & ordinario jure spectat nisi ad illos, qui sunt de ecclesia Christi. 3. Magistratus jurisdictionem habet cum imperio atque adeo (si summus sit justa ratione potest leges condere & abolere, atque jurisdictionem alijs mandare: sed ministri ecclesiastici (in sese considerati) sunt mandatarij meri, qui proprij nihil habent, sed quicquid legitimè agunt, id omne vice Christi mandantis agunt, atque adeo neque leges possunt ferre, neq; alijs mandare potestatem illam, quam, acceperunt. 4. Magistratuum est politicis medijs, & potestate coërciva, procurare bonum commune, tam spirituale quam corporale omnium eorum, quos habent suæ jurisdictioni commissos. 1. *Tim.* 2. 2. ministrorum autem est ecclesiasticis mediis eorum bonum spirituale procurare, qui ipsis committuntur. *Act.* 20. 28. *Heb.* 13. 17.

49. Re-

49. Rebus verò ipsis, personis, aut causis, circa quas occupantur, non possunt accuratè distingui: nulla enim res, persona, aut causa, tam est ecclesiastica, quin aliqua ratione pertineat ad jurisdictionem magistratus; neque ulla est actio adeò secularis, (modo ab ecclesiæ membro præstetur) quin, quatenus observantiam erga Deum respicit, pertinere possit ad ecclesiasticam cognitionem.

50. Exemptio igitur ecclesiasticorum (ut vocantur) hominum, à jurisdictione civilis magistratus, sicut & observantiæ magistratibus & parentibus debitæ solutio, sub religionis & perfectionis prætextu, à Pontificijs introductæ, perfectæ Dei legi è regione planè adversatur.

51. Respectu rectionis, quæ à potestate superiorum proficiscitur, debetur ab inferioribus *subjectio* & *obedientia*, Heb. 13. 17. *Obedite ductoribus vestris & obsecundate.*

52. *Subjectio* est authoritatis eorum agnitio. 1. *Pet.* 2. 18. *Eph.* 5. 22.

53. *Obedientia* est præstatio eorum quæ præscribuntur. *Eph.* 6. 1, 5.

54. Obedientia hæc limitari semper debet secundum limites potestatis, quam habet superior præcipiens.

55. Hinc in ijs non est obediendum hominibus, quæ sunt contra præceptum Dei: obediendum enim est *in Domino. Eph.* 6. 1. & *ex Timore Dei. Col.* 3. 22. Aut etiam aliorum hominum superiorum, qui in ijsdem authoritatem habent majorem.

56. Hinc etiam obedientia illa non debet esse cæca, vel ne examine præcepti; sed inferior debet

debet inquirere quantum ad materiam ſubjectam requiritur, an præceptum ſit legitimum, conveniens, & obligans. *Act.* 4 19.

57. Si verò præceptum ſit illegitimum, tum toleratio pœnæ cum injuria infligtæ, vim & locum habet obedientiæ. 1. *Pet.* 2. 19. 20.

58. Reſpectu boni, quod vel per dona, vel per poteſtatem ſuperiorum communicatur, debetur ab inferioribus ſubmiſſa gratitudo.

59. Gratitudo eſt ſtudium compenſandi beneficia accepta.

60. Eſt enim benevola quædam affectio reſpectum & proportionem habens ad beneficium alterius, ita tamen ut in ipſo affectu non debeat contineri, ſed in conatu etiam congruo manifeſtari.

61. Gratitudo quidem eſt omnium hominum officium commune, qui aliquo beneficio ab alijs fuerunt affecti, ſed ſingularis quædam ratio eſt gratitudinis inferiorum erga ſuperiores, quæ illa voce indicatur, cum *ſubmiſſa* gratitudo vocatur.

62. Huc pertinet neceſſitatis eorum ſublevatio, ſive re, ſive opera, ſive conſilio indigeant. *Gen.* 45 9

63. Gratitudo iſta quæ reſpicit eos, quorum beneficio poſt Deum ſubſiſtimus, parentes nimirum, & patriam, aut qui eandem cum ijs perſonam ſuſtinent, dicitur pietas. 1. *Tim.* 5. 4.

64 Æqualium erga ſuos æquales omnes officium eſt, ut alij alios honore anteuertant. *Rom.* 12. 10. *Eph.* 5. 21.

65. Erga quoſdam amore & communione coniunctiores eſt amicitia. *Prov.* 18. 24.

66. Honoris

66. Honoris omnis proximo deferendi, præsertim verò illius, qui superioribus, & æqualibus debetur, principium est *humilitas*.

67 *Humilitas* hæc est virtus, qua ita moderatur quis existimationem sui de semetipso, ut non velit ullo in genere sibi quicquam tribui, supra id, quod ipsi congruit. *Phil.* 2. 3. *Ex animi submissione alij alios existimantes sibi præcellere.*

68. Humilitati apponitur *superbia* ac *invidia*.

69. *Superbia* est inordinata affectatio propriæ excellentiæ.

70. Affectatio ista propriæ excellentiæ, si versetur circa bona, quæ habemus, dicitur *iactantia*: si circa illa, quæ videri volumus habere, dicitur *arrogantia*: si circa famam, aut existimationem, quam apud alios quærimus dicitur *inanis gloria*: si circa dignitates, dicitur *Ambitio*: si circa aggressionem rerum, quæ proprias vires excedunt, dicitur *præsumptio*.

71. *Invidia* est tristitia de bono proximi, quia minuere videtur propriam nostram excellentiam. *Num.* 10. 29.

72. Si enim tristitia sit de alterius bono, quoniam inde aliqua mala proventura videmus, vel aliis, vel nobis, non est *invidia*, sed *timor honestus*. *Prov.* 28. 28.

73. Si tristitiæ causa sit, non quod alter habet, bonum, sed quod nos non habemus, & bonum illud sit nobis optandum, tum non est *invidia*, sed æmulatio, *Rom.* 11. 14.

74. Si tristitiæ causa sit indignitas illius, qui fruitur illo bono, tum non est invidia propriè, sed indignatio. *Prov.* 29. 2.

75. Hi omnes tamen affectus, si modum excedunt,

excedunt, invidiæ nomine solent in scripturis designari. *Psal 37. vers. 1. 7. Prov. 3. 31.*

CAP. XVIII.

De Humanitate erga Proximum.

1. IVstitia quæ respicit conditionem proximi absolutè consideratam vel respicit personam proximi, vel externa eius commoda.

2. Quæ respicit personam, vel vitam eius respicit, vel puritatem.

3. Quæ respicit vitam eius, est humanitas, & præcipitur sexto mandato. Quum enim hic vitæ humanæ propriè cavetur, vel (ut Scriptura loquitur. *Gen. 9. 5, 6.*) *animæ hominis*, & *sanguini hominis:* totum illud officium de quo hic agitur *humanitatis* nomine rectè designatur.

4. De vita brutorum animalium non agitur propriè in isthoc præcepto: quippè quæ sunt in hominis potestate. *Gen. 9. 2, 3.* neque habent communem cum homine societatem. Quia tamen iusta dispositio erga vitam hominis respectum aliquem infert ad aliam eius imaginem quæ in aliis animalibus reperitur: & crudelitas adversus illa, inhumanam quandam dispositionem vel indicare solet, vel ad eam paulatim assuefacere: idcirco clementia & inclementia erga animalia bruta, pertinet etiam huc ut appendix quædam.

5. *Humanitas est virtus, qua inclinamur ad vitam proximi, & eius tranquillitatem legitimis modis conservandam.*

6. Hoc

6. Hoc autem duplici modo præstatur, subsidio nempè ferendo, & noxis depellendis.

7. Quandoquidem verò duplex est hominis vita, quæ debet à nobis conservari, spiritualis & corporalis, hinc humanitatis officia alia sunt *spiritualia*, & alia *corporalia*.

8. Officium spirituale est omnia illa facere secundum potestatem nostram, quæ ædificationem proximi possunt promovere.

9. Hujus generis sunt *precatio*, *exemplum bonum*, *& admonitio*, quæ ab omnibus postulantur.

10. Hæc enim, quamvis immediatè quoad finem proximum sunt generalia officia Charitatis, mediatè tamen, & quoad finem remotum pertinent ad spiritualem vitam proximi conservandam. *Iac.* 5. 20.

11. Similis est ratio cessationis ab officijs debitis ad salutem proximi spectantibus, consensus cum alijs in peccatis, & scandali ipsis dati, quæ sunt peccata officijs illis opposita, hæc enim lædunt semper vitam proximi spiritualem. *Ezec.* 3. 18. *&* 13 19. *&* 33. 6, 8. *Rom.* 14 15. 1. *Cor.* 8. 11.

12. Quamvis autem ut anima nobilior est corpore, sic vita etiam spiritualis maioris est pretij quam corporalis; atque adeo peccata illa, quæ adversus spiritualem vitam proximi faciunt, graviora sunt (æqua comparatione adhibita) quam quæ corpus lædunt: ad læsionem tamen proximi non tam realiter attingunt: quia læsio & mors ipsa corporalis inferri solet hominibus invitis ex necessitate coactionis: mors autem spiritualis uni ab altero non potest inferri, nisi aliquo modo volenti & consentienti, ita ut ipsius actio propria sit immediata ejus causa.

13. A Superioribus verò authoritate ac poteſtate præditis poſtulatur etiam, ut ex poteſtate ſua ſalutem inferiorum promovere ſtudeant.

14. Officij erga vitam proximi corporalem, ut tranquilla ac tuta conſervetur, varij ſunt gradus.

15. Horum primus eſt in ijs virtutibus, quibus alieni reddimur ab omni læſione proximi.

16. Hujus generis ſunt *manſuetudo, patientia, longanimitas, & placabilitas vel condonatio injuriæ.*

17. *Manſuetudo* eſt virtus, quæ moderatur iram. *Prov.* 17. 17. 1. *Cor.* 13. 4. *Num.* 12. 3. *Vir autem ille Moſes manſuetus erat valdè; præ omnibus hominibus qui erant in ſuperficie terræ.* Gal 5. verſ. 22. *Fructus ſpiritus, iræ cohibitio, bonitas, lenitas.*

18. Huic opponitur & *lentitudo, & iracundia.*

19. *Lentitudo* eſt privatio iræ juſtæ. 1. *Sam.* 12. 13.

20. *Iracundia* eſt inordinata iræ concitatio. *Gen* 49 7. *Maledicta ira eorum, quia vehemens, & furor eorum; quia ſævus fuit.* Eccleſ. 7. 10. *Ne perturbatè ſpiritu tuo indigneris: nam indignatio in ſinu ſtolidorum conquieſcit.*

21. Iracundiæ gradus ſunt, irritatio animi, excandeſcentia, & odium.

22. *Patientia* eſt virtus, quæ moderatur iram per injurias graves excitatam. *Luc.* 21. 19. *Col.* 1. 11. 1. *Theſſ.* 5. 14.

23. *Longanimitas* eſt continuatio patientiæ, quamvis diu fuerit læſa. *Prov.* 14 29. & 15. 18. & 16. 32.

24. *Placabilitas* eſt virtus, qua injuriam nobis

bis factam facilè condonamus. *Mat.* 18. 21. 22. *Luc.* 17. 3. 4.

25. Secundus gradus officij hujus est in virtutibus illis, quæ vitæ conjunctionem fovent, *ut concordia, & benevolentia, quæ coniunctam habent comitatem, affabilitatem & æquanimitatem.*

26. *Concordia* est virtus, qua facilè cum alijs in ijs, quæ bona sunt, consentimus. *Phil.* 1. 27. & 2. 2. & 4. 2.

27. *Benevolentia* est virtus, qua volumus aliis omnia læta. 1. *Cor.* 13. 4. *Charitas est benigna.*

28. Istis opponuntur *discordia, dissidium & inimicitia, &c.* Gal. 5. 20.

29. Tertius huius officii gradus est in iis conatibus, quibus vita ipsa proximi defenditur, promovetur, & refocillatur.

30. Conatus defendendi, promovendi, & refocillandi vitam proximi omnia illa officia continet, quibus causæ conservantes possumus esse humanæ vitæ. *Prov.* 20. 10.

31. Istis opponuntur omnia illa peccata, quibus vita hominum læditur, ut *sævitia, crudelitas,* & similia. *ibid.*

32. Hæc omnia continentur homicidii nomine.

33. *Homicidium est iniusta hominis occisio.*

34. Illa autem occisio, atq; etiam læsio est iniusta, quæ vel non fit auctoritate iusta, id est, publicat vel publicæ æquipollente, vel non ex iusta causa, vel non ordine iusto, vel ex intentione non iusta; Istæ enim quatuor conditiones concurrere semper debent ad cædem iustam, earum una si deficiat, homicidium committitur.

35. Ad homicidium etiam revocari debet *intemo-*

temeraria, quatenus tendit ad læsionem vitæ proximi. *Mat* 5.22. *quicũq; fratri irascitur temerè.*

36. Sed ex illis verbis obſervandum datur, omnem iram non damnari; illa enim ſola arguitur, quæ eſt *temeraria*: id eſt, quæ nullam juſtam cauſam habet, aut juſtum modum non obſervat. Alioquin iræ impetus, utzelus Dei ſæpè laudatur. *Gen.* 30.2. *Exod.* 11.8. *&* 16.20. *&* 23.19. *Num.* 16.15. *&* 31.14.2. *Reg.* 13.19. & odium ipſum. *Pſal.* 138.21,22.

37. Peculiare hoc ferè eſt in ſexto præcepto, ut illa, quæ prohibentur, poſſint aliquando (alia ratione) non malè, aliquando etiam rectè ac benè, ex obſervantia erga Deum fieri.

38. Sic qui caſu mero, cui ille cauſam non dedit, dum rei licitæ operam dat, ubi & quando eſt licita debita diligentia adhibita, alium occidit, non peccat. *Deut.* 19.5.

39. Qualis etiam eſt ratio neceſſariæ defenſionis, modo vindictæ cupiditas abſit. Hæc enim eſt inculpata tutela cuique conceſſa.

40 Aliquando etiam obedientia Deo præſtatur occidendo. *Deut.* 13.9. Quum ſcilicet id fit ex authoritate, & juſſu Dei, 1. *Sam.* 15.18.19.

41. Illius hominis ex deſtinato conſilio occidendi, cujus innocentiam habet notam, nemo poteſtatem habet à Deo, ex lege communi.

42. Neque ulla eſt poteſtas hominis, quæ cuiquam ſubditorum ſufficientem authoritatem adferre poteſt illum occidendi, quem innocuum, aut mortis immerentem eſſe novit.

43. Bellum igitur ex utraque parte nunquam poteſt eſſe juſtum, quia cauſa mortis non poteſt eſſe utrinque.

44. Neque

44. Neque in ullo bello licitum est occasionem eorum intendere, qui non sunt aliquo modo participes hujusmodi causæ.

45. Si verò adsit legitima causa, una cum authoritate justa, & intentio, modusque adhibeatur justus, bellum ipsum, aut militia, non pugnat cum religione, justitia, aut charitate. *Num.* 31.3. 1. *Sam.* 18.16 & 25.28. 1. *Par.* 5.22. *Luc.* 3.14. *Rom.* 13.4. 1. *Pet* 2.14

46. Ijsdem etiam conditionibus observatis, licet ijs, qui armis uti norunt. 1. *Par.* 5.18. *Psal.* 143 1. operam suam legitimis Ducibus offerre & addicere ad bellum gerendum. *Luc* 3. *vers.* 14. 1. *Cor* 9.7.

47. Vt quis semetipsum occidat lex nulla Dei permittit.

48. Licitum tamen & justum est aliquando, ut aliquis exponat semetipsum certo periculo mortis.

49. Imo datur nonnunquam casus, in quo quis offerre sese morti & potest, & debet *Ion.* 1.12.

Cap. XIX.

De Castitate.

1. Justitia, quæ respicit proximi puritatem, est *Castitas.*

2. *Castitas est virtus*, qua puritas personæ conservatur, quoad illa, quæ spectant generationem 1. *Thess* 4.3,4,5.

3. Castitatis partes duæ sunt, *verecundia*, & *honestas.*

4. Verecundia est pars castitatis retrahens ab impu-

impuritate, quæ eodem etiam ſenſu dicitur *pudicitia*.

5. Honeſtas eſt pars caſtitatis ducens ad ea, quæ puritatem decent.

6. Verecundia & honeſtas ſunt radicaliter in interiori hominis electione, ſignificativè verò in exteriori converſatione.

7. Hinc caſtitas præcipuè puditicia nominatur quatenus tollit externa ſigna impuritatis: & dicitur honeſtas, quatenus ponit externa ſigna puritatis.

8. Ad verecundiam præcipuè refertur *modeſtia*; ad honeſtatem *gravitas*.

9. Modeſtia eſt virtus, qua intra metam cupiditas carnis continetur.

10. Gravitas eſt virtus, qua puritatis decorum obſervatur.

11. Caſtitas eſt *virginalis*, *conjugalis* & *vidualis*.

12. Hæc autem non eſt diſtributio generis in ſpecies, ſed adjuncti in ſua ſubjecta.

13. Eadem enim eſt caſtitas quoad eſſentiam in omnibus, ſed accidentales quaſdam differentias admittit ſecundum diverſos ſtatus eorum, à quibus obſervatur.

14. Virginalis enim eſt, quæ à virgine cuſtodiri debet, donec honeſtè contrahat matrimonium. 1. *Cor.* 7. 34.

15. Conjugalis eſt, quę in conſugio ſervari debet. *Tit.* 2. 5.

16. Vidualis, quę à viduis. 1. *Tim.* 5. 7.

17. Ad conjugalem caſtitatem refertur *conjugium* legitimè contractum & obſervatum. *Mat.* 19. 6. 1. *Tim.* 2. 14. *Heb.* 13. 4. 1. *Pet.* 3. 1. 2. 4.

18. Hoc enim intereſt inter cœlibatum, &

conjugium, quod quamvis in cœlibatu possit ac debeat castitas observari, ipse tamen cœlibatus per se nihil facit ad castitatem: sed conjugium ex sua natura & puritatem quandam in sese habet, quatenus est institutio Dei, & ejusdem etiam institutionis virtute medium jam sit ad puritatem & castitatem conservandam.

19. Conjugium est unius viri & fœminæ ex legitimo consensu individua conjunctio, ad communionem corporum, & societatem vitæ inter se mutuo.

20. *Est unius viri* cum una fœmina, *Genes.* 2. 22. *Malach.* 2. 15. *Matth.* 19. 4, 5. 1. *Cor.* 7. 2. *Lev.* 18. 18.

21. Non potest enim perfectio illa amicitiæ & officij mutui, quæ est conjugalis, haberi, nisi inter unum & unam.

22. Polygimia igitur etiam illa, quæ apud Patres antiquos fuit in usu violatio semper fuit legum conjugij, neque dispensatione alia fuit olim à Deo tolerata, quam qua infirmitates & ignorantias hominum tolerare sæpe solet, & in bonum convertere.

23. Ad legitimum consensum requiritur primo, ut personæ conjungendæ sint idoneæ. Secundo, ut consensus ipse sit rei naturæ & legi Dei consentaneus.

24. Vt personæ sint idoneæ requiritur 1. *Iusta distantia sanguinis Levit.* 18.

25. Propinquitas enim carnis impedit matrimonium propter singularem quandam reverentiam propriæ carni debitam, cui repugnat consuetudo illa conjugalis, quæ phrasi illa significatur;

nificatur; *ne detegito nuditatem ejus. Levit.* 18. 6, 7. *& seq.*

26 Distantia illa graduum, vel cognationis, vel affinitatis quæ *Levit.* 18. proponitur observanda, communis est & perpetui juris; illius enim violatio fuit inter abominationes eas, qua gentes ipsæ dicuntur polluisse terram, *vers.* 27. 28.

27. Non est tamen per omnia tam essentialis juris moralis, quin exceptionem admittat, vel ex mera necessitate urgente, ut in initio mundi, vel ex speciali Dei mandato. *Deut.* 25. 5.

28. Cognatio aut proximitas (ut appellant) spiritualis à Pontificijs introducta, inter baptizantem, aut compatrem, & filiastrum (ut vocant) aut filiastram baptizatam, quasi legitimi coniugij impedimentum, est otiosum & tyrannicum superstitionis commentum.

29. Requiritur. 2. Etiam in persona matrimonium contractura, *maturitas ætatis*, 1. *Corinth.* 7. 36. quæ si deesset, alia minoris momenti pacta contrahere non posset, nedum istud tam grave.

30. Vt consensus iste sit rei naturæ conformis prærequiritur. 1. *Parentum consensus*, si modo adhuc sint in eorum potestate. 1. *Corinth.* 7. 36, 37. 38.

31. 2. *Consensus* etiam *personarum contrahentium* ex certo & deliberato consilio provenire debet, sine coactione, aut dolo malo.

32 Conjunctio ista dicitur *individua*, quia ex natura ipsius rei eosdē fines habet cum vita humana. *Rom.* 7, 1, 2, 3. 1 *Cor.* 7 39.

33. Concubinatus igitur eorum, qui ad tem-

LAMBETH PALACE LIBRARY

pus contrahunt inter ſeſe, non eſt conjugium a Deo inſtitutum aut probatum, ſed ejus turpis eluſio.

34. Neque pendet iſta perpetuitas ex voluntate tantum & fœdere perſonarum contrahentium; tunc enim, utraque parte conſentiente, poſſet pactum ſic initum denuo reſcindi, ſicut fieri ſolet inter Dominum & ſervum: ſed hujus fœderis regula & vinculum eſt inſtitutio Dei, unde etiam in Scripturis nonnunquam appellatur fœdus Dei, *Proverb.* 2. 17.

35. Inſtitutio iſta Dei qua individuam conjugum conſuetudinem ſancit, ſpectat bonum generis humani in ejus conſervatione iuſta per certam educationem, & hæreditariam liberorum ſucceſſionem, quæ ſine individua parentum conjunctione non poteſt conſtitui.

36. Conjugium igitur licitum non poteſt ſolvi ante mortem ſine graviſſimo reatu illius, qui eſt in cauſa.

37 Ne fidelitas quidem aut hæreſis in alterutra parte juſtam cauſam adfert ſeparationis, 1. *Cor.* 7. 12, 13.

38. At vero ſi ab una parte ſeparatio fiat cum obſtinata pertinacia, pars altera in eo caſu eſt liberata. 1. *Cor.* 7. 15.

39. Conjunctio iſta eſt *ad communicationem corporum*, quia in coniugio quæritur primo ſemen Dei, *Malach.* 2. 15. & ſecundario remedium adverſus cupiditates carnales, quæ iam poſt ipſum in multis, qui ſingulare continentiæ donum non habent, ita ſunt effrænes, ut eos (niſi hoc remedio occurratur ipſis) quaſi incendant, id eſt, ineptos reddant ad officia pia, & præcipites dent

dent ad illicitas & turpes commixtiones. 1. *Cor.* 7.29.

40. Hinc corpus viri dicitur eſſe in poteſtate uxoris, & corpus uxoris in poteſtate viri, ita ut debitam benevolentiam ſibi mutuo reddere debeant ſine fraudatione. 1. *Cor.* 7.3.4,5.

41. Hinc etiam votum cœlibatus prout inter Pontificios obtinet, non eſt caſtitatis, ſed Diabolicæ præſumptionis votum, conſcientiæ laqueus, & vinculum impuritatis.

42. Societas etiam vitæ, eàque maxime intima, ad mutuum ſolatium & auxilium, eſt inter conjugii fines: Cum enim vir patrem ſuum & matrem ſuam relinquere debet, & uxori ſuæ adhærere, *Gen.* 2.24 & cum mulier dicitur facta in auxilium commodum homini *Gen.* 2.18. ſocietas hæc auxiliaris non tantum ad propagationem generis humani ſpectat, ſed ad omnia officia hujus vitæ debet extendi.

43. Hæc omnia ſunt inter virum & uxorem mutua, & pari jure debent coli quoad eſſentiam aut ſummam rei; ita tamen ut differentia illa gradus, quæ inter virum & uxorem intercedit (ut vir præſit, & uxor obſequatur) in omnibus iſtis obſervetur. 1 *Pet.* 3.7. 1. *Cor.* 11.7 8.9.10. *Eph.* 5.33.

44. Caſtitati opponitur *luxuria* ſtrictiori ſenſu, quo notat illicitum uſum eorum, quæ ſpectant ad generationem, quæ eodem ſenſu vocatur *impuritas, mollities, & cupiditas mala, Col.* 3.5. *laſcivia. Rom.* 13. 13. *moribus cupiditatis.* 1. *Theſ.* 4.5.

45. Luxuriæ annumerantur omnes cauſæ ejus adjuvantes, effecta, & ſigna, ut *impudici, aſpectus.*

aſpectus, Job. 31. 1. *Proverb.* 9. 13. 2. *Pet.* 2. 14. *Matth.* 5. 21. *nutus, oſcula, amplexus, tactus, chori, ſpectacula, cantica, geſtus,* & ſimilia. *Gal.* 5. 15.

46. Ad luxuriæ cauſas adjuvantes referuntur *commeſſationes* & *ebrietates. Rom.* 13. 13. *Ezech.* 16. 49. *Prouerb.* 23 31. 33.

47. Ad effecta & ſigna ejus refertur *luxus & ornatus laſcivus. Prov.* 7. 11. & *verborum obſcenitas. Eph.* 5. 4.

48. Luxuriæ ſpecies ſunt. 1. *Scortatio*, quæ eſt commixtio ſoluti cum ſoluta. 1 *Corinth.* 6. 16. ſive ſit *ſtuprum*, quod eſt propriè mulieris alias honeſtæ vitiatio; ſive ſit *fornicatio* propriè dicta, quæ eſt cum inhoneſta, vel meretrice. 2. *Adulterium*, cum altera ſaltem perſona peccans eſt coniugata, vel deſponſata; 3. *Inceſtus*, cum propinqui carne miſcentur. 4. *Raptus*, cum vis accedit ad luxuriam. 5. *Concubitus contra naturam.*

49. Adulterium maximè propriè & eſſentialiter adverſatur coniugio, cuius vinculum & fœdus ex ſua natura abrumpit; atque adeo propria & iuſta cauſa eſt *divortij*, quod propter alia multa peccata, quamvis ſint graviora, non eſt admittendum.

50. Divortium iuſtum vinculum ipſum coniugij diſſolvit.

CAP.

CAP. XX.

De Iuſtitia Commutativa.

1. IVſtitia quæ reſpicit externa commoda proximi per appropriationem quandam, dicitur juſtitia commutativa, quia præcipuè verſatur in commutationibus.

2. Iuſtitia hæc *eſt virtus, qua ſuum cuique in commodis externis tribuitur.*

3. Id autem ſuum cujuſque dicitur, cujus legitimum habet dominium.

4. Dominium eſt jus de re perfectè diſponendi quatenus leges permittunt. *Matth.* 20. 15.

5. Dominij perfecti duæ ſunt partes, proprietas & uſus fructus. *Luc.* 20. 9. *&* 10. 1 *Cor.* 9. 7.

6. Hæc autem aliquando ſeparantur ita ut proprietas ſit penes unum, & uſus fructus ad tempus ſit penes alium.

7. Iuſtitia hæc exercetur in acquiſitione & uſu.

8. Acquiſitionis juſtitia pendet ex cauſa Dominij.

9. Cauſa & ratio dominij dicitur titulus.

10. Titulus juſtus eſt juſta occupatio, hæreditas, donatio, merces, vel contractus.

11. Iuſta occupatio eſt rerum, quæ fuerunt antea nullius, & tamen alicujus fieri poſſunt, legitima apprehenſio.

12. Res illæ nullius eſſe dicuntur, quæ non poſſidentur, nec dominio habentur ab ullo.

13. Hoc ſenſu omnia in initio mundi atque etiam poſt diluvium dicuntur fuiſſe communia:

quia nullius hominis fuerunt poſſeſſione aut dominio peculiari: atque adeo in communi propoſita cuilibet primo apprehendenti aut occupanti. Quo etiam ſpectat illa Dei benedictio erga genus humanum. *Gen* 1.28. *Implete terram, eamque ſubjicite, & dominamini in omnes beſtias & in volucres cæli atque in omnes beſtias reptantes ſuper terram* Quæ poſt diluvium etiam iteratur. *Gen.*9.11. *fœtificate & augeſcite & implete terram.*

14. In eadem jam ſunt conditione inſulæ illæ Maris, & partes etiam continentis, quæ nunquam fuerunt inhabitatæ.

15. Ejuſdem etiam ſunt juris illæ omnes res, quæ alicujus olim fuerunt, ſed poſtea eſſe deſierunt, quæ res vacantes aut derelictæ ſolent appellari.

16. Res autem perditæ non ſunt iſtis annumerandæ, niſi adhibita debita diligentia ad earum verum dominum exquirendum: aliàs enim quamvis corporaliter ab alio non detineantur, jure tamen, voluntate & animo poſſidentur.

17. Hinc merces illæ quæ navis ſublevandæ cauſa in mare projiciuntur, aut ex naufragio aliquo in littus feruntur, non ſunt habendæ pro rebus vacantibus aut derelictis.

18. Ad occupationem iſtam refertur captivitas, quæ eſt occupatio facta jure belli juſtè ſuſcepti.

19. Hæreditas eſt ſucceſſio in bona alterius ex ipſius juſta voluntate. *Levit.* 25. 45, 46. *Num.* 27 8, 9, 10. & 11.

20. Donatio eſt gratuita boni communicatio.

1. *Reg.*

1. *Reg.* 10. 10. & 13.

21. Merces est remuneratio operæ præstitæ.

22. Contractus prout ad istum locum spectat, est communicatio boni ex conventione obligante: cujus formula est *do ut des*, vel *do ut facias*, vel *facio ut facias*, vel *facio ut des*.

23 Ad possessionem ex contractu referenda est, 1. Emptio, quum res habetur ex certo pretio. 2. Locati conductio, quum certa mercede usus rei conceditur. 3. Mutuum, quum res accipitur gratuito in eodem genere denuo reddenda: & commodatum, quum in eadem specie est restituenda: cui pignus & depositum possunt annumerari.

24. Circa res istas versatur legitima occupatio, seu vivendi ratio omnium hominum præter illos qui publicis munijs funguntur, de quibus antea dictum est ad quintum præceptum: istiusmodi enim occupationes vitæ, quamvis ex natura rei spectent ad bonum commune & eo etiam debeant ab hominibus dirigi; simul tamen spectant etiam ad bonum privatum in huius vitæ commodis acquirendis vel conservandis. *Eph.* 4. 28. 2. *Thess.* 3. 11. 12

25. Ad hujusmodi occupationem aliquam exercendam tenentur omnes, qui in amplioribus muneribus non versantur, neque ad illa sese præparant. 1. *Tim.* 5. 13. *Gen.* 3. 19. secundum illud Apostoli, *si quis nolit operari, etiam non edito.* 2. *Thess.* 3. 10.

26. Neque satis est ut quis operetur, nisi etiam *operetur quod bonum est. Eph.* 4. 28. id est, occupationem illam vitæ sequatur, quæ cum voluntate Dei & hominum utilitate consentis: studens

quieti, & sedulitati, 1. *Thess.* 4. 11, 12. & 2. *Thess.* 3. 12. quibus opponitur ignavia', mendicitas voluntaria, artes futiles, curiosæ, turpes; & rerum alienarum non necessaria cura, quæ vocatur πολυπραγμοσυνη.

27 Ad quam autem singularem speciem occupationis quisque semetipsum applicare debeat, pendet illud partim ex dotibus & inclinationibus, quas habet internas. 1. *Pet.* 4. *vers.* 10. Et partim ex circumstantijs externis, quibus in unam vivendi rationem potius fertur, quam in aliam.

28. Quia autem singularis quędam providentia Dei in istiusmodi rebus dirigendis versatur; idcirco singuli rectè dicuntur quasi nutu ipsius Dei, huic aut illi vitæ generi assignari.

29. Quamvis autem hujus providentiæ divinæ ratione istiusmodi occupatio vitæ specialis, hominis vocatio analogicè soleat à Theologis appellari; hoc ita tamen non debet accipi, quasi æquè separentur à Deo homines vulgares ad suas occupationes, ac homo fidelis ad benè vivendum, aut Minister verbi ad opus Ministerij implendum: neque enim ullibi in Scripturis vel tale quid indicatur, vel titulus ipse vocationis occupationi alicui vulgari simpliciter ac propriè tribuitur.

30. Apostolus enim, 1. *Cor.* 7. 20. quum vocationis facit mentionem, nullam certam occupationem hujus vitæ designat (circumcisio enim & præputium, servitus & libertas non sunt occupationes vitæ, aut vocationes justæ) sed vocationem fidelium distribuit quasi ex subjectis, dum alios ostendit vocari servos & alios liberos, sicut

apparet

apparet ex *verſ.* 24. vbi varietatem vocationis explicat ex vario illo ſtatu aut conditione, in qua vocati reperiuntur: neque eo in loco præcipit ut maneat quiſque in eo ſtatu, in quo fuit vocatus: ſervo enim permittit ad libertatem adſpirare *verſ.*21. ſed docet tantum liberi & ſervi nullam eſſe differentiam reſpectu Chriſti & vocationis Chriſtianæ *verſ.*22.

31. In hujuſmodi poſſeſſionum defectu conſiſtit paupertas, & in earum abundantia divitiæ. 1.*Ioan.*3.17.

32. Divitiæ legitimè parte in ſua natura, quamvis non ſint moralia bona, ſunt tamen bona Dei dona. *Prov.*22.4.

33. Et paupertas rationem habet pœnæ vel afflictionis. *Prou.*21 17.

Nulla igitur perfectio eſt in abdicatione aut deſertione facultatum, niſi ſpecialis Dei vocatio illud requirat. *Act.*20.25.

35. Paupertas autem Evangelica, quæ eſt ſpiritualis, conſiſtere poteſt cum divitijs magnis: ut in *Abrahamo, Iobo*, &c.

36 Proprietas etiam & diſtinctio Dominiorum, eſt ordinatio Dei & ipſi probatur. *Prov.* 22. 2.2 *Theſſ.*3.12.

37. In iſto Dominij jure & acquirendo & utendo juſtitia commutativa verſatur, cujus ſumma eſt vt noſtra non aliena poſſideamus, idque ſine aliorum incommodo.

38 Fundamentum autem hujus juſtitiæ ponitur in eorum quæ habemus legitima conſervatione.

39 Ad iſtam conſervationem requiritur parſimonia & frugalitas. *Prov.*21.15.

40. Par-

40. Parsimonia est virtus qua honestos tantum & necessarios sumptus facimus.

41. Frugalitas est virtus, qua res nostras cum utilitate & fruge collocamus, *Pr.* 21. 17.

42 Hujus iustitiæ perfectio ex charitate propriè fluens est in liberalitate.

43. Liberalitas est virtus, qua inclinamur ad commoda nostra cum aliis ex voluntate Dei gratuito communicanda. 2. *Cor.* 8.14. *Rom.* 12. 13. *Lev.* 25 35. *Psal* 37.19.

44. Ad liberalitatem spectat non tantum libera donatio, sub qua comprehenditur debiti remissio: sed & mutuatio libera. *Luc.* 6.34. & hospitalitas. *Rom.* 12. 12. 1. *Pet.* 4.9

45. In hac liberalitate, quum exercetur ex commiseratione calamitati proximi, eleemosyna propriè sic dicta consistit.

46. Iusto Dominii titulo opponitur furtum ampliore significatione.

47. *Furtum est ablatio iniusta rei alienæ invito Domino. Ephes* 4 28.

48. Ablatio comprehendit acceptionem detentionem & damnificationem.

49. Res dicitur aliena quæ alterius est vel quoad proprietatem, potestatem, vel possessionem.

50. In variis casibus dominus, ex humanitatis iure, supponitur consentire in communicationem alicuius partis rerum suarum, quamuis consensum suum non sit actu testatus, tum autem furti ratio cessat *Deut.* 23. 24, 25.

51. Quandoquidem autem aliena res auferetur, vel occultè, vel per vim: hinc duæ sunt species huius peccati, furtum nempe specialiter dictum,

dictum, & rapina seu latrocinium. *Exod.*22.1. *Hos.*6.8,9. *Luc.*8.21. 1.*Cor.*6.8,9.

52. Ad furtum refertur omnis fraudulentia, quæ in emptionibus aut venditionibus adhibetur, aut in alia quacunque illegitima rerum acquisitione.

53. Furtum in re publica, est *peculatus* cum res communitati debitæ subtrahuntur, & *annonæ flagellatio*, cum frumentorum, aliarúmve rerum emptio venditio redditur carior æquo, per *monopolia*, aut similes artes.

54. Ad rapinam refertur oppressio, *Esa.*3.14. & extorsio. *Luc.*3.14. 1.*Sam.*2.12.

55. Parsimoniæ & frugalitati opponitur profusio, quæ est immoderata eorum quæ habemus communicatio.

56. Liberalitati opponitur avaritia, quæ est immoderata eorum, quæ habemus, cohibitio. *Prov.*11.24. vel eorum, quæ non habemus, aviditas. 1.Tim.6.9.

CAP. XXI.

De Veracitate.

1. IVstitia, quæ proximum afficit mediatè, est *veracitas* & *contentatio*. Illa enim afficitur proximus, mediante ejus fide; & hac, mediante opera vel actione aliqua nostra, ad antecedens aliquod præceptum spectante.

2. *Veracitas est virtus*, qua inclinamur ad veritatem observandam in testimonio dicendo. *Matth.*23.22. *Ephes.*4.25. *Psal.*15.2.

3. De hac veracitate testimonij agitur propriè

in

in nono præcepto & non de ijs tantum aut præcipuè quæ ſpectant ad proximi famam. Fama enim pertinent ad honorem illum, cujus ratio habetur in quinto præcepto: neque deber poſtponi divitijs & commodis hujus vitæ, de quibus agitur in octavo præcepto, *Prov.* 22. 1. neque pertinet teſtimonium verum aut falſum ad aliorum famam ſolum, ſed ad poſſeſſiones etiam, & ad ipſam vitam. *Prov.* 30.14.

4. Manifeſtum eſt etiam verba ipſa hujus præcepti maximè directè ſpectare ad proceſſum judiciorum. *Num.* 35 30. *Deut.* 17.6. & 19.15. in quibus de alijs rebus multis agitur præterquam de fama: quamvis extendi etiam debeant ad omnia teſtimonia publica, privata, politica, & ſacra, 1. *Cor.* 15.15. *Ioan.* 1.7,8 15 19 32.34.

5. Hinc actiones forenſes non approbationem tantum, ſed & directionem etiam habent ex iſthoc præcepto; quod ſcilicet judicia debent ſemper niti teſtimonijs idoneis: (niſi adſit evidentia illa rei, quæ teſtimonijs non eget) vel ſaltem præſumptionibus validis & (ut vocantur) violentis, quæ teſtimonijs æquipollent.

6. Teſtimonij verba eo ſenſu ſemper debent adhiberi, quo intelliguntur vel intelligi putantur ab ijs, quibus teſtis fidem facere conatur ſine æquivocatione, amphibologia, vel reſervatione ulla mentali.

7. Veritas in teſtimonio triplex eſt. 1. Cum illud, quod dicitur, conformatur ipſi rei, de qua agitur. 2. Cum conformatur menti dicentis. 3. Cum & menti & rei conformatur.

8. Secunda veritas eſt illa, quæ maximè propriè in teſtimonio, & veracitate, ſpectatur: tertia tamen

tamen requiritur in ijs rebus, quarum certam ſcientiam vel tenemur habere, vel profitemur.

9. Veracitas hæc vel eſt in *ſimplici aſſertione*, vel in *promiſſione*.

10. Aſſertionis veritas hactenus ſemper eſt neceſſaria, ut ſi quid aſſeramus conſentiat menti ac judicio noſtro.

11. Aliquando etiam aſſertio ipſa eſt neceſſaria, cum vel juſtitia id à nobis poſtulat, vel Charitas.

12. Iuſtitia poſtulat in judicijs publicis à *Iudice*, ab *Actore*, à *Reo*, à *Teſte*, ab *Advocato*, *Notario*, & *Procuratore*; & extra judicium, cum, ſingulari aliquo jure, teſtimonium ferre tenemur.

13. Charitas hoc poſtulat, cum bonum inde proximo accedit, ſine noſtro vel alterius æquivalente malo.

14. Veritas promiſſionis dicitur *fidelitas*, *Matth.* 23. 22.

15. *Fidelitas eſt virtus*, qua inclinamur ad fidem datam conſtanter ſervandam.

16. Fidelitas hæc eſt juſtitiæ civilis, ac omnium pactorum & contractuum fundamentum: promiſſio enim reciproca eſt contractus.

17. Veritati teſtimonij opponitur *mendacium* *Epheſ* 4. 25.

18. *Mendacium propriè eſt teſtimonium*, quo quis aliter pronuntiat quam ſentit in corde. *Act.* 3. Vnde phraſis illa ſcripturæ de *duplici corde* hominis mendacis. *Pſal.* 12. 2.

19. Quia vero pronunciatum non conſiſtit in externis verbis tantum, ſed præcipuè in eorum ſenſu; idcirco eadem verba, quæ uno ſenſu vera ſunt, alio ſenſu mendacium ſiunt. *Matth.* 26. 61.

20. *Ironia*,

20. *Ironiæ, fabulæ, joci, recitationes* etiam rerum falsarum, & similia, non sunt mendacia, quia non sunt testimonia; testimonia autem non sunt, quia fide ac authoritate dicentis non confirmantur.

21. Intentio fallendi, quamvis semper fere testimonium falsum comitetur, non est tamen de illius essentia, neque necessario requiritur ad mendacium; quamvis enim quis noverit illum, cum quo agit, non posse suo mendacio falli; si tamen intentionem fallendi asserendi habeat in dicendo, nihilominus mentitur quam si fallendi spem haberet.

22. Intentio nocendi auget quidem mendacij noxam: sed naturam ejus non constituit: si enim vel ioco, vel ex obsequij & officij studio, sua fide confirmet quis, quod falsum esse novit, mendacium est; si non alijs, authori tamen ipsi, ex sua natura, pernicioſum; ut in ijs est, qui sunt adulationibus vel jactationibus dediti, aut vel ironistrosis fabulis, vel fictionibus suis apud alios confirmandis delectantur.

23. Intentio falsum asserendi constituit mendacium, quamvis illud, quod dicitur, sit verissimum.

24. Mendacio annumeratur asseveratio rei incertæ pro certa, quamvis putemus esse veram.

25. Mendacij naturam participat etiam *taciturnitas* illa, qua quis non dicit verum, cum justitia vel Charitas illud requirit.

26. Cum autem neque justitia neque Charitas testimonium ferre jubet, tum sine peccato potest veritas aut pars ejus aliqua celari. *Ierem.* 38.27.

27. Inter mendacia, illa sunt graviora, in quibus testimonium est magis solenne, ut in judicijs forensibus, quæ præcipuè respiciuntur in verbis noni præcepti: in rebus sacris: & similibus. *Matth.26.59 1.Cor.15.15.*

28. Hinc *subscriptiones, testimonia,* aut *literæ commendatitiæ,* contra veritatem notam datæ, sunt turpia mendacia.

29. *Simulatio* illa, quæ in factis vel signis alijs ac non in verbis consistit, non est propriè mendacium; nisi eadem vel ex sua natura vel ex certo aliquo instituto, vim ac usum habent sermonis: ut *1.Sam.20.20,21.22. Matth.26 45.* quia istiusmodi facta & signa non verbalia, non habent certam & determinatam aliquam significationem, ita ut possint testimonij vim habere.

30. Huiusmodi igitur simulatio aliquando est licita, ut in stratagematis bellicis. *Iosh.8.*

31. Illicita autem redditur, cum ratione finis aut modi pugnat cum religione, justitia, vel Charitate.

32. Fidelitati opponitur *perfidia* vel *infidelitas.*

33. In promissione admittitur mendacium, si non adsit intentio faciendi quod promittitur, infidelitas admittitur, si non adsit conatus idoneus ejusdem perficiendi: mendacium igitur & infidelitas possunt conjungi, & possunt etiam separari.

34. Quum juramento testimonium erga proximum confirmatur, tum juramentum est adjunctum illius testimonij: & quamvis in sese respiciat Deum solum; in illo tamen ejus usu, respicit etiam proximum.

35. Per-

35. *Perjurium* igitur in hujusmodi testimonio, est directè & immediatè peccatum contra reverentiam Deo debitam: sed mediatè violat etiam justitiam illam, quę proximo debetur.

36. Asseveratio est modus testimonij, quo sinceritas testis, ac certitudo cognitionis, quam habet de re testata, declaratur: unde etiam non ineptè à nonnullis vocatur protestatio; quia testationem producit explicando.

37. Non est igitur in asseveratione, ut in juramento, secunda contestatio, ad priorem accedens: sed unius & ejusdem illustratio.

38. Neque est in asseveratione mera invocatio ulla Dei, quæ est essentialis juramento.

39. Non tamen convenit asseveratio nisi gravioribus testimonijs; est enim gradus quasi intermedius inter simplex testimonium, & jusjurandum.

40. Ab illis maximè asseverationibus abstinendum est in communi sermone, quæ speciem aliquam habent juramenti.

Cap. XXII.

De Contentatione.

1. *Contentatio est virtus*, qua animus acquiescit in sorte à Deo concessa. 1. *Tim.* 6. *Heb.* 13. 5 *Phil.* 4. 11.

2. Præcipitur hæc contentatio in decimo mandato, ut ex verbis ipsis apparet, neque ullo modo consentaneum est, mandatum istud immediatè referri ad puritatem istam justitiæ internam & originalem, quæ fons est omnis obedientiæ;

dientiæ; illa enim non generaliter præcipitur in uno aliquo mandato, ſed in omnibus; neque magis pertinet ad ſecundam tabulam, quæ eſt conditio hujus præcepti, quam ad primam.

3. Quia tamen ex omnibus virtutibus, quæ in ſecunda tabula continentur, nulla eſt magis interna, aut juſtitiæ primævæ magis intima, quam contentatio, atque adeo ab hac ad illam contemplandam & quærendam quaſi manu ducimur: idcirco non incommodè ex occaſione hujus præcepti de illa puritate ſolet agi.

4. Contentationi huic adjungitur *gaudium* de proſperitate proximi tanquam de propria, *Rom.*12.15.

5. In iſta cõtentatione & gaudio, faſtigium & perfectio conſiſtit omnis charitatis erga proximum. Qua etiam ratione contentatio eſt aliquo modo pietatis, & hominis pij perfectio. 1. *Tim.* 6.6. *Eſt enim quæſtus magnus pietas (μετ' αὐταρκείας) cum contentatione*, vel producens contentationis perfectionem.

6. Hinc ultimo præcepto mandatur ſecundum ordinem illum, qui procedit ab imperfectiore ad perfectius, & à notiori ad minus notum.

7. Hoc enim eſt officium maximè perfectum, & nobis maximè à natura ignotum, ut quicquid concipimus & volumus, id cum proximorum bono ſit conjunctum.

8. Quamvis igitur hoc ſua natura primum locum obtinet inter officia erga proximum, ut cæterorum omnium fundamentum, quia tamen in homine corrupto ultimo exiſtit, idcirco poſtremo in loco mandatur.

9. Con-

9. Contestationi opponitur *concupiscentia* Hebr. 13. 5.

10. Per concupiscentiam autem non intelligitur vis & facultas concupiscendi & appetendi, quæ est naturalis; neque naturalis illius facultatis actus, vel operatio, quæ etiam est naturalis, & licitia: neque tota inclinatio naturæ nostræ; quæ est corrupta, quæ nullo uno præcepto singulariter damnatur, sed tota lege: neque omnes actuales illæ cupiditates primæ, quæ sunt inordinatæ, quarum magna pars religioni adversatur, & prima tabulâ damnatur: neque denique omnes cupiditates quæ tendunt in proximi detrimentum, illæ enim quæ liberatum consensum & prosequendi propositum habent adjunctum, in singulis præceptis condemnantur: Sed illa cupiditas, qua animus primo instigatur, ac titillatur desiderio bonorum quæ sint proximi, quamvis eadem illicitis medijs acquirere nondum in animum induxerit, 1. *Reg.* 21. 2. *Mat.* 10. 19.

11. Propter affinitatem aut consanguinitatem illam proximam, quam primi isti motus injustitiæ habent cum originali fomite, unde sunt oriundi cum illo solent à multis quasi confundi, Sed 1. Originale peccatum est quasi habitus innatus, perpetuo inhabitans, eodem semper modo, dum istic vivimus, quoad existentiã sese habens: motus vero isti sunt actus transeuntes, et illo habitu proficiscentes. 2. Peccatum illud inhabitans, non magis est originale, quam generale principium omnium actuum vitiosorum: isti autem actus, qui hoc in loco damnantur circumscriptionem habent manifestam, ut respici-

ſpicientes tantum ad proximum.

12. Apoſtolus ipſe *Rom 7.* apertè explicat hoc præceptum per Synecdochen de operationibus peccati, *concupiſcentia* enim *verſ.7.* eadem eſt cum *affectibus peccatorum, verſ.5.* & cum *concupiſcentia à peccato effecta, verſ.8.* atque adeo neceſſario diſtingui debet à *peccato inhabitante, verſ.7.*

13. Neque miri quicquam eſt in eo, quod Phariſæi (quorum unus fuerat *Paulus*) non agnoſcebant primos concupiſcentiæ motus eſſe peccata, cum *idem adhuc pernegatur ab eorum Germanis, Pontificijs.*

14. Qui præceptum iſtud ultimum de concupiſcentia, diſſecant in duo, ut unum ſit de concupiſcentia domus, & alterum uxoris, cum ſequentibus, illi hac in re, 1. ab omni ratione deſeruntur. 2. Præceptum ſecundum primę tabulæ vel prorſus eradere coguntur, vel convertere ſaltem in ſupervacaneam appendicem primi, ut numerum decem verborum videantur aliquo modo retinere, vel potius (quod in multis eorum palam eſt) ut ſecundi præcepti vim obſcurantes, poſſint eam à ſe & ſuis ſuperſtitionibus cum aliqua ſpecie amoliri, decimum iſtud coguntur lacerare. 3. Quod nonum, quod decimum præceptum ſit, non poſſunt certo deſignare, quia in repetitione legis, *Deut.5. 27.* concupiſcentia uxoris anteponitur concupiſcentiæ domus. 4. Diſtinctam injuſtitiam inter iſtas concupiſcentias, nullam poſſunt indicare, unde etiam fit, quod ipſimet in explicatione Decalogi, nonum & decimum præceptum conjungunt ſemper, vel potius confundunt. 5. verba ipſa Decalogi expreſſè

notant

notant unum præceptum, cum unum prohibent actum, *Non concupiscies*, & unum objectum commune, *quicquid est proximi tui*.

15. Ad concupiscentiam refertur ut causa, inordinatus *amor nostrum ipsorum*, qui φιλαυτία vocatur, 2. *Timoth.* 3. 2.

16. Hæc φιλαυτία est fons & origo aliquo modo omnium peccatorum, non tantum in proximum, sed etiam in Deum ipsum. 2. *Timoth.* 3. 4.

17. Concupiscentia hæc est illa, quæ à *Ioanne* distribuitur in illam, quę est *carnis*, ea spectans, quæ pertinent ad *victum* & *libidinem*: & in illam, quæ est *oculorum*, ea spectans, quæ pertinent ad *externam delectationem* & *utilitatem*: & in illam, quæ est *superbiæ vitæ*, ea spectans quæ pertinent ad *gloriam* & *pompam hujus mundi*. 1. *Ioan.* 2. 16.

18. Gaudio & complacentię in prosperitate proximi opponitur *invidia* vel *oculus malus*. *Mat.* 20. 15. & συχαρμονία, vel *lætitia* de proximi malo, *Psal.* 70. 3. 4. *Obed. vers.* 12.

19. In isthoc ultimo præcepto, perfectio illa *justitiæ* præcipitur, quæ per totam secundam tabulam aliquo modo explicatur: sicut & in primo primæ tabulæ præcepto, tota *religio* aliquo modo imperatur: ita ut in primo primæ tabulæ præcepto præcipuè contineatur primum & magnum illud mandatum, *Diliges Deum ex toto corde*: & secundum illi simile, *Diliges proximum tuum ut teipsum*, in ultimo præcepto tabulæ secundę.

20. Ex ista perfectione, quæ vel in uno aliquo istorum præceptorum elucet, manifestum est, integram & accuratam legis impletionem impossibilem esse etiam fidelibus, ex illa gratia mul-

menſura, quam habent in iſta vita communicatam. Cum enim (ut non malè dicitur) regula & menſura obedientiæ in affirmativis eſt, *diliges ex toto corde*: & in negativis, *non concupiſces*: quorum utrumque in iſthac vita nobis impoſſibile, ſequitur neceſſario, neminem accuratè ſatisfacere poſſe legi.

21. In hoc vita cognoſcimus tantum ex parte, 1. *Cor.* 13. 9. ex parte igitur tantum facimus. Primitias tantum ſpiritus accipimus. *Rom.* 8. 23. legem igitur planè ſpiritualem. *Rom.* 7. 14. non poſſumus accuratè obſervare. Geſtamus carnem adverſus ſpiritum concupiſcentem, *Gal.* 5. 17. abſque concupiſcentia igitur alio inclinante ac trahente non poſſumus obedire. Non ſumus denique conſummati. *Phil.* 3. *verſ.* 12. non poſſumus igitur conſummatam obedientiam præſtare: ſed neceſſe ſemper habemus, petitionem illam in corde & ore habere, *remitte nobis debita noſtra*.

22. Verè tamen ac rectè dicitur, quod *jugum Chriſti eſt facile, ac onus ejus leve*. Matth. 11. 30. *& mandata ejus non ſunt gravia*. 1 *Ioh.* 5. *verſ.* 3. quia conſideratur ibi lex, 1. quatenus obſervatur à fidelibus qui illa delectantur. *Rom.* 7. 22. *Pſal.* 119. 14, 16. non quatenus debet obſervari; illa enim obſervatio adfert requiem animabus fidelium. *Matth.* 11. *verſ.* 29. quamvis imperfectio adhærens ſit ipſis gravis & moleſta. 2. reſpectu ſpiritus, non reſpectu carnis. *Matth.* 26. *verſ.* 41. 3. adjuncta remiſſione peccati & imperfectionis omnis quæ conatibus noſtris adhæret. 4. in comparatione literæ legis occidentis. 5. adhibita etiam comparatione mercedes à

Deo

Deo constitutæ obedientiæ inchoatę imperfectę: quo sensu afflictiones etiam omnes dicuntur *leves*. 2. *Cor*. 4. 17. facilitas igitur & levitas legis Dei, non est in ejus ad nostras vires proportione: sed in *gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitate Dei una cum communicatione Spiritus sancti*: quę est cum omnibus legem Dei diligentibus.

Amen.

Disp.

Disputatio Repetita, & Vindicata,

DE FIDEI DIVINÆ VERITATE.

THESIS I.

ASsensus ille, quem intellectus præbet veritati sensu perceptæ, propter evidentiam rei, communi appellatione vocatur *perceptio, agnitio*, aut *experientia*. Qui præbetur veritati contingenti, propter rationem præcipuè probabilem, ab intellectu apprehensam, *opinio* vocatur. Qui veritati necessariæ, ex ratione immutabili præbetur, *scientia* dicitur. Qui autem veritati alicui ac commodatur, propter testis alicujus auctoritatem, hic propriè vocatur *fides*.

II. Quia porro testes, quibus fidem adhibemus, ex lege, & ordine communi, sunt homines, vel Deus; idcirco sicut testimonium, sic etiam fides distinguitur, in *humanam* & *divinam*, prout nititur testimonio, vel humano vel divino.

III. Quandoquidem vero homo omnis in testimonio suo potest esse mendax, idcirco fides humana non habet sua natura certitudinem infallibilem: quamvis sit fides humana, quæ moraliter loquendo, evidens & infallibilis censetur:

ut *quod Roma sit, quod Indi sint*, &c. sed quia Deus est omni modo verax, & veritas ipsa, idcirco fidei divinæ non potest subesse falsum; Quod istis rationibus demonstramus.

IV. 1. Nulli virtuti aut perfectioni intellectuali, potest falsum propriè & practicè subesse; si enim intellectus assentiatur falso, hoc provenit ab imperfectione, non à perfectione; & hac ratione, opinio, & fides humana, excluduntur ex numero virtutum, ac perfectionum intellectus, quia possunt esse principium falsi assensus: sed fides divina, est virtus & perfectio intellectus, ergo fidei divinæ non potest falsum subesse.

Oppon. 1. *Cur tantum perfectioni intellectuali, cum falsum non tantum cadit sub intellectu, sed etiam sub sensum?* 2. *Falsum hoc etiam, quod non subsit, etiamsi post distinguemus quomodo subsit. Maria ut videbat Christum hortulanum fuisse, ita credebat, sic qui Emaunta ibant, ut videbat diversa specie Christum à Christo, ita credebant non fuisse Christum. Dices: opinio hæc. Resp. opinio & cum res apparet sub sua specie & tamen putatur alia, at ubi sub aliena specie apparet; opinio non est. Nam ut videtur, ita esse judicatur: judicium enim intellectus ex sensu pendet. Iam distinguemus: subesse potest, non per se, sed per accidens, in quantum speciem aliam assumit; quam qua ipsius est, ut patet ex exemplis modo allatis.*

Resp. 1. Quia quæstio est de perfectione intellectuali, fide scilicet divina, idcirco de aliis perfectionibus non est, quod philosophemur. Falsum axiomaticum & complexum (de quo quæstio instituitur) cadere sub sensum, hoc neque sub sensum, neque sub intellectum [illegible]

Verum

Verum & falsum præsupponit semper affirmatum & negatum, quæ sensu bruto & ἀλόγῳ non subjiciuntur. 3. Si falsum sub sensum cadit, hoc tamen nihil ad rem, nisi caderet etiam propriè & practicè sub perfectionẽ sensus. 4. Distinctio (qua ostenderetur) quomodo falsum subsit virtuti & perfectioni intellectus practicè & propriè promittitur primo, & postea adumbratur & exhibetur, sed applicatur nusquam. 5. Mariæ & discipulorũ Emaunta tendentium conceptus de Christo, non fuit virtus, aut perfectio intellectus. 6. Definitio quæ adfertur opinionis & eiusdem discriminatio, à iudicio ἀναρθμῳ, neque ratione neq; auctoritate nititur ulla. 7. Ostendatur species illa alia quam fidei divinæ obiectum assumit.

Quæsitum est cur negatum fuit fidem sub perperfectionem intellectualem cadere, cum falsum & verum etiam sub sensum cadunt? responsum fuit: quia agitur de fide.

Oppon. 1. *Illi fidem non in intellectu, sed in voluntate semper collocant: falsum ergo est ex ipsius sententia fidem esse perfectionem intellectualem.* 2. *Non frustra hoc quæsivi: nam si imperfectione intellectuali non subest falsum, ergo vel nulli perfectioni subest vel saltem intellectuali. Si prius affirmet, ipsa enstasis à sensu ducta ipsum refellit, si posterius, tum eius ratio danda, cur cuidam perfectioni subesse possit & non omni.* 3. *Falsum est quod non cadat sub sensũ verum vel falsum. Nam si ita est, ad quid ergo argumenta à sensu petita ad aliquid probandũ, vel refellendum? Certè assensus testimonio Christus veritatem corporis sui comprobat. Iam ergo videat ad*

quid limitatio illa nisi cadat propriè & praecisè. 4. Exempla quæ à nobis allata sunt, ad evincendum quod sensui subesse potest falsum, jam examinat & dicit, promittere me distinctionem, qua subsit aut subesse potest falsum perfectioni intellectus, & nusquam applicare, at hoc falsum. An non cum docta, quædam mandari eo fine nobis, ut exploremur aut convincamur, & ea esse objecta per accidens fidei, non enim jubentur credi quod Deus ea fieri velit, sed fine alio: hæc per se esse objecta quia Deus ea jubet credi, quia vult fieri? 2. Dicit conceptus Mariæ de Christo hortulano aut discipulorum de eodem peregrino non fuit perfectio intellectus. At non de hoc est quæstio utrum conceptus fuerit sic perfectio? sed an hæc fuerint objecta intellectus, ut hoc à me sensum, nam & Maria credebat Christum hortulanum fuisse, & illi qui Emaunta ibant, peregrinum. 7. Jam examinat definitionem opinionis: dixi opinione esse cum apparet res sub propria specie, & alia putatur. Ad hoc ille, neque ratione neque authoritate nititur hæc definitio. Resp. de authoritate non multum laboramus. Ratio est hæc, quia opinio oritur ex eo, si putem rem esse ut non est. Itaque error in me est, tamen non in re. At ubi judico rem talem qualis apparet, jam non est error in me sed in re exẽ: gra. appareat mihi quis larva obtectus sum, ita ut larva ista non appareat, sed videatur genuina facies, ego rem concipiam sub ea specie sub qua apparet, non in me error est sed in re. Authoritatem insuper addo Keckermanni in suis Metaphysicis, falsum esse non tantum in conceptu sed & in re, statuentis. Dices quid hoc facit ad rem? Resp. cum opinio sit subjecti non objecti, evadet hoc modo planum, falsum judicium, quod Maria habuit de

Christo

Christo, quem putabat hortulanum, non fuisse opinionem. Porro pergit, & quia dixi aliquod objectum esse fidei per accidens aliud per se, vult sibi ostendi distinctionem hanc. Sed illa jam superius ostensa.

Resp. 1. Fides, de qua agitur in ipsa thesi prima disputationis hujus, quæ impugnatur, verbis disertis collocatur in intellectu, 2. Facilius concipi potest, quomodo falsum practicè cadat sub perfectionem potentiæ tantum apprehendentis, nunquam potentiæ judicantis. Non cadit tamen sub perfectione aliqua, falli aut errari apprehendendo falsum pro vero (quod est propriè & practicè apprehendere falsum) quia talis actus provenit semper ab imperfectione non à perfectione. 3. Quæritur de vero & falso axiomatico, logico (an detur aliud non jam inquiro) quod sub sensu ἀλόγῳ cadere non posse probatum fuit: quia talis sensus non potest componere & dividere, affirmare ac negare, quod tamen ad verum aut falsum concipiendum est necessarium. Opponens autem neque veri aut falsi axiomatici mentionem facit, neque ad rationem quidquam respondet: sed quæstiunculam tantum opponit: *ad quid igitur argumenta à sensu petita ad aliquid probandum vel refellendum?* quasi omnia illa à quibus argumenta petuntur, conciperent verum & falsum. Certè omnia loca inventionis non sunt tantæ perfectionis. 4. Quæritur qua distinctione possit explicari, quomodo falsum subsit virtuti ac perfectioni intellectus Resp. Oppon. *quædam jubentur credi nobis eo fine ut exploremur, vel convincamur, & illa sunt objecta per accidens fidei: hæc autem per se esse objecta fidei, quæ Deus jubet credi quia vult fieri.* Hæc verò est

implicatio potius quam explicatio. Nam. 1. Novo modo contra scripturam & rationem, restringit credenda ad illa quæ Deus vult fieri, vel non vult fieri. 2. Supponit (quod est in quęstione) Deum quædam jubere credi tanquam futura, quæ tamen non sunt futura, id est, quædam falsa. 3. Distinctionem objecti per se & per accidens (saltem respectu fidei) pendere facit ex occulta intentione proponentis: quasi ratio objecti per se & per accidens non esset in re objecta, sed in fine objicientis, ita ut una & eadem res, possit esse objectum per se, & per accidens unius & ejusdem habitus aut actus, prout eventus postea consequetur, vel non consequetur, ex intentione proponentis. 4. Quomodo talis falsitas & error consistere possit cum perfectione fidei (quod fuit hoc in loco quęsitum) non magis ex hac distinctione quam ex alia qualibet vanissima declaratur. 4. Vtrum quæstio fuit de objecto intellectus simpliciter, vel de objecto perfectionis intellectus, facilè vidisset opponens, si nostras (ut appellat) nugas inspicere dignatus fuisset. Nam thesi 4. vel arg. 1. quod hic impugnatur, totum medium vel tertium argumentum est, virtus aut perfectio intellectualis, cujus idcirco in Syllogismo & prosyllogismo ter aut quater fit mentio expressa. 5. Ex larvato discursu quem de opinionis natura proponit, sequitur. 1. Nullam opinionem esse veram: quia opinio (scilicet) oritur ex eo si putem rem esse ut non est 2. Nullum esse errorem in illo qui Syllogismum sophisticum judicat esse verum ac solidum: quia (nempe) ubi rem judico talem qualis apparet, iam non est error in me, sed in re. Istæ sunt Metaphysicæ notiones

ones, quas Keckermanni Metaphysica non capit. 6. Postulatum fuit, ut ostenderetur nobis propria species objecti fidei divinæ & aliena illa quam aliquando assumit. Rejicit nos Opponens ad distinctionem, inter per se, & per accidens: & quia illa nihil facit, ideirco fingit postulatum fuisse de hac ipsa distinctione. Debuisset saltem tentare an speciem genuinā ac assumptam possit invenire in eo quod falsum est, & tamen proponitur credendum tanquam verum. Vt congruant omnia, falsitatem oportet veram speciē objecti fidei statuere, & veritatem facere alienam illam speciem sub qua falsum apparet.

V. Eadem est ratio fidei divinæ ad verum, quæ est charitatis divinæ ad bonum: sed charitas divina ita determinatur ad bonum, ut non possit ferri in malum; ergo nec fides divina potest ferri in falsum.

Oppon. *Nescitur hic elenchus.* 1. *Obscurissimis enim vocabulis ludit charitatis divinæ. Nec enim facile percipitur quid hic intelligat, an amorem quo Deus nos prosequitur, an quo nos Deum prosequimur. Si rem expendas, necessario intelliget qua nos Deum diligimus, idque ex eo quod nostra de fide agit.* 2. *Nititur falsa hypothesi totus hic discursus (hac) si mens ipsius hæc est, quod sicut se intellectus habet ad verum, sic voluntas ad bonum. Namque quod verum est falsum esse non potest, Deo volente, quia Deus non vult contradictoria. At bonum quod est aliquid morale, potest esse malum, & malum bonum, si Deus istam permutationem facit. E. gra. si prohibeat occidere, malum hoc: si jubeat, uti jussit* Abrahamo, *malum est non occidere, & occidere bonum. Dices quid hoc ad solutionem argumenti?*

Resp. multum; nam quando Deus iubet credere falsum, tum etsi iubeat tamen non desinit esse falsum, quod falsum est, ut si iubet malum, hoc ipsum etsi sit malum, cum tamen iubet, esse malum desinit, & sit bonum, ut patet ex illo axiomate. Quædã iusta sunt quia Deus vult, & quædam vult quia iusta sunt.

Resp. Intelligitur charitas nostra divina quæ etiam satis apparet. 2. Sicut quædam mala possunt in bona converti, sic etiam quædam falsa in vera; idem enim axioma, quod antea fuit falsum, fit verum, quando Deus vocat, quæ non sunt tanquam sint, *Rom.* 4. 16. 3. Vis argumenti manet intacta. Sicut enim malum, dum malum est, non potest esse objectum charitatis divinæ, sic neque falsum, dum est falsum, potest esse fidei divinæ objectum.

Oppon. *Respondet falsa esse posse vera. At inepte hoc: nam si falsa possint esse vera, contradictoria possunt esse vera. At Deus contradictoria non potest: vanum ergo, quicquid afferat contra exceptionem.*

Resp. Hoc est adversus stimulos calcitrare. Nihil enim dicitur quod non ab illo ipso responso quod petit repellitur. Illis enim verbis, *quod antea fuit falsum, fit verum*, de contradictione satis facit cuilibet intelligenti.

VI. Si fidei posset subesse falsum, tum fides esset principium deceptionis: sed hoc est absurdum; ergo.

Opp. *Disputat perinde ac si staretur ab istis qui fidei dicunt falsum subesse semper & non aliquando tantum. 2. Distinguo inter objectum proprium domesticum & per se, & objectum per accidens externum & alienum, quale est falsum. 3. Distinguo inter deceptionem, nam deceptio est vel cum*

com-

commodo ejus qui decipitur vel cum pernicie. v. g. credebant isti qui Emaunta ibant, Christum longius progressurum fuisse, quia scriptura dicit simulabat se iturum longius, fides tamen hæc non erat deceptionis principium quæ ipsis incommodaret. At qui videtur etiam principium esse deceptionis. Nam illorum reproborum fidei si qua esse posset, subesset falsum, dum jubentur credere in Christum (quod illi jubentur ut reddantur inexcusabiles) & tamen esset ipsis exitio. Resp. præsupponi hic quod possunt habere fidem, quod falsum. Matth. 10. *non potestis credere quia non estis ex ovibus meis.*

Resp. 1. Non ita disputatur: quia agitur de eo, quod fidei possit subesse, non de eo quod semper subest. 2. Applicetur hæc distinctio prima ad quæstionem aut ad argumentum. 3. Secunda distinctio non habet alium sensum, quam si quis distingueret inter mendacium officiosum, & pernicioſum, & tum adderet, mendacium officiosum proponi nobis divina fide credendum, sed non pernicioſum. 4. Talis fides vel opinio, qualem habuerunt discipuli Emaunta tendentes, de Christi ulteriore profectione, non est fides divina, imo potest esse cum pernicie credentium, ut sæpe accidit in stratagematis militaribus. 5. Alienum est ab omni Theologia, quod in fictitia objectione ponitur, fidem in Christum cuiquam futuram exitio, cui verè inest.

Oppò. *Duo priora objecta superius jam refutata. Ad tertium respondet distinctionem istam quam attuli perinde habere ac si quis distingueret inter mendacium officiosum & pernicioſum. At ipse Christi factum, quando se simulabat ulterius progressurum,*

statuit stratagema esse militare. En quo abeat: stratagema enim militare dolus bonus à Politicis vocatur, dolus ergo caderet in Christum, quod horribile auditu. Quid si verò dicam Deo attribui hoc in S. Scriptura quod seducat & errare faciat, & tamen nunquam quod mentiatur aut mentiri possit, quod si inquam hoc ostendam, iam vana responsio apparebit. Ostenditur autem hoc ut alijs locis, ita Ezech.14. & Esa.63.17. *quare (inquit Ecclesia) errare fecisti de vijs tuis? Domine induraſti cor nostrum ne timeremus te. At inquis ergo Deus author peccati? Resp. non magis certe quam cum cœcitate percutit aliquē, quod quidem & ipsum facere certum est, & propter hoc peccati accusari nequit. Quod porro addit alienum ab omni Theologia, fidem in Christū alicui extitium esse posse, id fateor: sed nec hoc responsio ad objectionem vult, nam expresse nego fidem in reprobu cadere ſ. salvificam. Idcirco hic adversarius cum umbra sua, quod ipsi non infrequēs est, digladiatur.*

Resp. 1. Horrorem istum ad mentionem doli, quis non videt fingi tantum ab eo qui contendit Deum decipere homines per affirmationem falſi, quasi esset verum. Facilè etiam deponi potest, si consideret stratagema licitum esse dolum bonum, non malum, cujus generis dolus à Deo approbatur. *Exod.*11. 2. *Iud.*20.35 saltem ab Apostolo exercetur. *Act.*23.6. Sed tamen non dictum fuit à me factum Christi fuisse militare stratagema: fidem tantum vel opinionem discipulorum simile dici opinioni eorum, qui stratagematis militaribus falluntur. 2. Ex eo quod Deus aliquando dicitur seducere, sed non mentiri, falsitas responsi nullo modo apparebit, nisi ostendatur Deum seducere affirmando falsum pro vero: quod

quod nunquam fiet. Præterea opponens (ſecundum ſuam diſtinctionem) debet oſtendere, fidem divinam eſſe principium deceptionis, quæ eſt cum commodo decepti: ille verò cum hoc non potuit, ut videatur aliquid inveniſſe, phraſes producit nemini ignotas, quibus Deus dicitur (aliquo ſenſu) ſeducere & errare facere, non cum commodo, ſed (ex iuſto iudicio Dei cum pernicie eorum qui decipiuntur: Sic quidlibet ex quolibet facile poteſt probari. 3. Sibimetipſi obiecerat Oppon. (quaſi non ſatis haberet ab aliis obiectum) *At videtur fides etiam eſſe principium deceptionis quæ eſt cum exitio: nam reproborum fidei, ſi quæ eſſe poſſet, ſubeſſet falſum, dū iubentur credere in Chriſtum, & tamen eſſet ipſis exitio:* cui obiectioni nihil aliud reſpondet, quam *ſupponi hic, reprobos poſſe fidem habere,* quod ille negat. Hoc autem iure meriro, ut grande paradoxum fuit notatum, *fidem in Chriſtum cuiquam poſſe eſſe exitio cui verè ineſſet.* Inſanum hanc aſſertionem ſatis à ſe remotam putat, *ſi neget fidem in reprobos cadere.* At verò quæritur de veritate huius conſequentiæ; *ſi reprobus crederet in Chriſtum, eſſet hæc fides exitio ipſi:* non de antecedente, utrum reprobus credere poſſit, necne. Qui conſequentiam concedit (quod Oppo. facit) ille manifeſtè concedit ex ſuppoſitione, fidem in Chriſtum poſſe alicui cedere in exitium. Subterfugium eſt merum, dicere in hac propoſitione, ſi reprobus crederet in Chriſtum, hoc cederet ipſi in exitium; ſupponi hoc, reprobum poſſe credere in Chriſtū. Quis puerum ferret affirmantem in illa triviali cōnexione, ſi Socrates eſſet leo, eſſet quadrupes, ſupponi hoc, Socratē poſſe eſſe leonem?

VII. Si

VII. Si fidei subesset falsum, tum lex obligaret ad errandum: obligamur enim ad fidem divinam; sed posterius est absurdum: ergo.

Opp. 1. *Perinde agit ut in proximè præcedenti Syllogismo.* 1. *Ac si statueret à nobis objectum fidei tale quatum esse falsum.* 2. *Ac si statueretur esse objectum propriù & domesticum & non per accidens.* 3. *Nihil absurdi secuturum, si statuamus legem aliquandò, quando Deo visum est, obligare ad errandi.* *Rece exemplum.* Num. 14. *jusserat Israelitas credere quod Deus daturus esset sibi terram promissam propterea quod non crediderint hoc, Deum nec se illorum nullum præter Calebum & Iosuam in terram promissam introducturum, id est, eos qui non crediderint Deum facere hoc potuisse: non ingressuros autem fuisse patet ex eventu, &c.*

Resp. Prima duo responsa eadem facilitate negantur, qua affirmantur. Tertium illud, legem aliquando obligare ad errandum, videtur plane absonum: illud enim ad quod obligat lex, est bonum morale: sed errare non est bonum morale: ergo lex non obligat ad errandum. Exemplum impar est quæstioni probandæ, nisi posset probari, Deum jussisse, ut omnes & singuli Israelitæ crederent absolutè, sine ulla exceptione, ac conditione, sibi in suis propriis personis terram promissam in possessionem esse futuram. Cujus postulati probatio nunquam invenietur. Remonstrantes in collatione Hagiensi, edit. Brand. pag. 415, eadem ratione, ex eodem exemplo ineptè concludunt, promissiones omnes Dei non esse certas, quia scil. Israelitis illa terra Canaan fuit promissa, qui in eam nunquam sunt ingressi.

Oppo

Oppon. *Si in negatione nuda res sita esset, tum certè Corydon quilibet facile palmam referret de præstantissimo quoque Philosopho, plus enim ille negare poterit quam hic probare. Sed missa faciamus hæc: nam quæ negat superius sunt à nobis probata. Ad exemplum veniamus quod ista probavimus. Illud petitum ab Israelitis eductis ex Ægypto, qui tenebantur credere ingressum in terram promissam. Et tamen hoc falsum quod eventus docuit. Hic ille: non inquit sine conditione ipsis terra promissa est. Certe sic est: sed conditio erat ut credarent Deum hoc facturum fuisse.* Num. 14. 11. 2. *Si cum conditione erat ipsis promissa terra. Ergo si credendum erat illis ipsam sibi cessurã in possessionẽ, credenda certe erit & conditio. Secundo inquit, Remonstrantes utuntur hoc exemplo ut incertas promissiones ostendant. At an ego hoc facio qui doceo aliquando obligari aliquẽ ad falsum credẽdum? nihil minus. Itaq; allegatio Remonstrantium non facit ad rhombum.*

Resp. 1. Si satis sit accusasse, quis erit innocẽs? at satis est negasse crimen aut vitium objectum, usquedum fuerit probatum. Annon potest Corydon aliquis æquè affirmando, ac negando, vincere Philosophos præstantes?? 2. Credendum fuit Israelitis (si opponenti credendum est) se credituros & sic tenebantur credere, cum non crederent. Nunquam legimus in scriptura de istiusmodi præcepto: crede te incepturum credere. 3. Maximè pertinet ad opponentem, quod de Remonstrantibus fuit allegatũ: quia cum Remõstrantes jure accusentur, quod ex hoc exemplo velint promissiones Dei reddere incertas, ille magis multo est accusandus, qui ex eodem fundamento concludit promissiones esse falsas.

VIII. Si

VIII. Si falsum subesset fidei, tum subesset formali rationi ejus, id est, veritati primæ: sed falsum non magis stare potest sub veritate quam malum sub bono, aut non ens sub ente.

Oppon. *Ludit in fide, nam fides ea est, vel qua creditur, vel qua creditur: fides qua creditur verbum Dei, & eius formalis ratio est veritas prima, unde etiam norma fidei vocatur, & eius mensura qua creditur. Quod si dicat quod fidei qua credimus obiectū sit veritas prima, tum Resp. distinguendo obiect. inter illud quod per se & per accidens, obiect. per se est verum ut ante ostendimus, per accidens non semper, ut in exemplis superioribus à nobis ostensū. Obycit ille quidē falsum non posse stare sub veritate: Sed nescio quorsū hoc, nisi forte velit, quod fides ut obiect. eius verum est, sic ipsa vera est, ac proinde quia ipsa vera est, non potest falli. Resp. fidem fallitur ratione obiecti per se, sed ratione obiecti per accidens fallitur, quia credit quod falsum est verum esse. Quod autem hoc ita sit, patet ex Apostolo tantibus Emaunta, qui credebant Christum ulterius progressurum esse, in quo tamen fallebantur. Item ex Israelitis, qui antequam in terram promissam exploratores misirant, credebant, datam iri ipsis in possessionem: Falsum hoc tamen, ut docuit eventus. Quod autem crediderunt inde patet, quod versus ipsam proficiscebantur eo fine ut incolis pulsis eam possiderent.*

Resp. Lusus non videtur serio obiectus: nam 1. Quod attinet ad distinctionem, inter obiectum per se, & per accidens, vellem eam primo explicari, & deinde ad quæstionem applicari. Illud certè quod proponitur nobis à Deo, in Evangelio, ad iustificationem necessario credendum, est

obiectum

objectum fidei per se, non per accidens. 2. Quis sensus eorum verborum: fides ratione objecti per accidens fallitur, quia credit quod falsum est verum esse? an omnis fides, quæ credit quod falsum est esse verum, fallitur ratione objecti per accidens? Ego certe hæc non capio: de exemplis postea respondebitur.

Oppon. *Distinctio ista satis probata, & ad quæstionem applicata, insuper exemplo illustrata speciali Petri, quod planè omittit, quodque ipsi fuit solutu difficile: quod ne animadverteretur, dicere aliquid voluit, quod tamen ad rem nihil facit.*

Resp. Verba dantur: præterea nihil. Quod attinet ad Petrum, nullo modo probari potest, debuisse eum absolutè & immediatè credere, aquas ipsi non cessuras, fides quæ necessario requiritur ad miraculi vim recipiendam, est illa quæ declaratur. *Matth. 8. 2. Domine, si velis, potes me purgare.*

IX. Si falsum subesset fidei, tum assentiri veritati, esset ratio assentiendi falso: quia fidei divinæ ratio, est assensus qui præbetur veritati Dei: sed illud est impossibile: quia unum oppositum non est propria causa sui oppositi; & ex vero, nil nisi verum sequitur.

Oppon. *Eadem quæ ad præcedens argumentum. Objectum duplex per se & per accidens, proprium & extraneum: itaque non falsum statuimus per se, sed per accidens. Vt quando Deus jubet hæc & illa credere explorat homines, quemadmodum jussit per aquas ad se accidere Petrum, dum enim hoc jubet, jubet simul hoc ut credat aquas non cessuras ipsi, sed instar terræ firmas mansuras, & tamen hoc falsum erat ex eventu quod aquæ ipsi cessuræ fuissent: jubebat*

bebat autem Christus hoc ut exploraret fidem ejus, Mat. 12. 18. *debuisse autem eum credere patet ex ver. 31. ubi ob hoc quod non credidit reprehenditur.*

Resp. 1. Distinctio hæc recocta (objecti per se & per accidens) nullum terminum, qui in argumento reperitur attingit: nihil enim dicitur in argumento de objecto, sed de causa tantum. 2. Objectum per accidens malè vocatur, quod proponitur explorandi causa: finis proponentis non mutat rationē objecti propositi. Objectum per se est illud, circa quod adjunctū per se versatur: sed circa veritatem, quæ explorandi causa proponitur, fides potest per se versari. De *Petro* dictū est.

Oppon. *Accusat distinctionem sed malè, nec ratio, quā eam subruere vult, cuiusquam momenti. Quod, inquit explorandi causa proponitur, id est obiectum per se: finis enim inquit proponentis non mutat obiecti naturam. Obiectum per se est illud circa quod adiunctum per se versatur: sed circa veritatem, &c. Inepta ratio prior, ex hac causa quod ob finem diversum res mutetur sæpe, ut quæ una videatur non sit tamen, ita Crucifixio Christi & opus Dei, & Iudæorum; ob fines diversos Dei opus bonum, Iudæorum scelus horribile, vide exemplum item*, Esa. 10. *Ad argumentum secundum respondeo minorem negando: ratio negationis est, quia versatur circa hoc quod credat futura, cum tamen futura non sunt, non enim eo fine proponuntur, quo fides seducat.*

Resp. Verba denuo dantur mera. Quærebatur de mutatione obiecti Logici, per se, per accidens: Respondet Oppon. de mutatione rei moralis. Quærebatur de fine proponentis, an respectu alterius mutaret obiectum: respondetur

de

de fine agentis, quod respectu ipsius actionem mutet. Dicitur etiam inconsideratissime, *fide quæ versatur circa veritatem, credi futura, quæ non sunt futura.* Hoc enim perinde est ac si diceret, fide qua creditur verum, creditur falsum. In illa denique chorda perpetuo oberrat Oppo. quod nihil futurum possit alicui proponi exp'orandi causa: quasi Deus non soleat aut possit explorare homines vero, sed falso tantum. Minor utcumque illa, *circa veritatem quæ explorandi causa proponitur, fides potest per se versari*, temere admodum negatur: quia veritas à Deo proposita (qualiscunq; fuerit arcana Dei intentio) est fidei divinæ objectum per se.

X. Omne testimonium divinum est verum: quia testis est verax, non mendax: sed quicquid credere tenemur fide divina, est testimonium divinum, ergo quicquid credere tenemur fide divina, est verum. Totum hoc argumentum & Theologicè & Logicè explicatur ab Apostolo 1. *Corinth.* 15. 14, 15.

Oppon. *Testimonium divinum verum est si integrè proferatur. Sin minus, sæpe fit ut prout verba sonant, & præ se ferunt, verum non videatur, non vitio testimonij, sed vitio ejus cui datur, & qui illud non intelligit nisi prout verba præ se ferunt. Ex gratia, illud, quo die comederis morieris, verum est si integrè proferatur, hoc est, vel tu, vel alius pro te substitutus, etsi complemento hoc omisso proferatur, tum non verum sed falsum videtur, quia primus homo non est mortuus, in se ipso, neque fideles moriuntur, neque experiuntur, pœnam hanc in se ipsis.*

Respond. 1. In hoc argumento nihil omnino

negatur

negatur, propositio est: omne testimonium divinum est verum. Respondetur: *si integre proferatur: si vero non integrè proferatur, & fieri possit ut verum non videatur* nulla hic est contradictio, inter esse verum, & verum alicui non videri. 2. Sententia quam nos impugnamus, stare aliquod testimonium videri verum, sed esse falsum; defensio hæc contra sonat, aliquod testimonium videri falsum, sed esse verum: quid ad rhombum?

Oppon. *Respondi ad argumentum distinctum adhibita, ut videre licet in mea refutatione, quid vero adversarius ad hoc inquit? quid inquit ad rhombum? ostendi satis quid ad rhombum facit, sed qui non vult intelligere hoc, ideo Syllogismum ipsius apponam, & responsionem meam ad illum apponam. Syllogismus talis: omne testimonium divinum est verum: sed quicquid tenemur credere fide divina, est testimonium divinum: ergo. Nego minorem, & rationem do negationis. quia tenemur credere non id tantum quod est testimonium divinum, sed sæpe quod est pars ejus, quæ quoad verba attinet, talium sensum præ se fert ac ipsum testimonium. Ita exemplum de* Adamo *cui comminatus Deus mortem, si de fructu vetito comederet: hoc non erat testimonium integrum, sed pars ejus; ut à me explicatum in disceptatione cum ipso habita. Nam si fuit testimonium integrum, & omne verum est, tum hoc futurum fuisset, quod tamen falsum. Objectio: non fuit integrum testimonium sed conditionale. Resp. retorquendo si conditionale fuit, non fuit integrum si reticebatur conditio.*

Resp. Præter vitium antea notatum, hæc porro veniunt observanda. 1. Quod pars testimo-

monij divini arguatur falsi: quum tamen ne unum ἰῶτα, aut unus apex testimonii divini sit transiturum ut falsum: teste Christo, *Matth.* 5. 18. 2. Quod aliquid credendum fingatur fide divina, quod non sit testimonium: cum tamen nihil credi possit fide divina nisi quod Deus testatur verum esse; & omne id quod Deus verum esse testatur, esse eius testimonium, pueri norunt, qui relationem intelligunt inter testem ac testimonium. 3. Quod comminatio illa (quo die comederis morte morieris) negetur esse integrum testimonium: quum tamen sit integrum axioma authoritate testis confirmatum. 4. Quod promissio Salvatoris constituatur pars comminationis legalis: *si non feceris, vel tu morieris, vel alius* (*id est salvator*) pro te.

XI. Fidei, quæ obsignat Deum veracem esse, falsum non potest subesse: sed omnis fides divina obsignat Deum veracem esse, *Ioh.* 3. 33. Ergo.

Oppon. *Negatur consequentia. Ratio datur exempla* Mosis, *qui obsignaturus erat Deum veracem esse, si credidisset, ad unum ictum baculi prosilituras aquas, at falsum hoc. Secundo obsignat Deum veracem, quia credit firmissima quæ promittit, & quæ mandat sive illa intelligat, sive non, quod sit circa mandata explorationis & convictionis.* Hebre. 11. 17, 18.

Resp. Ratio consequentiæ est, quia fides Deum veracem esse obsignat, quatenus assensu suo confirmat verum esse quod Deus testatur, sed si aliquando fidei subesset falsum, non semper verè & infallibiliter confirmaret verum esse quod Deus testatur.

Oppon. *Negavi consequentiam rationem negationis*

tionis dando, & quid illæ ad hæc? probare vult, negationis ratione non refutata. At hoc plane ineptum in disputatione, nam qui ea quæ negantur improbare vult, subruere debet prius rationem negationis, ostendendo vel ad rem non facere vel falsam esse. Objectio: at ostensum est ab ipso de illa baculi Mosis nihil in sacris literis. Responsio: ita est, sed argumentum à nobis correctum hoc pacto: Moses tenebatur ad alloquium quod facturus erat ad petram, credere aquas prosilituras fuisse, falsum eventus ostendit.

Resp. Lex gravis, & dura est, quæ postulat exemplum controversum toties refutari, quoties obtruditur ad illam ipsam controversiam probandam cui subest. Sed quare non ostendit Oppon. quomodo fides nostra possit vere obsignare Deum esse veracem, si falsum sit quod ille exhibet nobis fide obsignandum? De *Mosis* exemplo postea seorsim erit agendi locus.

XII. Verbum Dei, & quod sequitur ex verbo Dei, est verum: sed quicquid credere tenemur, est verbum Dei, aut ex eo deducitur; ergo est verum.

Oppon. *Resp. Idem datur quod ad argumentum 7.*

Resp. Verbum igitur Dei & quod ex eo deducitur, est objectum fidei per accidens: libenter profecto scirem qnodnam sit objectum fidei per se.

Oppon. *Contra distinctionem à nobis allatam, quæ quia probata est, & ipsius rationes contra ipsam allatæ refutatæ, idcirco nihil addi debere judicamus.*

Resp. At vero tam horrida hæc est sententia:

verbum

verbum Dei esse objectum fidei per accidens, aut esse aliquo modo falsum, ut dilucidam authoris sui explicationem flagitare videatur: idque eo magis, quia primaria nostra quæstio est, an illud quod proponitur homini ad ejus justificationem, id est, verbum Evangelij, sit ullo respectu falsum.

XIII. Qui non credit Deo, (id est, qui fidem divinam non admittit) mendacem facit Deum: 1. *Ioh.* 1. 10. At vero non credendo falsum, nemo facit Deum mendacem; sed potius credendo falsum, tanquam à Deo profectum: aut etiam credendo falsum à Deo proficisci. Deus enim omniscius non magis potest falsum asserere, quam mentiri.

Oppon. 1. *Negamus minorem: nam* Moses *non credendo falsum, faciebat Deum mendacem, dum non credebat ad unum ictum aquas prosilituras.* 2. *Disting. minorem si constet quod falsum sit, sed talia quæ jubentur non ut fiant, sed ut homines explorentur, aut convincantur, non constat esse falsa. Quod addit, tanquam à Deo profectum, sciendum si credat aliquis falsum a Deo proficisci, tum utique sequetur hoc; at non continuo sequitur: nam potest aliquis credere hoc, aliquando se teneri credere falsum, non à Deo falsum proficisci: ut tenetur ad impossibilia sæpe, nec tamen Deus per præcepta impotentiæ auctor.*

Resp. 1. Assumptio sic probatur: Deus tunc solum ab hominibus sit mendax, quando quod ipse verum esse testatur, isti putant esse falsum: sed non credendo falsum nemo putat illud esse falsum quod Deus verum esse testatur: ergo nemo non credendo falsum facit Deum menda-

mendacem. 2. Limitatio illa (*si constet quod falsum sit*) nihil juvat. Quod enim Deus proponit credendum, & jubet credere, illud esset credendum, quamvis omnia nobis constarent ab initio, quæ postea patent ex eventu. Obligatio ad fidem non pendet ex ignorantia nostra, sed ex auctoritate Dei. 3. Ad propositionem illam quæ hic agnoscitur vera (*si credat aliquis falsum à Deo proficisci, ille facit Deum mendacem*) liceat mihi cum bona pace non accusationis sed disputationis causa) sic assumere, *sed Opponens credit falsum à Deo proficisci*: credit. n. Deum aliquid proponere credendum quod falsum est; ergo. 4. Responsum etiam exspectabo ad illud argumentum: Deus omniscius, non magis potest fallum asserere, quam mentiri, sed nullo modo potest mentiri: ergo nec falsum asserere.

Oppon. *Quod ad considerationem thesios ollavæ fecit, hic & jam facit, ut negationem probet ratione à me assignata missa, proinde & hic agit contra leges legitimæ disputationis.* At objcit hic, 1. *Inquit, limitatio ista, si constet quod falsum sit, nihil iuvat: quod enim Deus proponit credendum & iubet credere, illud credendum esset, quamvis omnia nobis constarent initio quæ postea patent ex eventu.* Resp. credendum esset eo fine quo iubet verum esse, v. gra. si Petro constitisset de eo quod Christus ipsum iuberet in mari venire exploratum ergo, non quod hoc absque omni planè periculo futurum esset, utique hoc verum esse tenebatur credere, hac ratione & certè non alia. Quod addit, *obligatio ad fidem non pendet ex ignorantia nostra, sed ex auctoritate Dei: nihil ad rem facit: hoc enim & ego assero. Sed de hoc non quæritur, sed de hoc:*

utrum

utrumne quod Deus jubeat, etiamsi quo fine hoc jubeat, non doceat, credere, teneamur & velle? & utrum omne quod jubet, hoc velit. 3. *Objicit ad propositionem quæ hic agnoscitur vera: si credat aliquis falsum proficisci à Deo, ille facit Deum mendacem: sed Opponens credit à Deo proficisci falsum. ergo. Resp. Opponens se expedivit hic: nam negavit minorem, ratione assignata hac: quemadmodum Deus jubendo impossibilia, nobis non est causa impotentiæ, ita jubendo credere falsa, non est mendax: quæ ratio fuerat refutanda, non silentio prætereunda, quod ab ipso tamen factum est.* 4. *Objicit argumentum: Deus omniscius, non potest magis falsum asserere, quam mentiri: sed nullo modo potest mentiri: ergo nec falsum asserere. Resp. aliud est falsum asserere, aliud nos debere falsum credere, id quod ostendo: aliud esset si Deus dixisset, quod omnes Israelitæ ex Ægypto egressi, terram promissam fuissent ingressuri, & aliud, si iussisset ut crederent Deum illis terram promissam daturum fuisse, itaque Respondens negat minorem.*

Resp 1. Præteritionis exempli controversi, toties inculcati, & seorsim tractandi, non est quod causam dicam apud intelligentes: sed cur legi, quam fert & urget, non paret Opponens ipse? Hoc enim loco, integro Syllogismo, de re gravissima, semel tantum proposito, nihil opponit: illi scil. quo concluditur, neminem facere Deum mendacem non credendo falsum; quia non habet pro falso, quod Deus verum esse testatur. 2. *Credendum esse aliquid eo fine, quo Deus jubet, verum esse, hac ratione & non alia: novum* est & mirabile schema. Nam. 1. axiomatis veritas non distinguitur, aut variat, ratione finis:

Vna

Vna & eadem sententia non magis potest esse vera respectu unius finis, & falsa respectu alterius, quam vera respectu unius efficientis, subjecti, adjuncti, & alterius respectu, falsa. 2. Non quæritur de fine, aut efficiente, subjecto, adjuncto, sed an sententia credenda pronuntiet: uti res est, necne, id est, utrum vera sit in sese, an falsa. Oppo. concedit esse falsam, sed credendam tamen, quia non constat quod falsa sit. Quid igitur si constaret? respondet, credendam tum esse certo fine, quatenus scil. est vera. sed quare credenda est alio fine, aut sensu, dum non constat de eventu? quia Deus ita proponit, & credi jubet, an non igitur apertè concedit Opponens, Deum aliquid proponere credendum, si de eventu nobis constaret? 3. In exemplo fidei hujus variantis, sibimetipsi non constat Oppon. nam supra ad th. 9. contendit absolute *credendum fuisse Petro, aquas non cessuras ipsi, sed instar terræ firmas mansuras.* Iam vero dicit: *si Petro constitisset de eo, quod Christus ipsum iuberet ad se in mari venire explorationis ergo, hoc verum esse tenebatur credere.* Illud alterum credendum, de aquis instar terræ firmis, jam non comparet. obligatio igitur *Petri*, ad prius illud credendum, ab ejus ignorantia pendebat. 4. Adhuc nulla facta est mentio hujusmodi quæstionis in thesibus nostris: (*utrum teneamur credere Deum velle quod iubet*) neque juvat quidquam causam opponentis, nisi per *velle Dei* intelligat efficacem ejus voluntatem, quam sequitur semper opus illud quod vult: hoc autem sensu, non dicet ipse, Deum velle omnia in omnibus quæ ipsos facere jubet. 5. Videndum jam, quomodo se expedit

Oppo.

Oppo: à crimine capitali. Argumentum fuit huiusmodi: *Qui credit aliquid falsum à Deo proficisci, ille facit Deum mendacem. Sed Oppo. credit aliquid falsum à Deo proficisci, dum credit Deum aliquid proponere credendum, quod est falsum. Ergo Oppo. facit Deum mendacem.* Propositio est confessio opponentis. Assumptio, quam oppo. dicit se negasse, confirmata fuit hac ratione: qui credit Deum aliquid proponere credendum, quod est falsum, ille credit falsum à Deo proficisci: sed opponens facit prius; ergo & posterius. Hoc argumento (contra suas leges) pr vterm isso, reddit rationem suæ negationis, à simili, quod non quadrat. *Sicut (inquit) Deus iubendo impossibilia, nobis non est causa impotentiæ, ita iubendi credere falsa, non est mendax.* Sed 1. Minor negata fuit; *Oppo. credit falsum à Deo proficisci*: Hic nulla fit mentio *mendacis*, sed profectionis falsi à Deo: in ratione vero oppositа, nihil dicitur de malo à Deo proficisc ee, sed de mendace. 2. Nulla est proportio terminorum in ista comparatione: *iubere impossibilia, causa impotentiæ; iubere credere falsa, mendax*: ut conveniant omnia, ultimus terminus debet esse *causa falsum credendi*: nam causa credendi falsa, respondet causæ impotentiæ. Sed sic appareret statim fallacia comparationis: non enim est eadem ratio harum connexionum: *iubet impossibilia: ergo est causa impotentiæ: Et, iubet credere falsa: ergo est causa credendi falsum.* Iussio namque non est causa cur illud quod iubetur non fit; sed est causa quod fit, quando fit. Nebulis istis discussis, quid sit in re ipsa, quilibet potest videre: Opponentem sc. ex sua propria cõfessione facere Deum mendacem.

5. Simili planè modo declinat vim alterius argumenti: *Deus omniscius non magis potest falsum asserere, quam mentiri: sed non potest mentiri: ergo nec falsum asserere.* Respondet Oppon. aliud esse falsum asserere, aliud nos teneri falsum credere. Hoc quidem verum est. sed nulla ex parte labefactat vim argumenti. Nam quisquis dicit, nos teneri fide divina, vel propter assertionem & authoritatem Dei, falsum credere, is manifeste docet, Deum falsum asserere. Neque ulla est realis differentia inter ista duo: *Deus dixit quod omnes Israelitæ ingressuri essent terram promissam*: & *Deus iussit ut omnes Israelitæ absolutè crederent, fide divina, quod ingressuri essent in terram promissam*: Deus enim nihil jubet nos credere fide divina, quod ipse non dicit.

XIV. Nisi vera esset hæc propositio, *quicquid est de fide, est verum*: nulla esset cõsequentia illa: *hoc est de fide: ergo est verissimum.* Quam tamen qui negaret, non esset pro Christiano habendus.

Oppon. *Negatur consequentia, est enim ignoratio Elenchi: nam nos non dicimus falsum fidei obiectum per se, sed per accidens, ac proinde non negamus esse de fide, nam particula* de *notat copulam essentialem inter rem & rem.*

Resp. 1. Consequentiæ ratio est, quia in hoc enthymemate; *hoc est de fide, ergo est verissimum*, subintelligitur illa propositio: *Quicquid est de fide, verum est.* Nisi autem propositio subintellecta sit vera, nullius enthymematis consequentia valet. 2. Ratio negationis nullum habet sensum: nos dicimus falsum esse objectum fidei per accidens: ergo non negamus illam consequentiam.

tiam : idcirco enim per illud accidens negatis-
3. Nullam emphaſin ponimus in illa particula, *De:* ſed illud omne intelligimus eſſe *de fide*, quod Deus revelavit credendum.

Oppon. *Reſpondeo diſtinguendo : quod Deus revelavit ad credendum, vel idco ut fieret, vel explorationis vel convictionis ergo : ſi priore modo intelligatur, vera propoſitio, ſecus falſa : vt exempla à nobis allata complurima probant.*

Reſp. Miſera illa diſtinctio. Nam 1. Multa Deus revelavit credenda, quæ non revelantur ut fierent (ſicut pater omnibus qui vel Symbolum Apoſtolicum norunt) & tamen ſunt veriſſima. 2 Nulla fit mentio in argumento de *revelatione* : diſtinguitur igitur extra argumentum. 3 Contradictio eſt manifeſta, ut aliquod *à Deo* revelatur ad credendum, & tamen non ſit de fide; aut *de fide*, & tamen non verum.

XV. *Obj.* 1. *Abraham tenebatur credere, Deum velle vt filium offeret, & immolaret: & tamen falſum hoc erat.* Solutio Deus dicitur velle, & quod præcipit, quamvis non ſecernat futurum; ſicut voluit *Adamum* abſtinere à vetito fructu, & quod decernit, quamvis illud non præcipiat; ſicut voluit filium ſuum crucifigi. Priore modo tenebatur *Abraham* credere, Deum velle ut filium ſuum immolaret, quod verum fuit poſteriore modo, non tenebatur credere, Deum id velle, quia non fuit ipſi revelatum à Deo.

Opp. *Dicit, ſicut voluit* Adamum *abſtinere à vetito fructu: ita voluit* Abrahamum *occidere filium ſuum. &c. retorquemus arg. ſi ita voluit* Abrahamū *credere, ut voluit* Adamum *abſtinere à vetito fructu, tunc certè voluit* Abrahamum *credere, ut filiū*

offerret: ratio: quia Adamus *tenebatur credere hoc: quod patet, quia distinctio ista non potuit esse nota illi, hoc esse sui officij, & Deum aliud velle, nam ex eventu cognita tandem est.*

Resp. Nihil est quod postulat responsum praeter illud unum: *Adamus tenebatur credere, si abstentaturū à fructu vetito, quia eventus non fuit ei notus.* At vero illud quod obligat ad fidem, non est ignorantia eventus. Deus jubet Paulum prædicare Evangelium ad conversionem auditorum: an igitur tenetur absolutè *Paulus* credere omnes auditores conversum ire, quia nescit eventum?

Oppon. *Nihil respondet*; *dixi ego* Adam tenebatur *credere Deum velle hoc ut abstinere à fructu vetito, eo quod ignorabat distinctionem hanc: tenebatur ratione officij & non eventus: ratio quia distinctio haec ipsi nota non erat. Adversarius objicit, ignorantia neminem obligat ad fidem. Fateor: sed dum nobis unum revelatur, & alterum non tenemur hoc unum credere, & tantummodo unum hoc, etsi alterum quod nos fugiat, dari possit. E. gr. justificationem ex lege dari tenebamur credere in statu integritatis, & tantummodo hanc, etiamsi dari poterat ex fide, ut jam datur, quia scil. hoc nobis non fuit revelatum.*

Resp. Distinctio inter illa duo: *teneor credere hoc esse officium meum, & teneor credere hoc absolutè esse futurum*, non fuit *Adamo* ignota. Est enim talis, qualem ratio recta facile percipit, quando mandatum solum traditur, & de eventu nihil affirmatur: *Adamo* autem revelatum fuit mandatum, & nihil prædictum de eventu. Confirmatur hoc, non refutatur, ab Opponente, si

ſua Regula: *teneri nos, dum unum revelatur, & non alterum, credere tantummodo unum hoc, etſi alterum quod nos fugit dari poſſit.* Revelatum enim fuit *Adamo*, Deum voluiſſe hoc officium ipſi imponere, ut abſtineret à fructu vetito: ſed voluiſſe Deum abſolutè efficere vt ab eodem abſtineret, neque illi, neque nobis fuit, revelatum. Sic etiam tantum revelata fuit ipſi juſtificatio ex lege: ſed non fuit ipſi revelatum, quod nulla alia futura eſſet juſtificationis ratio poſt lapſum. Nulla igitur fuit cauſa, aut ratio cur crederet nullam aliam juſtificationem futuram, niſi defectus revelationis, & ignorantia juſta ſit cauſa fidei divinæ. Latum diſcrimen eſt inter iſta duo: *hoc tantum credere quod eſt revelatum: & credere hoc tantum, & nihil aliud futurum Adamus* tantummodo tenebatur credere ſe victurum ſi faceret hoc: ſed non tenebatur credere hac tantum ratione Deum velle ipſi vitam largiri.

XVI. *Inſtant.* 1. *Quare ergo jam jam jugulaturus erat filium?* Reſp. Quia hoc officium impoſitum ipſi fuit à Deo. *Inſtant.* 2. *Qua alacritate potuit hoc facere, ſi non credidiſſet ſe effecturum quod aggrediebatur?* Reſp. Eadem alacritate, qua *Ioab* aggrediebatur hoſtes. 2. *Sam.* 10. 12. *Confortemur nos, Jehova autem faciet quod bonum videbitur in oculis ſuis. Petrus* tenebatur vigilare, & orare cum alacritate, ne Chriſtum abnegaret, etiam cum prædictum ipſi fuit, quod eſſet Chriſtum abnegaturus. *Inſtant.* 3. *Quomodo igitur potuit explorari fides Abrahami?* Reſp. Si non obſtantibus omnibus illis, quæ potuerant eum avertere ad implendo tali præcepto, compararet ſeſe ad obſervationem ejus,

LIBRARIE

eventum Deo certa fide commendans.

Oppon. *Discrimen fuit inter* Ioabi & Abrahami *factam, quia hic mandatum, ibi nullum.* 2. *Discrimen datur in exemplo* Petri: *quod debuerit, ille ait, quod potuerit, nostra ait responsio.* 3. *Instan. dicit quod hic explorari potuit si se accingeret ad mandatum exequendum. Aliter scriptura,* Heb. 11. *quia certo persuaserat sibi se interfecturum* Isaacum, *eumque interficiendum a se, ac proinde dicit, obtulit per fidem tantum.*

Resp. 1. Mandatum non minuit alacritatem. 2. *Ioabo* defuisse mandatum omne, debet probari. 3. *Petrus* & debuit & potuit, si voluisset, alacriter vigilare. De *Heb.* 11. postea.

Oppon. *Quæ dicit non merentur responsum, conferantur cum meis.*

Resp. Si bene conferantur omnia, tum apparebit. 1. Mandatum Dei non minuisse alacritatem *Abrahami*; atque adeo nullum discrimen posuisse inter eum & *Ioabum*, quoad alacritatem: quod tamen fuit subterfugium Opponentis. 2. Affirmari ab Oppo. sine ullo fundamento, *Ioabum* sine mandato pugnasse. 3. Nullam causam ab ipso afferri, quare *Petrus* non potuerit (si voluisset) cum alacritate vigilare. 4. Petitio principij, in glossa illa, quę gratis induitur verbis Apostoli, *Hebr.* 11.

XVII. *Object.* 2. *Quæ Deus mandat, si non revelaverit, illud se mandare eo fine, non quod illa velit, sed quod nostri officij admoneat, tenemur non credere eum illa velle.* Sol. 1. Non tenemur credere voluntatem Dei aliquid decernentem ex eo quod non revelavit, sed eo eo quod revelavit. 2. In mandato non revelatur Dei voluntas decernens,

cernens, ſed mandans, & quod mandatur ſæpè non præſtatur. 3. Si ex mandato ſequatur, Deum hoc vel illud, quod mandat, decreviſſe, tum ex hac hypotheſi ſequitur: *Deus omnia quæ mandat, decrevit fieri*: ſed hanc hypotheſin falſam eſſe, tot ſunt argumenta, quot ſunt in toto mundo peccata: ergo Illa conſequentia nulla eſt. *Inſt. Mandatum cum eventu, teſtatur de decreto: ergo & ante eventum idem teſtatur ex parte, ſaltem ex mente Dei* Reſpon. 1. Eventus æque ſine ac cum mandato, de decreto teſtatur. 2. Mandatum quod eventu perficitur, nulla ex parte, amplius aliquid de decreto Dei teſtatur, quam illud, quod non perficitur. 3. Si illud quod eventu non perficitur, vel ex parte teſtaretur de eventu decreto, tum neceſſe eſſet ut teſtimonium illud eſſet falſum, ſaltem ex illa parte.

Oppon. *Vult negare quod non teneamur credere, Deum velle quod nobis imperat, etſi non revelet quo fine. At locus clariſſimus eſt.* Deut. 29. *ea quæ occulta ſunt, &c. unde tale argumentum exſtruimus: quæ tenemur credere fore, ea tenemur credere Deum velle: atque ut præceptis proponit, tenemur credere fore, ſi non revelet quo fine proponat: ergo. Maior certa, quia qui credit dari ut fiant, ille credit fore: qui fore credit, credit velle Deum: quia nihil fit quod non vult. Thren. 3. v. 37. Dices videbatur ſaltem Deus teſtari tunc temporis* Iſaacum *moriturum: negat ex eo* Abrahamum *teneri credere quod Deus vellet, ut immolaret: ſed nos probavimus hoc ad ſecundum Corollarium.*

Reſp. Ad illud quod aſſumitur in objectione, *quæ in præceptis Deus proponit, tenemur credere fore, ſatis eſt in ipſa theſi reſponſum.* Probatio

illa *(qui credit dari ut fiant, credit fore)* falsa est, si intelligatur per *ut* finis operis, aut præcepti, ex natura sua: si vero finis operantis, aut interna & efficax intentio Dei intelligatur, respectu eventus, tum falsa est propositio subintellecta: quæ Deus præcepit (si non revelat quo fine proponat) tenemur credere proponi ut fiant.

Oppon. *Distinguit inter finem operis & operantis, ut locum ex* Deut. 29. *eludat: sed frustra est: nam ego hic urgeo finem operis, & ita concludo: aut nobis nunquam credendum, Deum velle quidquam quod iubet, sed tantum hoc esse nostri officij, & ita falsum erit credendum, aut omnia quæ iubet, & itidem sic falsum credendum. Hic effugium nullum, in quamcunque partem inclines: sive enim hoc dixeris, sive illud, in istud quod fugis incurris.*

Respon. Captiuncula hæc, cui adeo confidit Oppon. est planè araneosa tela. Nam 1. Distinctio illa non est sufficiens, vel necessaria: *aut nunquam credendum Deum velle quod iubet, aut semper illud credendum de omnib. quæ iubet.* Datur tertium: credendum, Deum velle efficaciter procurare illud quod iubet, quando revelat, se illud facturum: quod neque semper fit, neque nunquam. 2. Consequentia prioris partis est ridicula: *si nunquam credendum, Deum velle quod iubet, sed tantum credendum hoc esse nostri officij, tum falsum erit credendum.* An ille qui non credit aliquid veri, eo ipso quod non credit, credit falsum? multa sunt vera nobis ignota, de quibus neque veri, neque falsi aliquid credimus, aut assensu aliquo affirmamus.

XVIII. *Obiect. 3. Videbatur saltem Deus testari, Isaacum tum temporis moriturum. Sol. Abrahamus*

hamus non tenebatur credere, verba Dei teſtari illud, quod non teſtabantur, ſed tantū videbātur teſtari: hæc enim fuiſſet fides & conſcientia errans, quam non aſſumere, ſed deponere tenemur.

XIX. *Object.* 4. Iſa. 38. & 2. Reg. 20, Ezechias *tenebatur credere, ſe ex illo morbo moriturum, ex quo evaſit: ſed hoc erat falſum.* Sol. Verba illa, *morieris tu & non vives.* 1. Vt comminationem continebant intelligi & credi debuerunt cum exceptione humilis deprecationis: *Jer.* 18. 7. 8. 2. Quatenus prædictionem continebant, intelligi debuerunt, & credi, ſecundum ordinem cauſarum naturalium, cum exceptione miraculoſæ Dei operationis, ad eum à morte liberandum: utroque modo verum fuit, quod *Ezechias* credere tenebatur fide divina.

Oppon. *Movet objectionem quam non ſolvit. Nam non omnis comminatio credi debet cum conditione: alioquin quod Deus minatus fuit filijs* Eli, *credendum cum conditione quod tamen falſum. Si incertum eſt quando cum conditione, quando ſine conditione; ubi Deus conditionem expreſſam non addit, tum certè debemus credere minis Dei: ſed verum prius: ergo & poſterius. Ratio conſequentiæ, quia fides noſtra per auditum eſt, auditus autem per verbum Dei.*

Reſp. Verba Dei *Ierem.* 18. ſunt *quo momento eloquar contra gentem, & contra regnum, me convulſurum, & demoliturum, & perditurum eſſe, ſi convertatur gens illa à malo ſuo, contra quam loquutus fuero, pœnitebit me quoque eius mali quod cogitaveram facere ei.* Quæro jam an non hoc ex ordine teneamur credere de omni comminatione? In illum certè finem proponitur à pro-

pheta. Oppo. tamen hæc satis audacter negat & sine ullo testimonio, vel divino, vel humano, ponit regulam novam: *ubi Deus expresse conditionem non addit, tum certe tenemur credere minis Dei:* credere autem minis Dei ut sensus constet, necessario sic accipitur, ut sit credere sine ulla conditione mala denunciata inevitabiliter secutura. Non debet certe ita defendi fides falsi, ut sacræ scripturæ fides derogetur. Ad illud, quod objicitur de filijs *Eli*, respondeo: elapso jam tempore conditionis præstandæ, comminatio illa, quæ ante fuit conditionalis, & promissionem conditionalem habuit conjunctam, 1. *Sam.* 2, 30. evasit prædictio absoluta.

Oppon. 1. *Inepta ista est hypothesis, quod omnes minæ conditionales: minæ enim de conditione, si illa non impleatur, an sint conditionales; qualis illa salvatoris* Luc. 13. 3. *? (plures occurrunt) ne dicas: nam ita conditiones conditionum texes in infinitū.*

Resp. Facile est cuilibet fingere sibi hypothesin ineptam. Dictum fuit ex ordine credendum esse de omni conditione, illud quod propheta generaliter docet: Thesis est clara, quæ si possit negari, quorsum fingitur hypothesis nova, si non possit manus dentur veritati? Quod adversus prophetæ thesin objicitur, *minas de conditione (qualis illa salvatoris,* Luc. 13. 3. *nisi resipiscatis peribitis) non esse conditionales,* nullum omnino habet sensum. Tales namque minæ non minantur conditionem: sed malum denunciatum, & ex illa conditione suspensum, atque adeo sunt non implicitæ sed explicitæ conditionales. Non minatus est Deus Galilæis resipiscentiam, neq; resipiscentiæ privationem, sed perditionem,

ex

ex illa conditione, si perstarent in impœnitētia. Nova igitur hæc hypothesis, minas de conditione, à conditionalibus differre, nihil aliud habet, quam si quis diceret, comminationem ex conditione factam, non esse conditionalem.

XX. *Obiect. 5. Reprobi, quibus prædicatur Evangelium, tenentur credere, Christum esse mortuum pro se: se esse redemptos per Christum: sed hoc est falsum* Sol. 1. Reprobi illi, quibus Evangelium prædicatur, nihil tenentur credere, quod in Evangelio non revelatur: sed nihil in Evangelio revelatur de ipsis, magis quam de omnibus alijs hominibus, quod attinet ad redemptionem per Christum: ergo nihil magis tenentur credere de sua quam de omnium hominū redemptione, 2 Dicimus cum Polano, *Synt. lib. 6. cap.* 18. Nullum omnino hominem, sive reprobum, sive electum, antequam conversus sit ad Christum, teneri absolutè credere. Christum pro se mortuum esse quoad efficaciam. Hoc enim non scribitur in Evangelio de quoquam singulariter: neque potest ex Evangelio per legitimam consequentiam deduci, ullo alio medio, præter conversionem & fidem, atque adeo, neque de ullo alio homine, quam de converso, & fidem habente.

XXI. *Instant. 1. Damnantur increduli, quia non credunt.* Sol. Damnantur propriè quia non credunt Evangelio: quia non credunt Christum esse sufficientem redemptorem omnibus qui recipiunt eum: quia non credunt sibi necessarium esse, ut Christum recipiant, aut ad eum accedant, quia denique non credunt in Christū, id est, quia non accedunt ad eum, non apprehendunt eum, non recipiunt eum, non acquiescunt in

in eo: quæ omnia facere tenentur; sed non damnantur quia non credunt Christum esse mortuum pro se, quoad efficaciam mortis eius.

XXII. *Instant. 2. Hæc duo sunt unum & idem: credere in Christum: & credere Christum esse mortuum pro se quoad efficaciam.* Sol. Sunt quidem hæc duo, (sua natura) inter se connexa & conjuncta: unde etiam fit, quod à multis soleant confundi: sunt tamen duo actus distincti. Apparet hoc ex isto Syllogismo Evangelico; *Quicunque credit in Christum, ad illum pertinet efficacia mortis Christi: sed ego credo in Christum: ergo efficacia mortis Christi pertinet ad me.* Assumptio hic est credere in Christum: & Conclusio inde consequens, est credere Christum esse mortuum pro me efficaciter.

XXIII. Differunt autem isti actus 1. obiectis: quia prior versatur circa ens (ut loquuntur) incomplexum, Christum, causam salutis: sed posterior circa axioma de Christo, quod me redemit. 2. Subiectis, quia prior est propriè in corde, aut voluntate: sed posterior propriè in intellectu. 3. Temporis respectu: quia prior Christum ut præsentem apprehendit: sed posterior præteritam Christi & Dei intentionem. 4. Natura: quia prior facit unionem inter Christum & nos, sicut coniugalis contractus facit coniugium: sed posterior agnoscit tantum illud quod factum est. Hęc omnia liquido apparent, per oppositionem illam quæ in Scripturis inculcatur inter illam fiduciam in Deo, & in creatura collocatam. Sicut enim fiduciam habere in creatura, non est propriè factum præteritum, aut intentionem facti agnoscere, sed statuere eam brachium,

um, aut baculum, eidem innitendo. *Ier.* 17. 5. *Isa.* 36. 6. & 31. 1. sic etiam fiduciam habere in Deo, & in Christo, non est propriè agnoscere quid fecerit, & qua intentione, sed ipsi inniti, & devolvere se totum, suamque salutem in ipsum *Psal.* 37. 5.

XXIV. *Inst.* 3. *Credere Christum esse mortuum pro se tenentur omnes aliquo modo: quia est officium pium, quod facit ad gloriam Dei, & hominum salutem.* Sol. Eodem, scil. modo, quo tenentur credere, se esse electos, iustificatos: participes adoptionis, sanctificatos, & glorificatos: id est, non immediatè, antequam sint conversi, sed postea: quia hi sunt fructus conversionis, qui non possunt percipi nisi à conversis, neq; possunt ab aliis verè & cum fundamento credi. Tenentur omnes quibus Evangelium prædicatur, accedere ad Cœnam Dominicam: non tamen immediatè sed postquam conversi Ecclesiæ se adiunxerint. ac baptizati fuerint, &c. similis & hic obligandi ratio.

Oppon. *Argum.* 5. *Est vulgare illud. Quod quisque tenetur credere verum est. Atqui qui audit Evangelium prædicari, tenetur credere Christum pro se mortuum esse. Ergo. Minorem ille negat thesibus* 20. 21, 22. *& dicit obscurè, & tenebricosè satis, aliud esse credere in Christum, & aliud, credere Christum pro se esse mortuum: nemo tenetur credere Christum esse mortuum pro se, nisi prius credat in Christum. Si hæc rectè ex scriptura expendantur, vana deprehendentur: nam sto contra hoc argumentatur: non prius credendum Christum pro se esse mortuum, quam credere in Christum: Credere autem in Christum est nihil aliud, ut ipse*

fatetur

fatetur thes. 13. quam fidere Christo, vel fiduciam habere. Hinc iam aut fiduciam habemus in Christo, quia in Christo promissiones omnes factæ sunt etiam & amen absolute, & simpliciter; aut quia nobis factæ sunt. Non prius: nam diaboli credunt etiam promissiones in ipso factas amen, sed quia sibi factæ non sunt. Ergo posterius, quia mihi promissiones factæ. Si ergo quia mihi hæc promissio facta: Christum non pro mundi tantum, sed pro meis mortuum fuisse: Ergo verum est eum non tantum pro mundo sed & pro me mortuum esse. Quia igitur Christus pro me mortuus, ideo fiduciam in ipso habeo: non autem ideo mortuus est, quia fiduciam in ipso habeam. Vt rem clarius dicam, nam digna est consideratione, ita argumentamur. Aut fiduciam in eum habeo quia morte placavit Deum hominibus, qui quos placavit eos etiam conservat; aut quia non tantum hominibus, sed & mihi morte sua placavit Deum, & me etiam redemit. Non illud, quia caderet in diabolos & reprobos. Ergo posterius. Ideo in Christum ego fiduciam loco quia morte mihi sua reconciliavit patrem, non autem reconciliavit patrem quia in eum confido. Quod ergo putabat unicum præsidium suæ causæ, hoc clarissimè quilibet, si attendat rectè ad scripturam, per scripturam facile evertet, ut quæ clare statuit fiduciam oriri in Christum ex eo, quia Christus nobis factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Ita ergo nihil responsum videmus ad argumentum hoc.

Resp. 1. De obscuritate & tenebris thesium 20, 21, 22, 23 si quis conqueratur habet, authorem præsentem & paratum easdem sibi explicare. Illam disjunctionem, *aut fiduciam habemus in Christo, quia promissiones omnes factæ sunt in*

Christo

Christo amen absolutè & simpl. aut quia nobis factæ sunt, nego esse sufficientem: fiduciam enim habemus in Christo, quia Deus promisit eos qui credunt in eum non perituros, sed habituros vitam æternam; & simul declaravit, nullam aliam esse viam ad salutem perveniendi, ac insuper mandavit ut in illum credamus.

Oppon. *Ad quintum respondet, istam distinctionem, qua totus discursus ejus refutabitur, Credo in Christum vel quia promissiones in eo factæ absolutè, vel quia mihi factæ insufficientem esse, & addit membrum tertium, vel quia Deus promittit in Christum credenti vitam æternam. At non sic effugiet: nam quare Deus promittit mihi in ipsum credenti vitam æternam? an quia Servator est absolute? an quia meus Servator est? non prius: nam ita & multis reprobis, & ipsi diabolo vita æterna daretur. Ergo posterius. Credere ergo in Christum, præsupponit mediatorem & servatorem meum esse, ac proinde prior est actus, credere Christum mortuum pro me, quam in ipsum credere, sive in ipsum fiduciam collocare.*

Resp. Nihil novi hic adfertur. Ad quæstionem illam: *quare Deus promittit mihi in Christum credenti vitam æternam?* non alio modo respondendum est, quàm ad illam: *quare Deus Evangelium in Christo patefecit?* quia scil. ex abundante sua gratia voluit. Nemo vero non videt, inter illa duo *servator absolute*, & *servator ex certa intentione meus*, medium quodam esse, servator scil. idoneus ad quemlibet hominem atque adeo ad me, si in ipsum credam servandum; qui humanam naturam assumpsit, non angelorum; qui deniq; hominibus, non dæmonibus proponitur,

cum

cum mandato ut in ipsam credant, & promissione salutis per ipsum consequendæ, hominibus credentibus, non dæmonibus facta.

Summa defensionis nostræ in hoc argumento talis est: Evangelium non est falsum. Quicquid circa mortem Christi tenentur homines credere ad salutem, est Evangelium. Ergo nihil quod homines tenentur credere circa mortem Christi ad salutem potest esse falsum.

Examen exemplorum quæ ubique ad nauseam usque fuerunt objecta.

Oppon. *Argum*, 1. Adam *tenebatur credere in statu integritatis vitam æternam sibi obventuram. At hoc falsum. Ergo tenebatur credere falsum. Responsio quæ dabatur argumentum non tollit*, conditionaliter debebat credere: *Nam quæstio iterum potest institui de conditione, utrumne illa credenda fuit ad impletam iri necne; si non credenda erat, nec hoc quod a conditione pendebat, erat credendum; si credenda erat, ergo & hoc quod ad conditionem sequebatur.*

Resp. Ad ultimum prosyllogismum respondetur. Consequentia illa est falsa; *Si non credenda erat conditio, nec hoc quod à conditione pendebat erat credendum.* Conditiones omnes rerum credendarum non sunt credendæ, sed vel faciendæ vel cavendæ. Credendum erat *Adamo*, vitam secuturam ex obedientia, & ex inobedientia mortem: sed obedientia fuit præstanda, & inobedientia cavenda, secundum naturam conditionum fidei legalis.

Oppon. *Ad argumentum respondere conatur, & dicit*

dicit conditiones non credendas esse sed faciendas. Ineptè, nam si vita æterna credenda erit, credenda erit & conditio, cùm conditio se habebit ut medium ad vitam æternam; aut si hoc credi non debuit, nec vita æterna credi debuit. Videat simili argumento quàm bene quadret hæc responsio. Obyciatur Arminianis: Si perseverantia fidei non est credenda, nec vita æterna erit credenda: Absurdum posterius: Ergo & prius. Hic ex D. Amesij præscripto, promptum erit respondere adversario, perseverantia non est credenda sed præstanda: nam Apocal. 2. 10. 26. *dicitur, qui vicerit & observaverit usque ad finem, &c.*

Resp. Responsum fuit, non omnes conditiones rerum credendarum esse credendas. Probat contrarium primo generaliter: *quia medium omne ad vitam æternam est credendum.* Respondemus negando: quia sic ipsum credere esset credendum, & illud etiam credere insuper credendum, & sic porro in infinitum. Altera probatio quæ petitur ab exemplo perseverantiæ, non probat omnes, sed aliquam tantum conditionem esse credendam, illam scil. quam Deus promisit se daturum, sicut perseverantiam verè credentibus promisit. Exigua certè esset consolatio fidelium, si aliam non haberent promissionem de conservatione in fide, quam habuit *Adamus* de præservatione à lapsu.

Oppon. *Argum.* 2. *Ab homine lapso. Comminatus est Deus, ut si de fructu vetito comederet, moreretur. Postquam ergo peccavit, quæritur an tenebatur credere sibi moriendum fuisse, necne? Ego affirmo; quia clarissima comminatio exstabat, cui credendum erat. Dices, credenda erat comminatio,*

sed

sed cum exceptione, nisi misericordia ipsi fuisset exhibita, id quod factum. Resp. atqui istam neque ex verbo Dei haurire potuit, *cum nullum esset, aut saltem cum Evangelium nullum esset, cuius particula esset futura talis exceptio. Neque ex natura Dei* haurire potuit, *nam utut scire poterat esse Deum natura benignum, tamen latere ipsum non potuit, esse etiam iustissimum, & quidem ita qui non condonaret sonti, sive nullo pacto absolveret eum. Videbar de re* Exod. 34. 7. Deut. 29. 20.

Resp. Ad prosyllogismum respondeo: ex gratia, misericordia, & sapientia Dei, quę fuit cognita *Adamo*, potuit ille scire, Deum potuisse invenire viam iustitię suę satisfaciendi, sine æterna perditione generis humani. Tenebatur igitur credere se, si peccaret, obnoxium fore æternę morti: sed de eventu postea ex liberata dispensatione Dei secuturo, nihil distinctè credere tenebatur.

Oppon. *Ad secundum conatur respondere, sed nihil tamen respondet. 1. dicit, tenebatur credere, si peccaret, obnoxium se futurum morti æternæ: sed de eventu nihil distinctè tenebatur credere. Contra 1. Ergo nec Diaboli, postquam peccassent, tenebantur de eventu quicquam distinctè credere, quod est absurdum. 2. dicit ad thesin 19. elapso iam tempore conditionis præstandæ, comminatio illa quæ ante fuit conditionalis, & promissionem conditionalem habuit coniunctam, evasit prædictio absoluta. At quanto nos melius conditione præstita, hoc est, violata lege Dei per* Adamū, *omnino comminatio evasit, quæ antea fuit conditionalis, absoluta. Si ergo filys* Eli *credendum erat comminationibus Dei absolutè; quia quæ erant conditionales evaserunt absolutæ:*

absolutæ: Ergo & Adamo comminatio credenda erat absolutè.

Resp. 1. Ne Diaboli quidem tenebantur quicquam credere absolutè de eventu, antequam ipsis fuit absolutè revelatum; *Adamo* autem non fuit revelatus eventus totus, ante lapsum. 2. comminationem mortis credendam fuisse *Adamo* absolutè, violatione legis posita, non fuit negatum, sed illa comminatio quæ faciebat *Adamum* morti subjectum, non excludebat illam liberationem quæ per Christum consequebatur.

Oppon. *Argum. 3. Numb. 20. hunc in modum* Moses *tenebatur credere ad primum ictum petræ aquas profilituras fuisse. Atqui hoc erat falsum. Ergo tenebatur credere falsum. Quod tenebatur credere profilituras aquas, ad primum ictum, manifestè patet ex ver. 12. Vbi pœna propter hoc ipsũ, & Moysi. & Aaroni infligitur; quod vero non profilitura fuisset aqua primo ictu, patet ex eventu: nã ex eventu judicandũ de voluntate Dei. Thr. 3. 37*

Resp. 1. Duplex est Historia de ejectione aquæ ex petra. Prior *Exod. 17.* posterior *Num. 20.* In posteriori nihil omnino dicitur de petra percutienda: in priori nihil de percutienda semel, aut bis percussa. Nihil in alterutro loco de aquis ad ictum primum profilituris.

Oppon. *Esto quod non fuerint jussi percutere petram* Moyses *& Aaron: jussi tamen sunt alloqui, & ad alloquium credere aquas profilituras, quod tamẽ falsum futurũ erat, nam ex eventu judicandũ fuit, quid esset certo futurum: non autẽ futurũ erat, ni ad alloquiũ aquæ profilerent: quia non evenit etiam hoc, nam certa rerum futuritio pendet ex voluntate*

Dei.

Dei. Voluntas autem Dei cognoscitur ex eventu.

Resp. 1. Conceditur, hanc objectionem temerè fuisse conceptam. 2. Magis adhuc temerè asseritur falsum esse, aquas profilituras fuisse ex Petra, si *Moses* eam allocutus fuisset secundum Dei præscriptum. Hoc enim est apertum Dei testimonium & promissionem arguere falsi. Neque juvat quicquam quod additur; *Certa rerum futuritio pendet ex voluntate Dei: voluntas autem Dei cognoscitur ex eventu.* Falsum est enim, omnem, aut totam Dei voluntatem cognosci ex eventu. Eadem planè sophistica posset Opponens dicere: falsum est *Adamum* victurum fuisse, si in obedientia perstitisset: aut *Simonem* Magum salvum futurum fuisse, si vere credidisset in Christum: quia scilicet voluntas Dei circa futuritiones istas, non cognoscitur ex eventu. Labes & pestis religionis in hac futili argutia continetur.

Oppon. *Argum.* 4. *Ebr.* 11. Abraham *credebat filium suum moriturum, ergo credebat falsum.* Resp. *adverſ. credebat, sed non fide divina: Quod autem fide divina, sic probo, ex verſ.* 12. *Qua fide credidit resurrectionem, illa etiam credidit mortem: nam resurrectio includit mortem; Aut credidit fide divina resuscitatum iri. Ergo Respondet Adversarius ad hoc, secundo corollario, & dicit, cum officium nobis imponitur, cujus implendi & potestatem habemus, & voluntatem, fieri non potest, quia putemus illud ipsum quod jubetur pariter eventurum: & porro addit, sic est etiam probabile,* Abrahamum *tum temporis credidisse filium suum moriturum. Vbi notanda contradictio in verbis: nam primo dicit, non fieri posse quin putemus: post addit,*

pro-

probabile esse, nam si fieri non possit, quomodo probabile; aut si probabile, quomodo fieri non potest ut putemus. 2. *Ad argumentum nihil respondet, nisi fortè velit ratiocinationem* Abrahæ, *fidei non fuisse effectum. Atqui analysis loci ostendit rem ita esse.*

Resp. In prosyllogismo, 1. manifestè falsum est illud: *qua fide crederet resurrectionem, illa etiam crederet mortem.* Alia enim est fides qua credimus liberationem à peccato & morte, & alia qua credimus peccatum: ibi est assensus intellectus tantum, hic est fiducia voluntatis. 2. falsum est etiam, resurrectionem includere mortem, sicut enim justificatio præsupponit non includit mortem. 3. Falsum est *Abrahamum* absolutè sine ulla conditione credidisse *Isaacum* tum temporis resuscitatum iri. Credidisse dicitur in Scripturis, *Deum potentem esse qui ex mortuis excitaret ipsum*; & nihil vltra. 4. Contradictio quæ notatur in corollario, nulla est; *fieri non potest quin putemus*; scil. moraliter non absolutè, aut (ut loquuntur) Metaphysicè; *& probabile admodum est hunc aut illum credere*; optimè inter se consentiunt.

Oppon. *Ad quartum. Negat eadem fide credidisse* Abrahamum, Isaacum *moriturum fuisse, & iri resuscitatum. Alia enim est fides, qua credimus liberationem à peccato & morte, & alia, qua credimus peccatum. Ineptè & hoc, nam quemadmodum resurrectio duplex, una ad vitam, altera ad mortem.* Ioh. 5. *Ita est & mors duplex, una quæ est via ad vitam æternam, alia quæ est via ad mortem æternam. Quemadmodum ergo non omnis resurrectio credenda est fide salvifica, sed ea tantum quæ est ad vitam,*

vitam, illa non omnis mors credenda est non tantum fide historica, sed etiam ea quæ est via ad mortem æternam. 2. *Quod notat in hoc argumento meo, quod dixerim resurrectionem includere mortem, & inquit, non includit, sed præsupponit. Dico ego includere in lata significatione accipi, prout notat præsupponere, aut inferre, prout vox hæc accipitur aliquando. Notum id Goclenio. Sed parum facit ad rem: sit ita, argumento tamen nihil decedit.* 3. *Dit falsum esse*, Abrahamum *absolutè credidisse Isaacum resuscitatum iri; at verba hæc ista urgent: in similitudine recepit eum: nam si conditionaliter credidit, tum non erit necesse, ut illud adjeceret Spiritus Sanctus, in similitudine recipit eum, quandoquidem ea quæ creduntur conditionaliter, conditione non impleta, non fiunt; quemadmodum male dicerentur Ninivitæ in similitudine periisse, quod crederent Deum se perdere potuisse: quia fides illa conditionata fuit, ex conditione non adimpleta, eventum non habuit.* 4. *Contradictionem elevare vult à nobis ipsi objectam, distinctiuncula aliqua distinguendo scil. moraliter & metaphysicè: sed verba ista sunt: exprimat nobis ista, notione aliqua communi, aut exemplum istius modi loquendi adferat ex authore aliquo probato, alioquin hæc pro fictis habebimus.*

Resp. 1. In exceptione prima conclusio illa. *Non omnis mors credenda est, non tantum fide historica, sed tantum ea, quæ est via ad mortem æternam:* quid ad rem faciat, aut quem sensum habeat, non video. Voluit forsan dicere (sicut comparationis proportio postulat) omnem mortem non esse credendam fide historica, sed tantum illam quæ est via ad mortem æternam. Sed

neque

neque sic sani quidquam habet: quia mors non est per se medium vitæ, atque adeo non potest esse objectum fidei salvificæ, quæ fertur in vitam, sed historicæ tantum, quæ salvificæ inservit. 2. Vis objectionis stat, aut cadit, cum stricto sensu hujus vocis, *includit*. *Eadem fide creditur mors qua resurrectio creditur; quia resurrectio præsupponit mortem.* Ista consequentia esset nimis absurda: est enim ac si quis diceret: eadem fide credendum est peccatum, quo creditur in Deum justificantem peccatores, quia talis justificatio præsupponit peccatum. Quando igitur Oppo. dixit resurrectionem *includere* mortem, vel stricte accepit vocem *includere*, vel omnem sensum ex objectione sua excludebat. 3. Verba illa *Heb.* 11.19. *ex mortuis in parabolam recepit*, nihil aliud significant, quam quod *Isaac* fuit similitudine quadam mortuus, quia Domino fuit oblatus, & traditus morti, ac proinde *Abrahamus* cum receperit, quasi ex statu mortis 4. Differentia sensus moralis, & absoluti, in ista phrasi, *fieri non potest*, adeo est ubique obvia, ut disputatorem (non dicam acutum & exercitatum) sed vulgarem non debeat latere. Fieri non potest (moraliter loquendo) ut pater proprium suum filium, ad omne obsequium paratum, odio prosequatur: absolutè tamen potest fieri.

FINIS.